

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.


+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

G
ii
1
(N.C.)



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM, ET REI ANTIQVARIAE
IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE PRAEFECTO.

PARS I.

DE NUMIS VRBIUM, POPVLORUM, REGUM.

VOLVMEN II.

CONTINENS

RELIQVAS EVROPAE REGIONES CVM PARTE ASIAE MINORIS.

EDITIO SECVNDA.

VINDOBONAE

SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE

MDCCCXXXIX.

DEPT OF CLASS ARCHAEOLOGY OXFORD

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTVS VOLVMINIS II.

Numi urbium, populorum, regum.

Chersonesus Taurica. Pag. 1.
Sarmatia Europaea. Pag. 3.
Dacia. Pag. 4.
Moesia superior. Pag. 6.
Moesia inferior. Pag. 13.
Thracia. Pag. 19.
Chersonesus Thracia. Pag. 49.
Paeonia. Pag. 60.
Macedonia. Pag. 61.
Thessalia. Pag. 132.
Liburnia. Pag. 151.
Dalmatia. Pag. 152.
Illyricum. Pag. 152.
Epirus. Pag. 160.
Corcyra ins. Pag. 177.
Acarnania. Pag. 183.
Aetolia. Pag. 188.
Locris. Pag. 190.
Phocis. Pag. 193.
Boeotia. Pag. 195.
Attica. Pag. 205.
Peloponnesus. Pag. 228.
Achaia. Pag. 229.
Elis. Pag. 263.
Cephallenia ins. Pag. 270.
Messenia. Pag. 275.
Laconia. Pag. 278.
Argolis. Pag. 286.
Arcadia. Pag. 292.
Creta ins. Pag. 300.
Euboea ins. Pag. 322.
Insulae Aegaei minores Europaeae. Pag. 325.
Bosporus Cimmerius. Pag. 339.
Pontus. Pag. 340.
Paphlagonia. Pag. 383.
Bithynia. Pag. 396.
Mysia. Pag. 448.
Troas. Pag. 478.
Aeolis. Pag. 491.
Lesbus ins. Pag. 500.
Ionia. Pag. 505.
Caria. Pag. 571.

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

CHERSONESVS TAVRICA.

Perlustratis Europae, quae in Occidentem vergit, provinciis opum nostrarum feracibus, in Orientem Europaeum flectimus, facto initio a regionibus, quae septentriones respiciunt, unde in meridiem, et beatas Graeciae propriae provincias, insulasque viam prosequemur. Itineris exordium esto extrema in Aquilonem

CHERSONESVS TAVRICA.

Sic dicta, quod peninsula est, Ponto, palude Maeotide, et sinu Carcinite intercepta, et *Taurica*, quod a Tauris habitata fuit gente Scythica. Tamen urbes Graecae colonias eo duxere, sed quae subinde regibus Bosporanis subjectae fuerunt, sive vi, sive sponte, quoniam a barbarorum Taurorum violentia vexatis externum auxilium opus fuit.

CHERSONESVS.

Habuit peninsula urbem quoque sibi cognominem, quae Plinio dicitur Heraclea Chersonesus [a]), quia fuit teste Strabone πολις Ηρακλεωτων, *urbs Heracleotarum* Bithyniae. Unde et olim dicta *Megarice* teste eodem Plinio [b]), nempe quod Megarenses ipsam Heracleam aedificarunt. Strabo eam primum liberam dixit, sed metu barbarorum dedidisse seae Mithridati Eupatori [c]). Liberam iterum fecere Romani, ut dicetur.

Cavendum, ne cum hujus numis misceantur numi Chersoneso Creticae debiti. Primus Pellerinius cognomines numos rite discrevit. Hujus Tauricae sunt:

XEP. *Caput juvenile laureatum radiatum, ante quod lituus militaris.* Ɪ *Mulier turrita stans d. jaculum, s. arcum cum jaculo, in area monogramma, et* ΔP. AV. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 89.)

Numus causa metalli insignis excellentiae.

* * *

Caput Dianae cum arcu. Ɪ XEP. AΓA-ΣIK. *Taurus cornupeta.* AE. III. (Mus. Caes.)

a) L. IV. p. 218. b) l. c. c) L. VII. p. m. 474.

Digitized by Google

De Dianae Tauricae in hoc tractu cultu constat, taurus autem jure insertus; nam ab hoc eam regionem traxisse nomen testatur Eustathius [d]). Liberalius hunc numum explicatum vide in meis Num. vet. p. 49.

* * *

ETΔPOMO. *Mulier nuda flexo uno genu s. arcum praetendit.* Ɪ XEP. *Gryphus.* AE. II. (Pellerin.)

Mulier anticae haec quoque per arcum Diana videtur agnoscenda, a qua et creditum urbem conditam, ut refert Mela, sed qui eam *Cherrouen* vocat [e]). Gryphi in aversa typus hunc numum huic potissimum Chersoneso vindicat, nam idem in vicini quoque Panticapaei moneta frequens, cujus typi in hoc tractu causa videtur a fabulis petenda, nam in locis paullum superioribus creditum habitare *gryphos*, *saevum et pertinax ferarum genus, qui aurum terra penitus egestum mire amant, mireque custodiunt, et sunt infesti attingentibus*, ut eodem loco tradit Mela [f]).

* * *

XEP. *Miles nudus flexo uno genu d. hastam, s. clypeum.* Ɪ *Figura in citis quadrigis.* AE. II. (Pellerin.)

Non procul ab hac urbe, sed extra peninsulam in occasum ad ostia Borysthenis fuit insula dicta *Achillis*, et juxta in continente locus, dictus Δρομος Αχιλλειος, *cursus Achillis*, de quo Strabo, Arrianus, Plinius, Mela. Explicatius Mela haec tradit [g]): *Achilles infesta classe mare Ponticum ingressus ibi ludicro certamine celebrasse victoriam, et cum ab armis quies erat, se ac suos cursu exercitavisse memoratur. Ideo dicta est* δρομος Αχιλλειος. Verisimile videtur, ex vicino numi argumentum petitum, et in adversa proponi Achillem herois ritu fictum, in aversa celebratum ab eo ludicrum certamen.

* * *

ΕΛΕΤΘΕΡΑΣ. *Caput muliebre.* Ɪ XEPPONHΣΣOT. *Diana gradiens telum ex pharetra promit, s. arcum.* AE. II. (Pembrock P. II. tab. 33.)

Dubium esset, ad quam Chersonesum insignis hic numus pertineat, hanc Tauricam, an alteram Creticam (nam utrobique Dianae cultus viguit), nisi litem dirimeret vox ΕΛΕΤΘΕΡΑΣ. De Taurica scribit Plinius [h]): *mox Heraclea Cherronesos libertate a Romanis donatum.* Mirum videri posset, hanc urbem in extremis orbis culti finibus positam tot numos cudisse, nisi constaret ex Plinio [i]), *fuisse urbem praecipui nitoris in toto eo tractu, custoditis Graeciae moribus, quinque millia passuum ambiente muro.*

AE. RR.

HERACLEVM.

Caput Herculis leonis exuviis tectum. Ɪ HPAK. *Arcus et clava.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numos similes vidi complures. Sunt hi operis tam barbari, ut eos Heracleae omnes per Europam Asiamque cultiorem sparsae nollent partum suum agnoscere. Ad haec typus aversae conspirat cum iis,

---

d) ad Dionys. v. 306. e) L. II. c. 1. f) L. II. c. 1. sub init. g) L. II. c. 1. h) L. IV. p. 218. i) l. c.

Digitized by Google

quos in numis Panticapaei, et Phanagoriae ex adverso in Bosporo Cimmerio Asiatico sitae observamus. Videntur ergo tribuendi illi Heracleo, quod Ptolemaeus in hac peninsula Maeotidi adsitum memorat.

AE. RR.

PANTICAPAEVM.

Teste Strabone et Stephano princeps Bospori Europaei urbs, quam nobilitatem multo certiores testes numi omnis metalli confirmant. Milesiorum coloniam dixit Strabo.

Hujus urbis numi hactenus aut fuere ignoti, aut aliorsum inique aversi, ceu cum inscripti solo ΠΑΝ. Panormo Siciliae tributi fuere [k]), aut generatim deus *Pan* indicari crederetur [l]). Vnus Pellerinius decem in omni metallo vulgavit, qui omnes huc sine dubio pertinent, dempto, quem numero nonum stitit, quem esse Argorum Argolidis suo loco monebo. Alios vide in museo Hunteriano. Insignem argenteum ex museo suo edidit Neumannus.

Epigraphe: Π. ΠΑΝ. ΠΑΝΤΙ. ΠΑΝΤΙΚΑΠΑΙΤΩΝ. Videtur ex his emendandus Stephanus legendo παντικαπαιτης pro παντικαπιατης.

Typi insigniores: *Caput Panos*, forte per adlusionem ad primam syllabam in nomine urbis, ex qua causa et Vibius Pansa in denariis suis Panos personam videtur signasse. *Caput leonis*, fors ducto typo ex numis metropolis Mileti, in quibus obvium illud animal. *Caput tauri* in tetradrachmo [m]), cum adlusione ad Tauricam. *Gryphus*, qui etiam est in numis Chersonesi. *Arcus, pharetra, pilei Dioscurorum* in numis urbium Euxino adsitarum typus frequens.

AV. RRRR. (Pellerin, et Pembrock tab. V.) AR. RRR. AE. RR.

THEODOSIA.

Numum Hunterianum a Cl. Combio huc vocatum esse Metaponti Lucaniae, in hujus moneta diximus.

SARMATIA EVROPAEA.

OLBIA, OLBIOPOLIS.

Vtroque nomine prodita, numi alterum malunt. Sita versus Borysthenis ostia, a Milesiis condita auctore Strabone, a quo et *emporium magnum* appellatur. Adhuc Antonini Pii aevo videtur fuisse potens, qui urbi per Tauroscytharum incursiones periclitanti auxilia misit [n]).

Caput Cereris, vel: *Virile barbatum*, vel: *Muliebre velatum*. Ϫ ΟΛΒΙΟ. *Aquila delphino insistens*, vel: *Arcus, pharetra, securis*, vel: *spica*. Horum prior est AR. I., (Pellerin.) reliqui AE. II. III. (Pellerin, Theupoli, Mus. Caes.).

Caput bovis. Ϫ ΟΛΒΙΟΠΟΛΙΤΕΩΝ.

k) Beger Thes. Br. T. I. p. 369. l) Tristan. T. III. p. 83. m) Sestini Lettere T. IV. p. 90. n) Capitolin. in Anton. c. 9.

Digitized by Google

Sagitta. AE. III. (Sestini Lett. T. IV. p. 90.)

Corrigenda ex hoc lectioArigonii ΑΛΒΙ-ΟΠΟΛΙΤΩΝ, et typus mendose descriptus.

AR. RRRR. AE. RRR.

TYRA.

Ad fluvium cognominem, qui hodie *Dniester*, Milesiorum haec quoque colonia teste Scymno Chio.

Imperatorii.

Plures editi a Vespasiano usque ad Getam. Vtriusque numi sunt in museo Caesareo. Eximius est is, quem edidit Vaillantius: ΒΗΡΙCCIMOC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput M. Aurelii*, de quo nomine *Verissimi* vide numos hujus Caesaris.

Epigraphe: ΤΤΡΑΝΩΝ.

Typi Herculis, Cybeles, aquilae etc. omnes obvii.

Literae solitariae: Β. Γ. etc. quas Vaillantius, aliique indicare annos imperii putaverunt. Verum ejusmodi literas passim videbimus occurrere in numis Moesiae et Thraciae, quarum difficile est veram statuere significationem.

AE. RR.

COMOSICVS GETA.

Hoc nomine Getarum regi et pontifici ex Jornande cognito tribuit Froelichius numum, in quo legere sibi videbatur: KOMOCI--o) Verum serius comperi, esse ex Persicis unum, quales plures proponit Pellerinius p), et de quibus agam in moneta Persarum.

DACIA.

Proprios olim habuisse reges, eosque potentes ac opibus inclytos, ex Decebali historia satis constat. Qua usi fuerint moneta, minus certum; verisimiliter tamen in hoc tractu signati sunt numi tetradrachmi fabricae rudis, ac saepe extremae barbariei, qui hinc Jovis caput, illinc equitem sistunt, sumpto a numis Philippi II. Macedoniae regis exemplo, quorum magna in hunc diem copia in Transilvania, quae veteris Daciae nobiliorem partem constituit, eruitur, quorsum et pertinent numi BIATEC. BVSV. NONNOS. SVICCA, aliique, de quibus agetur separatim in tractatu de numis barbaris.

A Trajano difficili bello domita in provinciam redacta est, unde in ejus imperatoris numis: DACIA. AVGVSTA. PROVINCIA. Nulla tamen imperatorum usque ad Philippum exstat moneta in ipsa Dacia percussa, neque ex hac dicendus prodivisse numus notus Trajani, in cujus aversa: ΔΑΚΙΑ, typo *mulieris moestae ad tropaeum considentis*, etsi istud statuat Vaillantius q). Nam praeterquam quod verisimile non est, Dacos unquam lingua Graeca usos, non certe sese usque adeo abjecissent, ut imaginem suam figurae lugentis typo proponerent, cum nemo sese victum subjugatumque propalam

o) Accessio nova ad num. reg. p. 36. p) Suppl. III. tab. 2. q) in numis Colon. Philippi sen.

Digitized by Google

fateatur. Ex quo sequitur, numum hunc perinde in urbe quapiam Graeca signatum, ac notos illos Titi: ΙΟΥΔΑΙΑΣ. ΕΑΛΩΚΤΙΑΣ., qui certe non in ipsa Judaea, sed extra eam cusi sunt.

Proprii igitur Daciae numi, qui ad praesentem classem pertinent, nimirum in Dacia ipsa signati, sunt

Imperatorii,

qui incipiunt sub Philippis, et durant in Gallieni imperium.

Epigraphe constans: PROVINCIA. DACIA. additis annis epochae, de quibus infra. Vaillantii ratio sane infirma est, qua Daciam Latina usam epigraphe conjicit propterea, quia forte a Philippo libera, seu immunis facta est [r]), quam finxisse videtur rationem, ut honestam haberet causam hos numos operi, quod de coloniarum et municipiorum numis agit, inserendi, ad quam sane classem nullo pacto pertinent.

Typi:

Mulier stans tecta pileo patrio instar Phrygii inter aquilam et leonem, d. ensem patrium incurvum, s. vexillum, cui inscriptum: D. F.

Mulier stans, (rarissime sedens) d. ensem incurvum, juxta defixum vexillum, cui inscriptum V., humi aquila, s. tenet vexillum, in quo XIII., humi leo.

Typi hi sunt constantes, aut tantum in minutis discordant. Mulier in his numis Daciae symbolum agit tecta operimento, cujus simili tegitur etiam PANNONIA in numis Aelii Caesaris, ensemque incurvum praeferens pro more gentis et utroque insignis est Dacus, qui saepe captivi habitu in Trajani numis fingitur. Literae *δεχαιωσαι* D. F. secundum notos Decii numos explendae *Dacia Felix.*

Numeri V. et XIII. vexillis inscripti praeclare illustrantur a Dione [s]) perhibente, aetate sua, nempe Alexandri Severi, legiones Macedonicam V., et XIII. geminam in Dacia stetisse. Haec cum certa sint cum Dionis, tum numorum testimoniis, mirum videatur, eandem legionem V. Macedonicam memorari etiam in numis Philippi in colonia Heliopoli Coelesyriae percussis, quin et in numis Beryti Phoeniciae, nisi forte statuendum, partem legionis excubuisse in Dacia, partem in Syria. Vide, quae de hoc plura monebimus ad dictam Heliopolin.

Juxta vexillum legionis V. perpetuo adstat aquila, et juxta alterum legionis XIII. leo. Utrumque animal sic explicat Vaillantius [t]), ut aquilam esse insigne imperii R. censeat, leonem symbolum Daciae. Quod ad aquilam attinet, consentit Harduinus [u]), sed leonem adstitutum propterea contendit, quod leonibus revera habitetur Dacia, quod vix ullo certo monumento probaverit. Sane hoc loco adversatur Plinio suo, adserenti [x]), in Europa inter Acheloum tantum, Nestumque amnes leones esse, et Dio Chrysostomus leones olim fuisse circa Macedoniam, sed eorum genus pridem defecisse narrat [y]). Inserti utriusque animalis longe aliam, eamque certissimam alibi rationem prodidi [z]), fuisse nempe aquilam symbolum legionis V., et leo-

r) l. c. s) L. LV. c. 23. t) in num. Etruscillae. u) Num. ill. in DACIA. x) L. VIII. § 17. y) Orat. XXI. z) Num. vet. p. 50.

Digitized by Google

nem XIII., quod praeclare comprobatur obviis Gallieni numis commatis Romani, in quibus ii, qui LEG. V. inscribuntur, aquilam item offerunt, ut ii, in quibus, LEG. XIII., leonem sistunt, cum qua sententia conspirant etiam numi Viminacii, de quibus paullo infra.

Typus mulieris d. hastam tenentis, ex qua praefixum caput asini, quod fuit alterum Daciae symbolum, comparet tantum in numis commatis Romani inde a Decio, at non in hujus generis numis in Dacia signatis. Eum Vaillantius et Arigonius in numo Treboniani hujus quoque classis viderunt, at verisimile est, fuisse deceptos, nam in museis nostris hac merce instructissimis similem aversam videre non licuit.

Epochae anni in omnibus his numis signati sunt hoc modo: AN. I. II. etc. De ejus principio et modo agetur mox infra in numis Viminacii.

AE. I. formae C. AE. II. et III. RR. Argenteum Philippi cum AN. II. eumque max. mod. recitat Baldinus, (Vaill. T. II. p. 315.) *at videtur nimio suspectus.*

PANNONIA.

Non exstant hujus regionis numi praeter eos, qui inscribunt: METALLI. PANNONICI., de quibus ex instituto agetur sub finem numorum Trajani commatis R.

MOESIA SVPERIOR.

Moesiae nomine unicum reperio numum vulgatum, estque is

Imperatorius Domitiani:

MTΣIA. *Provincia maesta humi decumbens juxta armorum congeriem.* AE. I.

Singulare istud cimelium, et quod observatu digna multa offert, ex museo olim Foucault edidere Vaillantius et Harduinus autoptae. In eo peccasse visi sunt illustres hi viri, quod Asiaticae illud Mysiae tribuere non dubitaverunt. Typum provinciae nostrae humi prostratae adstituto armorum cumulo facile quivis mihi dederit esse ejus generis, quo proponi solitae sunt regiones aut bello captae, aut armis ad obsequium revocatae, quo modo proponuntur in numis ΔAKIA, IOTΔAIA APMENIA, etc. Ex earum vero numero fuisse Mysiam Asiaticam, quis enim vero ex historia probaverit, cum eam adversus Romanos nunquam, omnium vero minime Domitiani aetate rebellasse constet, neque eo fuisse ingenio unquam comperti fuerint hi Mysi, ut facile in apertam seditionem irent. Jus ergo oblatum mihi video aliam respiciendi Mysiam, cum qua humilis iste, et inimicus typus possit connecti, eamque esse hanc ipsam Moesiam, in qua nunc sumus, spero argumentis me solidis comprobaturum. Jam primum docere supervacaneum, quod novit eruditus quisque, Moesiam a veteribus Mysiam pas-

Digitized by Google

sim dictam. Fuit haec scribendi ratio auctoribus Latinis non infrequens, Graecis fere constanter Μυσια pro Μοισια. Discriminis igitur causa, ut ne fallatur lector, dixit Dio [a]): μεχρι της Μυσιας της ἐν τῃ Ευρωπῃ, *usque ad Mysiam Europaeam.* Vide testimonia plura apud Cellarium. At, inquies, neque Moesiam constat imperante Domitiano excussisse jugum, et bello petitam. Non repugno, si istud intelligas de Moesis proprie dictis. Sed fuit in Moesia populus a Moesis diversus. Dio loquens de Dacis [b]), ἐπ' ἀμφοτερα, inquit, τα Ιςρα νεμονται, ἀλλ' οἱ μεν ἐπι ταδε αὐτα και προς τῃ Τριβαλλικῃ οἰκουντες ἐς τε τον της Μυσιας νομον τελουσι, και Μυσοι, πλην παρα τοις παυ ἐπιχωριοις, ὀνομαζονται. οἱ δ' ἐπεκεινα Δακοι κεκληνται, κ. τ. λ. Daci *utramque Istri ripam occupant, quorum illi, qui cis flumen juxta Triballos habitant, ad Mysiae praefecturam pertinent, et Mysi, non tamen ab iis, qui proprie regionis indigenae sunt, vocantur; qui vero trans flumen degunt, Daci vocantur etc.* En numi hujus aenigma solutum illustri hoc testimonio Dionis, eoque tanto validiore, quia cum is in eo tractu praesidis munere fungeretur, ejus omnes causas ex vicino investigavit, perspexitque. Narrat enim, intra Mysiae fines constitisse partem Dacorum, hosque non quidem ab indigenis, sed ab externis Mysos fuisse dictos. Jam vero constat, Domitianum bellum cum Dacis gessisse, atque de his velut victis triumphasse. Verisimile, Domitianum tum Dacos Cisdanubianos adortum, eosque incommodis adfecisse, quo factum, ut haec gens tanquam bello victa in numis proponeretur, scribereturque ΜΥΣΙΑ pro ΔΑΚΙΑ, quia, ut dictum, haec Dacorum portio, quippe in Moesiae finibus posita, Mysi vel Moesi vocati sunt soliti, scilicet ab externis verorum nominum ignaris. Atqui numi, regionis victae testes, nunquam in regione victa feriri consuevere, sed a populo externo, qui adulandi causa res ab imperante bello gestas palam voluit depraedicare, ut supra in Dacia monui, quod quidem in praesente causa tanto magis est verum, quia numus Graece est inscriptus. Non enim constat, urbes Moesiae superioris Graece fuisse locutas, aut etiam earum aliquam hac jam aetate numos signasse. Haec, quae disserui, si tenenda videbuntur, unicus hic est numus Domitiani, qui belli ab eo cum Dacis gesti meminit.

ALMVM.

Huc Cl. Combius revocat numum Hunterianum: ΑΛΜΟΝΙ., neque hunc satis integrum. Periculosum videatur, numum Graece loquentem tribuere huic tractui, quem a Graecis habitatum non constat. Ex typo navis et fabrica est potius insulae cujuspiam Archipelagi.

DARDANIA.

Regio, et pars superioris Moesiae in meridiem sita. Numos cum capite Trajani inscriptos DARDANICI, qui huc pertinent, vide in numis *Metallorum*, qui describentur ad calcem numorum Trajani.

---

a) L. XLIX. §. 36. b) L. LI. §. 22.

Digitized by Google

PINCVM.

Numos: AELIA. PINCENSIA cum capite Hadriani vide inter eosdem *Metallorum* numos.

VIMINACIVM.

Colonia, ut creditur, a Gordiano III. deducta, cujus copiosissimi exstant numi inde ab hoc imperatore usque ad Gallienum, et quorum plena est concordia cum numis Daciae paullo ante recensitis. Fuit oppidum Istro adsitum, et creditur stetisse, quo hodie loco est oppidum *Ram.* c).

Epigraphe constans: P. M. S. COL. VIM. id est: *Provinciae Moesiae Superioris* COL*onia* VIM*inacium.*

Typi:

Mulier stans inter taurum et leonem. In aliis: *Mulier stans d. tenet vexillum, cui inscriptum:* VII., *humi taurus, sinistra aliud vexillum, in quo:* IV. *humi leo.* In aliis: *vexillo dexteriori superne adfixum caput Gordiani, sinisteriori Tranquillinae.* In aliis rarissimis: *Taurus et leo suis singuli vexillis insistunt.* In aliis: *Mulier stans d. leporem tenet, s. vexillum.* Sunt praeterea alii adhuc typi diversi ab citatis hoc loco, sed exiguo discriminis pretio, quos adcurate descriptos videre potes in meo Catalogo musei Caesarei, in Cl. Neumanni Numis pop. et reg., et in meis Numis vet.

Vaillantius d) et Paciaudus e) bovem ad coloniam, leonem ad populi ferociam per colonos mitigatam referunt secundum illud Paulini f): *Sic tuo mitis lupus est ovili, Pascitur concors vitulus leoni.* Ingeniosum istud magis, quam solidum. Idem enim horum animalium est sensus, quem supra in numis Daciae esse aquilae et leonis diximus. Est enim taurus symbolum legionis VII., et leo legionis IV. Id verum esse, docent primum ipsi Viminacii numi, in quorum aliquibus mulier d. vexillum tenet, cui inscriptum VII. adstante tauro, s. aliud vexillum, cui inscriptum IV. adstante leone, quin in rarissimo alio, quem edidi g), taurus et leo superne suo quisque vexillo imminet. Docent deinde hoc ipsum numi legionum Gallieni commatis Romani, in quibus perinde legioni VII. taurus, legioni IV. leo tribuuntur, quod argumentum eodem opere prolixius illustravi. Et testatur Dio h): aetate sua in Moesia superiore stetisse legionem VII. *και ἑβδομοι οἱ ἐν τῃ Μυσια τῃ ἀνω, οἱ τα μαλιστα Κλαυδιειοι ὠνομασται, et Septimani in Moesia superiore, qui Claudii plerumque vocantur.* Tum et in Notitia imperii i): *praefecturae legionis VII. Claudiae Viminacio.* Quartam tamen eodem loco scribit Dio stetisse in Syria, *τεταρτον Σκυθικον ἐν Συριᾳ*, sed vidimus supra in Dacia, eandem legionem V. memorari et in numis Daciae, et Heliopolis Coelesyriae, forte ejusdem legionis cohortibus per varias regiones distributis. Diximus, in horum numorum uno vexillo uni imminere caput Gordiani, alteri caput Tranquillinae, quo typo proponitur mos ve-

c) d'Anville B. L. T. XXVIII. p. 434. Neumann Num. pop. d) passim in Colon. e) in Gorii Symbol. Florent. T. III. p. 233. f) Poem. 30. g) Num. vet. p. 50. h) L. LV. c. 23. i) in Moesia I.

Digitized by Google

tostus, Augustorum capita vexillis praefigendi.

AE. I. C. AE. II. III. R.

De epocha Viminacii et Daciae numis inscripta.

Viminacii et Daciae numi in segmento inferiore aerae annos constanter inscriptos ostentant sic: AN. I. II. etc. Vtriusque principium diversum, nam, ut mox videbimus, Viminacium suos computat annos ab anno V. C. 993. imperante Gordiano, et Dacia ab anno V. C. 1000 imperante Philippo. Neutrius principii causa certa et explorata. Fuere, qui annorum Viminacii principium repeterent ab itinere, quod per Moesiam instituerat Gordianus, qua occasione barbaros quoque repulerat, qui eum tractum infestum reddidere. Verum Capitolinus eam profectionem anno V. C. 995 adfigit, et anni numorum jam inde a biennio procedunt. Verisimile tantum, Gordianum dicto anno Viminacium propter situs opportunitatem ampliasse additis oppido munitionibus, et deducta colonia, necessaria tum ob barbaros vicina praedantes providentia. Constat vero etiam, Philippum, qui Gordiano successit, inde ab anno V. C. 998 usque 1000 in Moesia, Daciaque adversum Carpos Gothosque, qui has terras torrentis instar obruerunt, pugnasse. Quibus ejus virtute submotis Dacia sibi reddita, aucta colonis, munita legibus novam incepit epocham deductam ab anno V. C. 1000, quo operi universo suprema manus imposita.

Cum anni utriusque numis inscripti multum valere ad chronologicam imperatorum historiam credantur, operae pretium videtur, adjicere hoc loco tabellas, quae contineant annos cum suis imperatoribus, quotquot reperire potui.

ANNI VIMINACII.

AN. I. Gordianus . . . . . respondet anno V. C.	993.
AN. II. Gordianus	994.
AN. III. Gordianus, (obvii) Philippus sen. (Noris de numo Licinii.) . . .	995.
AN. IV. Gordianus, (obvii) Philippus sen. (Noris l. c. Neumann.)	996.
AN. V. Gordianus, Philippus	997.
AN. VI. Philippus	998.
AN. VII. Philippus	999.
AN. VIII. Philippus	1000.
AN. IX. Philippus	1001.
AN. X. Otacilia. (Vaill.) Decius. (Mus. Caes.)	1002.
AN. XI. Otacilia. (Mus. Caes.) Volusianus. (Arigoni.)	1003.
AN. XII. Decius, Gallus, Volusianus. (Mus. Caes.) Aemilianus, (Arigoni.) Valerianus. (Arigoni.)	1004.
AN. XIII. Etruscilla. (Bandur.) Hostilianus, (Vaill.) Gallus, Volusianus. (Mus. Caes.)	1005.

Digitized by Google

AN. XIV. Gallus, Aemilianus, Valerianus. (Mus. Caes.) . . . . . 1006.
AN. XV. Mariniana. (Mus. Caes.) . . . . . 1007.
AN. XVI. Valerianus, Gallienus (Mus. Caes.) . . . . . 1008.

ANNI DACIAE.

AN. I. Philippus . . . . . respondet anno V. C. 1000.
AN. II. Philippus . . . . . 1001.
AN. III. Philippus, Decius. (Mus. Caes.) Volusianus Aug. (Bandur.) . . 1002.
AN. IV. Decius . . . . . 1003.
AN. V. Decius, Gallus, Volusianus Aug. (Mus. Caes.) . . . . . 1004.
AN. VI. Gallus, (Bandur.) Valerianus, (Mus. Caes.) Gallienus. (Bandur. Neumann.) . . . . . 1005.
AN. VII. Hostilianus Aug. (Vaill.) Aemilianus, (Vaill.) Gallienus. (Vaill.) . 1006.
AN. VIII. Aemilianus, (Mus. Caes. Neumann, Arigoni) Valerianus. (Mus. Caes.) . . . . . 1007.
AN. IX. Valerianus. (Mus. Caes.) . . . . . 1008.
AN. X. Gallienus. (Mus. Caes.) . . . . . 1009.

Jure ex hoc catalogo exclusi numos Alexandri Sev. et Jul. Maesae, quos promulgavit inauditorum monstrorum praeco Goltzius: COL. VIM. AN. I. et AN. II. Istud mendacium, sed viris gravissimis male creditum movit Norisium [k]), et Valsechium [l]), ut negarent, his notis exprimi annos deductae coloniae, sed eam rem adhuc in obscuro latere profiterentur. Idem sensit etiam Tristanum secutus Patinus, [m]), sed necesse illi fuit sic sentire, cum in numos commentaretur, qui, quoniam ab aetatis injuriis, ut videtur, male habiti fuere, quoscunque velis annos, et quocunque ordine obtulere. Catalogus, quem coram vides, contextus est ex numis, quos vidi ipse in museis Austriacis, quae propter viciniam Viminacii et Daciae opibus abundant, aut iis, quos recensent catalogi, quorum apud nos major auctoritas. Secundum propositam hanc seriem apparet sane, cum secundum succedentes sibi imperatores crescant numeri inscripti, hos veram habere rationem epochae, etsi nonnulli alienam stationem temere insedere, ut dicetur.

Epocham Viminacii ducendam ab anno A. C. 993, demonstratur ex numis AN*no* V. notatis, qui communis est tam Gordiano, quam Philippo. Cum igitur constet, annum V. C. 997. fuisse postremum Gordiani, et primum Philippi, hicque in Viminacii numis dicatur annus V., necesse est, primum hujus coloniae annum respondere anno V. C. 993. Eodem modo, cum in numis Daciae cum Philippi, tum Decii

k) Diss. de num. Licin. c. 6. l) de trib. pot. Elag. p. 42. m) Numi. impp. in Gordian.

Digitized by Google

legatur AN*nus* III., fueritque annus V. C. 1002 illius postremus, hujus primus, probatur, Daciam annos suos supputare coepisse ab anno V. C. 1000. Idem probat etiam annus V. communis cum Decio et Gallo.

Quaeri potest, coeperitne utriusque populi annus in autumno more orientalium, an Kalendis Jan. more Romanorum? Posterius multo magis verisimile, quoniam Romanorum coloni materno etiam instituto sese adcommodaverint. Hoc eorum institutum etiam ex numis commode probatur. Si annus I. aerae Viminacii coepisset in autumno V. C. 993, sic ut deinceps singulis autumnis fuisset iteratus, sequeretur, annum V. incepisse in autumno V. C. 997. At copiosi sunt Gordiani numi cum anno V., qui tamen primis mensibus anni 997. caesus jam est. Neque dici potest, annum I. Viminacii coepisse forte in autumno V. C. 992, et deinceps per singulos autumnos iteratum. Nam in hac sententia annus X. incepisset in autumno V. C. 1001, et exivisset in autumno 1002. Certum est, toto hoc tempore, quod secundum hanc legem annus X. occupat, imperasse adhuc Philippum, et tamen promulgati sunt numi, qui Decium cum anno X. conjungunt. Item coepisset tum in autumno anni V. C. 1004 annus XIII. Viminacii. Gallus ante exeuntem Novembrem ejus anni imperium non obtinuit, et tamen in ejus numis legitur annus XII. Eodem modo ex numis Daciae cum anno III. et capitibus Philippi et Decii, item cum anno V. et capitibus Decii et Galli probatur, hujus quoque annos Kalendis Jan. iterari solitos.

Ceterum quanta in his Daciae et Viminacii numis regnet perversitas, dum imperatoribus tribuuntur anni, alieni certe, si ex indicato principio sunt deducendi, facile ex propositis catalogis potest intelligi. Numos adeo discordes, quique eruditissimo cuique nullo pacto domari posse visi sunt, tamen ut certis legibus vinciret, rationem se reperisse autumabat eruditus Mazzolenus [n]). Duo utrique populo statuit fuisse aerae exordia, sic ut Viminacio unum fuerit, et in plerisque ejus numis conspicuum ab anno V. C. 993, alterum minus usitatum ab anno 995, Daciae principium maxime usitatum ab anno V. C. 1000, alterum rarius adhiberi solitum ab anno 1002. Ne vero multiplices hae aerae incredibiles videantur, jubet respicere Antiochiam, Sinopen, aliasque urbes, quae ipsae quoque variis epochis a vario capite derivatis usae sunt. Non vereor adfirmare, quantumcunque sibi in singulari hoc suo invento plaudat Mazzolenus, sententiam hanc ne probabilis quidem conjecturae laudem mereri. An enim verisimile, hanc annorum confusionem in utroque populo publica lege stabilitam, et in monumenta publica induetam? Exstant numi Viminacienses Philippi, quorum uni, sed rari, inscripti AN. IIII., alii frequentes AN. VI. Quoniam annus IV. Viminacii, si hic ab anno V. C. 993. deducatur, in imperium Philippi non porrigitur, eum Mozzolenus ab anno V. C. 995 derivat. Ergo eodem anno V. C. 998.

n) de trib. pot. p. 162, et 173. o) l. c. p. 162.

Digitized by Google

Viminacii signati sunt numi cum anno IV., alii cum anno VI. An istud sibi quis persuaserit? Eodem modo cum Valerianus nondum imperaverit anno Daciae VI., si hic ab anno V. C. 1000. deducatur, necesse est, ait, hunc deduci ab anno 1002. Sed hoc ipso anno copiosos habemus Valeriani numos inscriptos AN VIII., ergo eodem anno signati sunt in Dacia numi cum anno VI. et VIII.? Quid quod tertiam etiam aeram, si Mazzolenum sequare, possis elicere. Refert Bandurius numum Volusiani jam Augusti percussum in Dacia cum anno III. Dictante Mazzoleno ducendus hic numus ab altero epochae principio V. C. 1002, ergo numus hic signatus est V. C. 1004, quo tamen anno Volusianum jam Augustum vix probaveris. Sed nolo longius urgere virum eruditum; nam si opus est, etiam in tertiam Viminacii aeram inclinat, ut ipse profitetur P). Inique vero idem vir clarissimus Antiochiam, Sinopen, Amisum etc. obtendit, quae singulae variis essent epochis usae, nam non de hoc, sed utrum uno eodemque tempore in monumentis publicis variae adhibitae sint aerae, eaeque biennii tantum intervallo distantes, hoc loco quaeritur. Quod si in nonnullis urbibus plures una epochae in usu fuere, plures etiam numis inscripsere, ut Ascalone factum observamus. Ceterum praetensam urbium inconstantiam, atque intra breve tempus ab una epocha ad aliam transitum, atque iterum reditum, quem non pauci viri insignes perperam adfinxere, copiose per hoc opus impugnatum reperies, etsi aliquot urbes, ceu Apamea, Seleucia, Tripolis ab inconsulta hac levitate absolvi non possint.

Refutatis his superest quaerere, cum in Viminacii ac Daciae numis observemus annos, qui spectato epochae principio non incidunt in imperium ejus, cujus capiti juncti sunt, quamnam esse hujus dissidii causam existimemus. Eam sane ab una rerum omnium hoc aevo perturbatione profectam puto, cum barbari in hoc tractu, ut ex historia imperatorum constat, ferrent omnia raperentque, nihilque legibus ordinariis peragi paterentur. Quare defectu matricum, quae in tempus quadrabant, veteres in scriniis repositas ad fallax obsequium revocavere, quod sane sese ita habere ex ipsis erroribus non obscure potest colligi. Nam vix reperies in omnibus his numis notari annum, qui esset posterior imperio ejus Augusti, cum quo jungitur, sed annos semper anteriores observaveris, manifesto argumento resumptae veteris matricis. Ita Viminacium tibi dabit annos III. et IIII. in Philippo, annum XI. in Volusiano jam Augusto, annum VI. in Valeriano et Gallieno, qui sunt anni principum praecedentium. Non moror numum Viminacii cum anno XIII. in Etruscilla, qui annus est imperio mariti Decii posterior, nam eum Bandurius ex Vaillantio recitat, eumque ipse non vidit, et ipse praetensam hanc Vaillantii lectionem in dubium vocat. Neque moror etiam numum Daciae cum anno VII. in Hostiliano, cujus patrem Decium jam ante hunc Daciae annum occubuisse constat. Nam ab hoc ipso numo confir-

P) l. c p 162

Digitized by Google

matur etiam, quod refert Victor uterque et Zosimus, Hostilianum caeso patre aliquamdiu cum Gallo imperasse. Ceterum arctior esset haud dubie mendacium in his numis annorum catalogus, si omnes hactenus editi alterum examen subirent. Sane in museis Austriacis, quae utriusque populi numis ad fastidium referta sunt, complures ex iis videre non licuit, quos sibi visos professi sunt alii. Denique ex hactenus dictis satis apparet, Viminacii ac Daciae numos propter tot fallaces annorum numeros ad chronologicam imperatorum historiam nequaquam tantum adferre subsidii, quantum non paucis viris eruditis visum.

Ex annis Viminacii rarissimus est ANnus X., sic ut timide ambigat Neumannus, utrum is revera in Viminacii moneta existat q), etsi aliquot cum hoc anno promulgaverit Vaillantius. Vnicus Decii est in museo Caesareo, in quo eum esse annum scriptum, nonnihil fidenter possim adfirmare. Quanta adeo fides sit habenda Panelio, qui annum X. reperit non modo in numis utriusque Philippi, sed et Decii, Etruscillae, Herennii, et Hostiliani r) suapte patet.

MOESIA INFERIOR.

CALLATIA

Ad Euxinum, condita ab Heracleotis Ponti, ut tradidere Strabo, Scymnus, et Memnon apud Photium.

Autonomi.

Epigraphe: K. solum. (Neumann.) ΚΑΛ. ΚΑΛΛΑΤΙ. ΚΑΛΛΑΤΙΑΝΩΝ.

Typi:

ΚΤΙCΤΗC. *Caput Herculis.* (Pellerin, Mus. Caes.) Is nimirum per Heracleotas urbis conditor est habitus, ac propterea in aversa numorum hujus urbis habes saepe ejus attributa, *pharetram*, *clavam*, *arcum*. (Mus. Caes.) In numo simili apud Goltzium et male legitur ΚΑΛΑΤΙΑΣ, et male tribuitur Galatiae.

In aliis: *Cupido leone vectus s. facem.* (Pellerin.) *Delphinus clypeo adfixus.* (Ibid.) *Clypei plures in orbem dispositi, ceu in numis Macedonum*, (Neumann.) sed habetur idem quoque typus in moneta Paesti Lucaniae, et Philadelphiae Lydiae. *Duo equites*, (Theupoli.) haud dubie Dioscuri magnae per Pontum famae. *Spicae aut solae, aut juxta alium typum. Cybele sedens.* (Mus. Caes.) Singularis est in Hunteriano ΦΙΛ. ΚΑΛ. *Clava.* Quae sit significatio τῆς ΦΙΛ. ignoro. Cl. Combius *Philocaleam* Ponti indicari censet.

AR. RR. AE. RR.

Imperatorii.

A Faustina jun. et Lucilla, quarum numi sunt apud Arigonium, et in museo Caesareo, usque ad Philippum jun.

Typi obvii variorum numinum. Insignior est: *Hercules aprum Erymanthium gestans.* (Mus. C. Vitzai.)

Literae solitariae: E. in Pellerinianis et in citato Vitzaiano, Γ. in autonomo Theupoli. Id genus literas frequenter in

q) Num. pop. P. II. p. 127. r) in num. Treboniani.

Digitized by Google

aversa numorum Moesiae et Thraciae intuebimur, quas esse monetariorum notas verisimile est, ut videbimus.

AE. RR.

DIONYSOPOLIS.

Ad Euxinum. A Plinio Thraciae inseritur, dicta primum Cruni, deinde Matiopolis, denique cum e mari appulsa esset Bacchi statua, Dionysopolis, ut narrat auctor anonymus peripli Euxini.

Autonomi.

Hoc nomine inscripti aliquot recensentur, verum non ausim definire, utrum huic prae altera Phrygiae sint tribuendi. Juvat tamen eos hoc loco recensere. Quibus id genus numi praesto sunt, ex fabrica augurium captent.

Caput muliebre velatum. ΧΔΙΟΝΤΣΟΠΟΛΙΤΩΝ *in corona spicea.* AE. III. (Theup.) ΔΙΟΝΤCΟΠΟΛΙΤΩΝ *intra quernam. (Pembrock.)*

Caput Sarapidis. ☧ΔΙΟΝΤΣΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Mercurius.* (la Mortraye Voyage T. II. tab. 7.)

Caput muliebre, retro thyrsus. ☧ΔΙΟΝΤΣΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Bacchus stolatus stans d. cantharum, s. thyrsum.* AE. II. (Mus. Caes.) Fabrica potius in Phrygiam invitat.

Caput Bacchi. ☧ΔΙΟΝΤCΟΠΟΛΕΩC. *Typus priori fere similis.* AE. Numum hunc Panelius Phrygiae tribuit. (Num. Cistoph. p. 39.)

AE. RRR.

Imperatorii.

A Severo usque ad Gordianum eadem inscriptione, typis variis, et obviis.

Literae solitariae: B. *(Vaill. in Sev.)* Δ. (Mus. Caes.) quos more suo Vaillantius annos imperii putat. Ii, in quibus hae notae reperiuntur, absque dubio hujus sunt Moesiae urbis.

AE. RR.

ISTRVS.

Ad Euxinum, primo Istri ostio vicina, a quo et nomen accepit. Varie a veteribus scribitur, ut videre est apud Cellarium. Fuisse Milesiorum coloniam docent Strabo, Scymnus, Plinius. Cum πολιχνιον eam vocat Strabo, loquitur de sua aetate; nam fuisse olim potentem, testatur Ammianus [s]), et confirmant residui copiosi numi argentei, et aurei nonnulli.

Autonomi.

Epigraphe: ΙΣΤΡΙΑ. etiam retrograde, et ΙΣΤΡΙΗ., quae sunt posita pro ΙΣΤΡΙΑΝΩΝ et ΙΣΤΡΙΗΝΩΝ.

Typi perpetui: *Capita duo juvenilia in diversum spectantia.* ☧ *Aquila piscem depascens.*

Haec capita Vossius censet esse fluvii Istri, qui olim credebatur binis meatibus in mare exire, uno in Euxinum, altero in Adriaticum; nam ostia Graecis et Latinis dicta fuere capita [t]). Begerus ad urbis situm, qua finitur Europa et Asia, refert. Cl. Wise capita Dioscurorum putat. Haec enim sidera nautis salutaria, et praeter-

---

s) L. XXII. t) Observ. ad Melam p. 125

Digitized by Google

ea eorum fatum secundum Pindarum [u]): *μεταμειβομενοι δ' ἐναλλαξ ἀμεραν την μεν παρα πατρι φιλῳ Διῖ νεμονται, την δ' ὑπο κευθεσι γαιας, per vices diem unum apud patrem charum Jovem habitant, alterum sub profunda terra*, hoc symbolo putat indicari. Quae postrema conjectura non modo summe est ingeniosa, verum etiam propterea verisimilis, quia singularis fuit in Ponti urbibus Dioscurorum cultus, quem numi ipsi satis manifestant.

Literae solitariae in area, ut: A. Λ. O. X: etc. monetariorum discrimina.

AV. apud Begerum et Pellerinium RRRR. AR. C. AE. RRR.

Imperatorii.

Caracallae et Alexandri Sev. (Vaill. Arigoni.)

Epigraphe: ICTPIHNΩN. *Typus* insignior: *Serapis eques, humi lapis quadratus, aut arula.*

AE. RRR.

MARCIANOPOLIS.

Aliquanto a mari remotior, sic vocata a Marciana Trajani sorore, ut testantur Ammianus, et Jornandes, qui posterior ejus exstruendae occasionem prodidit [x]). Filiae Matidiae nomine conditam urbem *Matidianopolin*, atque etiam numum reperit solus Goltzius.

Autonomi.

MAPKIANOΠOΛIC. *Caput muliebre turritum.* Σ MAPKIANOΠOΛITΩN. *Cybele sedens d. pateram.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Similem multo ante edidit Haymius [y]), sed cum in antica aliud non legeret, quam MAPKIA., caput anticae esse Marcianae ipsius credidit, quod tamen est genii urbis exemplo aliarum urbium.

AE. RRR.

Imperatorii.

Abundant a Severo ad Philippos usque.

Epigraphe constans: MAPKIANOΠOΛITΩN, vel: MAPKIANOΠOΛЄITΩN.

Typi ut in tanto numero eximie varii et etsi fere obvii, tamen mythologiam praeclare juvant. Illustriores sunt:

AΓ. TTXH. *Aequitas stans*, in numo Elagabali. (Vaill.)

OMONOIA. Vide infra in *Concordia.*

* * *

Magistratus frequens in his numis mentio. Notatur praefixo T. vel TΠ. nempe *ὑπο*. Raro ejus potentia adscribitur, quem fuisse *ἡγεμονα, praesidem*, conjici forte potest cum ex numo rarissimo, quem certa lineamenta Caracallam faciunt, tum pluribus aliis Alexandri hunc titulum praeferentibus; at in his non scribitur HΓЄMονος, ut in aliarum urbium numis, sed HΓϵM. TЄPЄBЄNTINOT, quod positum pro HΓϵMενϵ ab *ἡγεμαι, praesum.* In numo simili Vaillantius legit: HΓ. M. TЄPЄBЄNTINOT, sed quam proposui lectionem luculentam exhibet numus si-

u) Nem. Od. X. x) in Getic. c. 16. y) T. II. p. 270.

Digitized by Google

milis musei Caesarei. Sed vide, quae de hoc magistratu disseram in proxima Nicopoli. Fuere autem inscripti magistratus:

Sub Severo: ΦΛ. ΟΤΛΠΙΑΝΟΥ. — ΦΑΥCΤΙΝΙΑΝΟΥ.—Κ. ΓΕΝΤΙΑΝΟΥ. —Λ. ΚΤΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. — ΑΥΡ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ.— ΑΥΡ. ΑΠΠΙΑΝΟΥ. — Sub Caracalla: ΑΥ. ΓΑΛΛΟΥ — ΚΤΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. — ΗΓϖΜ. ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΟΥ. — Sub Macrino: ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ. — ΑΓΡΙΠΠΑ. — Vide de hoc in proxima Nicopoli. — Sub Elagabalo: ΙΟΥΛ. vel ΙϖΛ. ΑΝΤ. CΕΛΕΥΚΟΥ. — CΕΡΓ. ΤΑΤΙΑΝΟΥ.— ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΟΥ. — Sub Alexandro: ΤΙΒ. ΙΟΥΛ. ΦΗCΤΟΥ. — ΗΓϖΜ. ΤΕΡΕΒΕΝΤΙΝΟΥ. — ΦΙΡ. ΦΙΛΟΠΑΠΠΟΥ. — Ιϖ. ΓΕΤϖΛΙΚ.— Sub Gordiano: ΤΕΡΤΤΥΛΛΙΑΝΟΥ. — ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ. Sub Philippo: Τ. ΜΕCCΑΛΛΑ. — Λ. ΚΤΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ.

* * *

Concordia notatur in praestante numo max. mod. Gordiani: ΟΜΟΝΟΙΑ. *Gordianus togatus stans dexteram jungit cum muliere capite turrito adstante.* (Mus.Caes.) Ex ipso typo liquet, indicari ὁμονοια urbis cum imperante.

* * *

Litera solitaria Ε, qua annum V. imperii indicari ait Vaillantius [z]). Verum cum ea, neque alia, in omnium fere imperatorum numis reperiatur, mirum sane, unum hunc annum a Marcianopolitis monetae insertum. Ad haec cum idem Ε obvium sit in Macrini quoque numis, qui altero imperii anno caesus est, certi sumus, annum imperii notare non posse, sed esse notam monetarii, ut in plerisque hujus tractus numis.

AE. C.

NICOPOLIS.

Mediterranea ad Istrum, et Iatrum in hunc exeuntem secundum Jornandem [a]). Condita a Trajano, indicium victoriae Dacicae, ut ait Ammianus [b]).

Autonomi.

Non exstant, dempto unico, qui simul concordiam notat, quem sic describit Motrayus: (Voyage T. I. tab. 14. n. κζ.)

ΝΙΚΟΠΟΛΙ. ΠΡΟC. I. *Mulier stans d. pateram, s. cornucopiae.* Ɪ ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Luna et astrum.* AE. III.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Horum primus a Vaillantio, Morellio [c]), et in museo Theupoli recensetur cum capite ipsius conditoris:

ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙΑΝΟC. CΩΤΗΡ. ΤΗC. ΠΟΛΕΩC. *Caput laur.* Ɪ ΝΕΙΚΟΠΟΛΙC. *Victoria gradiens.* AE. II.

At enim hic numus est forte Nicopoleos Epiri.

Sequitur apud Vaillantium alter Hadriani. In museo Caesareo his numis locuplete primus est Commodi, reliqui usque ad Gordianum magno numero excurrunt.

---

a) In Gordiano. z) in Getic. b) L. XXXI. c. 16. c) Spec. p. 213.

Digitized by Google

Epigraphe: ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ, rarius ΝΕΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ, addita Istri mentione, de qua infra.

Typi insigniter variant argumentis plerumque mythologicis. Ex his unus memorandus videtur:

ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΟϹ. *Senatus, populus. Pastor rupi insidens dexteram supra caput attollit, s. pedum, pro pedibus canis, pone arbor*, in numo Domnae. (Vaill.)

Mirus nexus pastoris cum senatus populique epigraphe.

* * *

Magistratus in numis II. formae plerumque inscribitur praefixo Τ. vel ΤΠ. Sunt vero.

Sub Severo, Caracalla, Geta: Λ. ΑΥΡ. ΓΑΛΛΟΥ. — ΦΛΑΟΥ. — ΟΥΛΠΙΑΝΟΥ. — Λ. ΟΟΥΙΝΙ. ΤΕΡΥΤΛΛΟΥ. (Mus. Caes.) ΑΠΟΛΛΥϹ. (Theup.)

Sub Macrino et Diadumeniano: ΑΥΡ. ΛΟΝΓΙΝΟΥ. — ϹΤΑ. vel ϹΤΑΤΙ. vel ϹΤΑΤΙΟΥ. ΛΟΝΓΙΝΟΥ. — ΑΙ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ. — ΚΛ. ΚΤΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. — Κ. vel ΚΛΑΥ. ΑΓΡΙΠΠΑ. — ΜΑΡΚ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Hunc Agrippam Froelichius [d]) eundem putat, de quo Dio in fragmentis a Falcone editis: *Marcium Agrippam* Macrinus *in Pannoniam primum, deinde in Daciam eum praesidis potestate* (ἡγεμονικὴν ἀρχὴν) *misit.* Fuisse eum conscium caedis Caracallae a Macrino patratae tradit Spartianus: *non ignorantibus Marcio Agrippa, qui classi praeerat.*

Sub Elagabalo: A. NOB. vel NOBIOΥ. ΡΟΥΦΟΥ. vel ΡΟΥΦΟ. Vaillantius et Froelichius numos hoc magistratu inscriptos promiscue tribuerunt jam Caracallae, jam Elagabalo. Cum caput in his numis sit admodum juvenile, si essent Caracallae, fuissent signati vivo adhuc Severo, ac tum mirum foret, non exstare numos Severi, Domnae, Plautillae, Getae cum eodem magistratu etsi in Nicopolis numis saepe prodito, ut revera non exstant. Et vero etiam lineamenta Elagabalum facile probant.

Sub Gordiano: ϹΑΒ. ΜΟΔΕϹΤΟΥ.

Quaeri jure potest, utrum varia haec nomina, quae tam hujus Nicopolis, quam praecedentis Marcianopolis monetae inscripta leguntur, indicent magistratum domesticum, an ἡγεμονα, sive totius provinciae praesidem. Pro hoc praeside valida hercle sunt argumenta, I. Fl. Vlpianus, Pontianus, Agrippa inscripti quoque sunt numis Marcianopolis, et quidem sub iisdem imperantibus, unde sequitur, fuisse eos magistratum, cujus potestas latius in provinciam porrigebatur, quod magistratui domestico non convenit. II. Paullo supra in Macrini numis vidimus Marcium Agrippam, et revera hoc nomine praesidem ab eodem Macrino in Pannoniam, Daciamque missum diximus, cum qua forte tum Moesia conjuncta fuerit. At contra est I., quod ἡγεμονες nunquam sibi praepositionem ΤΠΟ praefixere, posito semper absolute v. g. ΗΓΕ, ΤΟΥΛ. ΜΑΞΙΜΟΥ. Verum istud levius, merique, ut videtur, res arbitrii. II. quod multo pugnat validius: si his nominibus vere notaren-

d) IV. Tent. p. 293.

Digitized by Google

tur praesides, sequeretur, sub Macrini imperio, quod nonnisi annum, et menses duos duravit, quinque varios fuisse praesides, quia totidem varios cum hujus, filiique capite numis inscriptos habemus, et forte his adhuc plures, quia nondum omnes nobis Nicopolis numi cogniti sunt. Verum est, idem argumentum pugnare etiam contra magistratum domesticum, atque ut verum fatear, nondum reperi, quo pacto difficultatem hanc expediendam putem.

Mentio situs ab adluente urbem Istro sic: ΠΡΟC. I. IC. ICT. ICTP. ICTPO. ICTPON. etiam ΠΡΟC. ICTPΩ., quo addito facile ejus numi a numis aliarum urbium eodem nomine praeditarum dignoscuntur. Ad quod discrimen confert etiam, quod nullus numus, qui Trajano prior sit, huic possit Nicopoli tribui.
AE. C.

T O M I.

Ad Euxinum versus Istrum, ab Ovidii exilio celebres.

Autonomi.

In horum vetustioribus, quantum ex fabrica apparet, est epigraphe: TOMI. In his typi: *Equi duo medio corpore imminente unicuique astro.* (Pellerin. Mus. Caes.) *Aquila fulmini insistens inter duos pileos Dioscurorum.* (Mus. Caes.) Ex posteriore hoc numo apparet, etiam equos numi prioris esse Dioscurorum, satis jam alias eorum per Pontum cultu cognito.

Recentioris aetatis sunt inscripti: TOMITΩN. TOMEITΩN. TOMITHNΩN. (Pellerin, Mus. Caes.)

TOMOC. vel: TOMOC. KTICTHC. vel: TOMOT. ΗΡΩΟC. *Caput Tomi laureatum, rarius diadematum.* (Mus. C.)

Docent hi numi, creditum Tomitanis, Tomum quempiam, de quo tamen altum apud veteres silentium, fuisse urbis suae conditorem. Forte is dux fuit coloniae Milesiae in hanc oram profectae; nam Ovidius hanc urbem *Miletida* vocat [e]), et alio loco [f]):

Huc quoque Mileto missi venere coloni.

Verum istud non conspirat cum verbis ejusdem Ovidii narrantis eodem loco, urbi nomen inditum, quod illic Medea, quo insequentem patrem moraretur, fratrem Apsyrtum in frusta dissecuit, in qua sententia fuere etiam Apollodorus et Stephanus. Variavit igitur Tomitanorum opinio de urbis suae origine.

* * *

ЄΡΜΟΓЄΝΟΤ. *Protome Palladis.* Ɪ TOMITHNΩN. *Amazon eques.* AE. II. (Pellerin.)

Patet ex hoc numo, etiam Amazonum historiam cum Tomis connexam, etsi nullo istud auctore nobis cognitum.

* * *

Magistratum, sed nulla dignitatis mentione, et raro inscripsere numis. ЄΡΜΟΓЄΝΟΤ mox vidimus. ΘЄΟΔΟΤ. in numo musei Caesarei.
AE. R.

---

e) Trist I. eleg. 9. f) Trist. III. eleg. 9.

Digitized by Google

Imperatorii.

Exstant a Trajano usque ad Philippos secundum Vaillantium et Pellerinium, Tiberii unum reperit Sestinus g).

Epigraphe simpliciter TOMITΩN usque ad Aurelium, deinde TOMEΩC additis titulis, de quibus mox.

Typi nihil memoratu dignum offerunt.

Metropolis et mentio situs: MHTPOΠ. ΠONTOT. TOMEΩC. fere constanter inde ab Aurelio, sed *ro* MHTPOΠ. jam legitur in numo Antonini musei Theupoli. Ergo ab hoc videtur metropoleos dignitatem nacta, forte tum, quando Tauroscythas Olbiopoli infestos missis auxiliis repressit, ut refert Capitolinus. Singularis est inscriptio in numo Mamaeae: TOME. ΠONT. (Pellerin Mel. II. p. 186.) Additur verbum ΠONTOT, quod urbs Ponto adsita esset, non quod is tractus Pontus proprie vocaretur, quo nomine aliquot Asiae minoris provinciae Euxino adsitae vocatae fuerunt. Ex eadem causa etiam Apollonia Thraciae addit: EN. ΠONTΩ.

Neocoratus notatur in unico Domnae: MHTPOΠ. ΠONTOT. NEΩK. in area Δ, (Pellerin.) in quo, etsi urbis nomen desit, tamen satis per reliquum epigraphes modum, et literam Δ Tomi indicantur.

Navarchis. Hunc illi quoque honorem accessisse docet insignis numus Caracallae: MHTPO. NAT. ΠON. TOMEΩC. (Pellerin Suppl. II. p. 56.)

Literae solitariae. In area plerumque visitur solitarium Δ. Vaillantius in explicandis his literis peracutus, at fere semper infelix, illo notari TETAPTHΣ putat, quasi Tomi quarta fuissent metropolis Ponti, cum in Ponto Asiae minoris jam tres essent, Nicomedia, Amasia, et Neocaesarea h). Verum in museo Caesareo servantur numi Aurelii, et Tranquillinae, apud Pellerinium Plautillae, in Theupoli Otaciliae cum litera Γ. Qui obtusiore sumus ingenio, harum literarum sensum nos ignorare profitemur, et inter notas monetariorum solito ac percommodo effugio amandamus. Tamen illustrius quiddam illis indicari, verisimile facit numus Alexandri apud Arigonium, in quo litera Δ ipsi templi fronti inserta est.

AE. C.

THRACIA.

Amplae hujus regionis moneta pro varia urbium aetate ac situ variae est naturae. Quae mari Aegaeo, Propontidi, Ponto adsitae fuere, pleraeque coloniae Graecorum, et pervetustae famae, quales sunt Abdera, Aenus, Maronea, atque etiam vicina insula Thasus, remotissimo aevo copiosos et lautos ex argento numos signavere, Thracia mediterranea tum adhuc barbara, et egenis regibus serviente. Post Alexandri M. mortem eam sibi vindicavit Lysimachus, cujus poten-

g) Lett. T. IV. p. 91. h) Num. Graec. p. 209.

Digitized by Google

tiam ac opes in hunc diem testantur numi frequentes aurei argenteique pondere suo conspicui. Ab ejus morte Thracia lacerata a Gallis advenis, subinde reges iterum indigenas, atque hos demum Romanis obnoxios habuit, dum ab his in provinciam redigeretur. Quo istud tempore contigerit, vetus est inter eruditos dissidium. Alii factum istud a Claudio statuunt, secuti Eusebii Chronicon, ejusque adseclam Syncellum, alii a Vespasiano, quia de hoc Suetonius: i) *item Thraciam, Ciliciam, et Commagenen ditionis regiae usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit*, sed quo loco non pauci viri praestantes pro *Thraciam, Ciliciam*, legendum putant: *Tracheam Ciliciam*, nam constat, Ciliciam divisam fuisse in Campestrem, et Tracheam, sive asperam. At enim Suetonii lectionem vulgatam de Thracia a Vespasiano in provinciam redacta confirmat quoque Eutropius, ejusque metaphrastes Graecus Paeanius. Vide de hac lite plura in eruditorum ad hunc Suetonii locum commentariis. Eustathius in suis ad Dionysium notis bis narrat Vespasianum Thraciam ab Europa separasse k). Quod deinde fuerit ejus regimen politicum, non satis constat. Scribit Plinius junior l), Byzantios misisse annuum legatum ad eum, qui Moesiae praeest, publice salutandum. Ex quo conjici potest, Thraciam tum cum Moesia fuisse conjunctam, ut revera docuit Dio, antiquitus binis vel ternis provinciis unum praefuisse m). In eadem epistola narrat Plinius, coercitos a se Byzantiorum sumptus, qui singulis annis legatum Romam miserant ad salutandum principem, unde colligi posset, Thraciam tum sub Bithyniae rectore stetisse, quia tum Plinius Bithyniam cum Ponto rexit. At enim verisimile est, Plinium non potestate ordinaria rexisse Bithyniam, sed legatum potestate extraordinaria a Trajano ad inspiciendum urbium statum illuc missum, ut dicetur in prolegomenis ad numos Bithyniae. Quare fieri poterat, ut ejus imperium ad nonnullas etiam Thraciae urbes tum pertineret. Sub Trajano et Hadriano conditae urbes, a conditoribus, eorumque familia nomen nactae, ut Trajanopolis, Plotinopolis, Hadrianopolis, quae essent praesidio adversum barbaros, jam tum a Boreali tractu imperio metuendos. Numi Bizyae, Perinthi, Philippopolis sub Trajano, Hadriano, Antonino cusi legatos Augusti pro praetore inscribunt, nimirum quia Thracia fuit Augustorum provincia. Dicuntur in numis vel πρεσβευται simpliciter, vel πρεσβευται και ἀντιστρατηγοι. Sed factum sub Antonino, ut deinceps Thraciae rectores non amplius πρεσβευται in numis vocarentur, sed ἡγεμονες, *praesides*. Vaillantius quidem jam Domitiani numum Anchiali signatum prodidit, qui Ap. Claudium Martialem ἡγεμονα apellat, sed vereor, ut ejus numi testimonio stari possit, quem is ex Leon. Augustino auctore non satis idoneo citat. Idem praeses exstat in binis numis Serdicae musei Caesarei, sed cum capite L. Veri. Cur eos, qui antea dicti sunt legati,

i) Cap. 8. k) ad v. 270. et 323. l) L. X. epist. 52. m) l. LIII. §. 12.

Digitized by Google

subinde, et constante quidem lege, appellare libuerit ἡγεμονας, incertum sane. Sed de his praesidibus commemorare hic plura non libet, quia de iis ex proposito agetur alibi. (Vol. IV. p. 224 seqq.)

* * *

Totius gentis nomine binos edidit Vaillantius cum capite Caracallae: KOINΩN. ΘPAKΩN., quos signatos fuisse apud Philippopolin, ex hujus numis patebit.

ABDERA.

Ad mare Aegaeum, urbs Thraciae olim potentissima, atque ut ab incolarum stupore, ita a viris nonnullis insignibus, Democrito, Protagora, aliisque famigerata. Testibus Mela et Solino eam condidit Abdera Diomedis soror, regis in hoc tractu ab immanitate cogniti. Secundum celebre monumentum Herculeum, quod post alios vulgavit Marinius n), ΠOΛIN. ABΔHPAN. EΠI. ΘPAKAΣ. HPAKΛHΣ. ΩKIΣE., *urbem Abderam Thraciae Hercules condidit*, nempe cognominem Abdero Thronici F. Vide et Apollodorum o), et Philostratum p). At verum conditorem ex historia mox dabimus.

Autonomi vetustiores.

Procedant primum ii, qui Abderae nomen dissimulant:

Grȳphus in occasum versus, in area AΣΠA. *vel* HPO. Ɪ *Quadratum in* 4 *partes sectum.* AR. I. (Hunter in numis Teii Ioniae.)

Eadem adversa Ɪ *Dicta in quadrato, quod continetur in majore altero, cui inscriptum* APTEMΩN *addito hederae folio.* AR. I. (Ibid.)

Eadem adversa. Ɪ ANAΞ]ΠOΛIΣ. *Quadratum, intra quod figura gradiens d. pateram praefert.* AR. I. (Pellerin.)

Eadem adversa. Ɪ EΠI. ΠPΩTΩ; *Quadratum, intra quod tres spicae.* AR. III. (Pellerin.)

Gryphus et Abderae nostrae, ut ex proximis numis videbimus, et Teii Ioniae, quae illius fuit metropolis, perpetuus est typus. Difficile adeo est definire, cum in descriptis modo numis nomen urbis non addatur, utri eos jure tribuendos putemus. Cl. Combius priores duos Tejis tribuendos duxit. Mallem tamen eos vocare Abderam, quia numi Maroneae vicinae et Aeni spectatis omnibus causis simillimum habent modum. Ad haec ingeniose conjecit Neumannus noster, videri Tejis tribuendos numos, in quibus gryphus orientem respicit, Abderae, in quibus is in occasum vertitur, et fateor, in numis iis, qui se adscripto urbis nomine distinguunt, experimentum istud raro fallere. Ejus adfine exemplum praebent etiam in moneta sua Apollonia et Dyrrhachium. Abderitae gryphi typum ex metropoli Teo petivere, unde et ejus causa petenda. Ceterum Teji, cum ferre nollent Persarum contumelias, Aderam concessere, unde dictum: Αβδηρα καλη Τηιων ἀποικια, *Abdera pulchra Tejorum colonia*, de qua Tejorum fortuna vide Strabonem et Herodotum.

n) Iscriz. Alb. p. 150. o) L. II. c. 4. §. 8. p) Icones L. II. c. 25.

Digitized by Google

* * *

Gryphus sedens. ℞ *Quadratum incusum.* AR. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΕΚΑΤΑΙΟΣ. *Aquila volans intra quadratum.* ℞ *Gryphus sedens, infra quem folium hederae.* AR. II. (Mus. Caes.)

Numus prior vetustissimus est arguente istud quadrato partis aversae, quod deinde arte sensim proficiente in hoc praecipue tractu retentum quidem testibus numis urbium vicinarum Aeni, Maroneae, Thasi, sic tamen, ut non amplius introrsum hiaret, sed exstaret, et typorum, quos inferre libuit, esset patiens.

* * *

ΑΒΔΗΡ. *Gryphus jacens.* ℞ ΠΟΛΥΚΡΑΤΗΣ. *Vir nudus stans, s. arcum praetendit, d. corollam, pro pedibus hinnulus, omnia intra quadratum.* AR. II. (Mus. M. D.)

Est hic quoque numus operis perantiqui, et a me olim editus [q]). Argumentum aversae explicare difficile.

Autonomi recentiores.

ΕΠΙ. ΕΚΑΤΟΝΤΜΟΥ, *vel alio magistratu. Caput juvenile nudum intra quadratum.* ℞ ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ. *Gryphus sedens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Apollinis. ℞ ΑΒΔΗΡΙΤΩΝ. *Gryphus sedens.* AR. II. (Hunter.)

Epigraphe ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ., eaque frequentior, Ionica est, quia, ut dictum, Abderitae ipsi Iones. Quare et Democritus Abderita Ionice loquens inducitur a Luciano [r]), et teste Aeliano [s]) Hippocrates Doriensis, quippe Cous, in Democriti gratiam libros suos Ionice scripsit. ΑΒΔΗΡΙΤΩΝ alterius numi dialecti communis est a gentili Αβδηριτης. Caput anticae numi prioris verisimile est esse Timesii Clazomenii, quem coloniae Tejae fuisse ducem, condidisse Abderam, a Thracibus deinde pulsum ab Abderitis tanquam heroem cultum tradit Herodotus [t]).

* * *

Magistratus in recto positus, aut praefixo ΕΠΙ, ut vidimus. Ejusdem generis est memoratum Goltzio in simili numo: ΕΠΙ. ΔΙΟΣ. ΛΑΙΟΥ., ex quo Jovem nescio quem elicuit Begerus [u]).

* * *

Numulos argenteos, in quorum una parte est *Caput muliebre adscripto* A *vel* A. K. altera *Jupiter sedens*, restituendos Arcadiae, docebitur in hujus moneta.

AR. R. AE. RRR.

Imperatorii.

Sunt Vespasiani, Antonini, Aurelii, Faustinae jun. (Vaill. Pellerin. Arigoni.)

Epigraphe ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ., typis obviis.

AE. RRR.

AENVS.

Ad Hebri ostia, urbs vetusta et numis vetustis nobilitata.

Autonomi.

Caput galeatum. ℞ ΑΙ. *Caduceus.* AR. III. (Mus. M. D.)

ΑΙΝ. I *inscriptum galeae, qua caput*

---

q) Num. vet. p. 53. r) in vitar. auct. s) V. H. L. IV. c. 20. t) L. I. §. 168. u) Observ. in num. ant.

Digitized by Google

juvenile tegitur. ℞ ANIAΔAΣ. *Capra intra quadratum.* AR. I. (Pellerin.)

Caput galeatum. ℞ AINION. *Capra.* AE. III. (Mus. Caes.) *Caduceus. AE.* III. (Pellerin.)

Caput galeatum plerisque esse Aeneae creditum est, a quo conditam Aenum prodidere Virgilius, Mela, Conon [x]) et Plinius, quamvis alii eam gloriam Aeniae, quae fuit in peninsula Pallene veteris Thraciae, tribuant. Vide Dionysium Halic. [y]) et Cononem [z]). Quin secundum illustre monumentum Herculis res gestas continens, quod restituit Marinius [a]), Aenus nostra jam ante Aeneae fugam stetit. At enim judicio Pellerinii caput illud verius est Mercurii: nam in aliquorum aversa sistitur caduceus hujus dei attributum, et in uno Pellerinii ipse stans; ex quo patet, praecipuum fuisse ejus dei in hac urbe cultum. Etiam caper, qui plerumque horum numorum aversam occupat; ad Mercurium pertinet, et saepe huic in veterum monumentis additur, nimirum ut explicat Pausanias [b]), quia pastorum deus est, et armenta tuetur.

Similem numum inscriptum AINI. Paciaudus Aeniam Macedoniae refert [c]), quae sententia eo plane refellitur, quod in aliis similibus plene scribitur totum AINION, quod secundum omnium testimonia fuit gentile Aeni nostrae, cum aliarum urbium cum nomine adfini gentile diversum sit, de quo vide Cellarium, et Stephanum.

* * *

Caput adversum juvenile galeatum. ℞ AINIOI. *Sedile, ut videtur.* AR. III. (Pembrock.)

Singulare est gentile in recto multitudinis. Eodem modo habemus et ΣTPAKOΣIOI.

AR. R. AE. RR.

Imperatorii.

Talem unum vulgavit Pellerinius. Est Hadriani typo *Fortunae.* Epigraphe singularis: AЄINIΩN. ЄN. ΘPAKH.

Alium Caracallae nuper museo Caesareo intuli: AINIΩN. *Vir seminudus stans equum freno retinet.*

Alium recitat Catalogus d'Ennery [d]): AT'T. KAIC. Π. HЄAT. ΠЄPT. *Caput laur. Pertinacis.* ℞ AHNIΩN. *Diana Ephesia intra templum.* AE. I. Auctor ejus catalogi hunc numum vere antiquum praedicat. Sed turbat scriptum HЄAT. pro ЄAT. vel ЄAB., quod suspicari facit, numum ab artifice linguae Graecae parum perito confictum, tum et insolens AHNIΩN.

AE. RRRR.

AGESSVS.

Vno Goltzio *autonomum* edente, sed quem esse Crotonis, in hujus numis probavimus.

Imperatorium quoque Trajani unus citat Harduinus ex museo regis Galliarum, aliis omnibus ignotum.

---

x) ap. Phot. narrat 46. y) L. I. c. 49. z) l. c. a) Iscriz. Alban. p. 150.
b) Corinth. p. 117. c) Animadv. in num. M. Ant. p. 78. d) pag. 477.

Digitized by Google

ANCHIALVS.

In septentrionem ad Euxinum.

Imperatorii.

A Dominitiano usque ad Gordianum.

Epigraphe ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ. *Typi* multiplices et ignobiles.

Magistratus praeses in numo Domitiani: ΗΓΕΜ. ΑΠ. ΚΛ. ΜΑΡΤΙΑΛΟΥ., quem ex Leon. Augustino citat Vaillantius. Idem magistratus est etiam in binis numis Serdicae, sed cum capite L. Veri. Vide Prolegomena ad Thraciam.

ΗΓΕ. CT. ΒΑΡΒΑΡΟΥ, in numo Severi. (Pellerin.)

Litera solitaria Ε more hujus tractus.

Nomen ab Imperatore Trajano ΟΥΛΠΙΑΝΩΝ, quod proponi coepit sub Severo; et in sequentibus raro omissum est.

* * *

Cum altera fuerit adhuc Ciliciae Anchialus, adhaesere nonnunquam antiquarii, utri numos inscriptos ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ tribuendos putarent. Cum additur magistratus Ηγεμων, aut ΟΥΛΠΙΑΝΩΝ, aut solitarium Ε, facile χριτηριον, quia in hujus tantum tractus numis tria haec valuere. In aliis, in quibus haec desunt, varia fuit eruditorum censura. Vaillantius tres Severi, unum Tranquillinae, qui ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ tantum inscribuntur, Anchialo Ciliciae tribuit. Hujus exemplo Harduinus, auctor musei Theupoli, aliique numos sic inscriptos jam huic, jam alteri Anchialo adjudicavere. Sed enim illorum cum fabrica, tum typi restituendos omnes Thraciae suadent, aut certe nulla suppetit ratio, cur in Ciliciam sint ablegandi. Eadem confidentia Haymius Maximini numum, in quo tres Nymphae stantes, Anchialo Ciliciae largitur [o]). At ipse typus monet, numum Anchialo Thraciae restituendum, nam idem occurrit in numis Apolloniae vicinae, cui Anchialus nostra obnoxia fuit teste Strabone: *ειτ' Αγχιαλη πολιχνιον Απολλωνιατων, deinde Anchiale urbecula Apolloniatarum.* Hactenus igitur certus Anchiali Ciliciae numus conspectus non est. *AE. C.*

APOLLONIA.

Ad Euxinum prope Anchialum.

Autonomi.

Caput Apollinis. Ϟ ΑΠΟΛΛΟΝΙΔ. ΠΟΝΤΟΥ. ΚΟΡΣ. *Duae faces.* AE. III. (Panel Mem. Trev.)

Etsi in lectione vocabuli primi videatur inesse mendum, huc tamen numum pertinere dubitari vix potest propter sequens ΠΟΝΤΟΥ, ut patebit ex imperatoriis.

* * *

Autonomos argenteos: ΑΠΟΛ. cum typo trium Nympharum saltantium hujus esse Apolloniae censuit Pellerinius; verum esse Apolloniae Illyrici, in hujus urbis moneta demonstrabitur. *AE. RRRR.*

Imperatorii.

Horum nullum vidit Vaillantius, neque ex iis, quos aliis hujus nominis ur-

o) Tab. II. p. 353.

Digitized by Google

hibus tribuit, unus videtur huc revocandus. Quatuor tamen, qui jure huc pertinent, protulit Pellerinius: (Rec. III. pag. 203.)

ΑΠΟΛΛΩΝΙΗΤΕΩΝ. ΕΝ. ΠΟΝΤΩ. *Tres Nymphae chorum ducentes*, Domnae. Alius similis Diadumeniani f).

De hoc typo redibit mentio in numis Apolloniae Illyrici. Eodem quoque usa est vicina Anchialus, sed constat etiam, eam huic Apolloniae paruisse, ut in ejus moneta dictum. Epigraphe est Ionica, sed et constat ex Strabone, fuisse Apolloniam Milesiorum coloniam.

Eadem epigraphe. Mulier s. hastam sedens in templo tetrastylo, Severi.

ΑΠΟΛΛΩ. ΠΟΝΤ. *Pallas stans*, Caracallae.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. Π. *Aesculapius stans*, Gordiani.

Ex epigraphe numorum hujus urbis, ut et Tomorum, qui in numis dicuntur Μητροπολις Ποντου, apparet, etiam urbes hujus tractus Ponto Euxino adsitas ab hoc nomen traxisse.

AE. RRR.

ARISTAEVM.

Haemo impositum. Numos ΑΡΙΣΤΙΩΝ ab aliquibus huic urbi tributos esse Cnossi Cretae, dicetur in numis hujus oppidi. Addidit alium Combius ex Hunteriano: *Caput Palladis.* ℞ ΑΡΙ. *Aries.* AE. III. Situs urbis mediterraneus in interiore Thraciae regione, et in vertice Haemi parum favet numo Graece inscripto, et qui est aevi vetustioris. Ad haec Aristaeum vix ac ne vix quidem cognitum. Mallem igitur hunc numum alteri urbi tribuere, et quidem Clazomenis, ut recte conjicit Cl. Sestinus. (Lettere p. 48.) Enim vero iidem in harum numis sunt typi, et nonnunquam in his omissum videmus urbis nomen inserto solo magistratu.

BISANTHE.

Supra Chersonesum ad Propontidem, Samiorum colonia, Bacchi Cererisque donis hodieque dives teste Pocokio g)

Autonomi.

Horum tres sunt in gaza Caesarea.

Epigraphe: ΒΙΣΑΝ. ΒΙΣΑΝΘΗΝΩΝ.

Typi: *Caput Cereris velatum.* ℞ *Corona spicea.* — *Caput Apollinis.* ℞ *Tripus.* — *Caput Palladis.* ℞ *Noctua.* In alio: *Caput Bacchi.* ℞ ΒΙ. *Botrus.* (Neumann.)

AE. RR.

BIZYA.

Mediterranea in regione Astica versus Euxinum sita.

Autonomi.

Caput Neptuni ℞ ΒΙΖΤΗΝΩΝ. *Juppiter nudus stans ad aram sacrificat.* AE. III. (Neumann.)

Caput Jovis. ℞ ΒΙΖΗΝΩΝ *(sic.) Victoria gradiens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Alios duos addidit Hunterus, quorum unus inscribitur: ΒΙΖΤΑΝΩΝ.

AE. RR.

f) Sestini T. IV. p. 92. g) Deser. of East. T. III. p. 143.

Digitized by Google

Imperatorii.

Ab Hadriano ad Philippum, quo postremo imperante insignes maximae formae numos feriit.

Epigraphe constans: BIZTHNΩN.

Typi: *Serapis*, *Isis*, *Harpocrates*, *Aesculapius cum comitatu suo.* In numo Philippi: *Mars d. hastam s. scalam, et clypeum gerens.* (Arigoni.)

Magistratus: primum *legatus*, quem Vaillantius in numo Hadriani legit: ЄΠ. ЄITI. POTΦOT. ΠPЄC. KAI. ANTI. TOT. CЄB., quod sic reddit: *sub Itio Rufo legato et propr. Augusti.* Eodem fere modo is proponitur a Spanhemio [h]). Pellerinius in simili suo legit: ЄΠЄI. TЄI. *sub Tito* [i]). Alterius generis magistratus *praeses:* HΓЄ. ΠOM. OTЄΠЄI-CKOT. in numo Antonini [k]). Vopiscus legitur etiam in numis Hadrianopolis, Pautaliae, Philippopolis.

Litera solitaria B in numo Pellerinii [l]). *AE. R.*

BYZANTIVM.

Ad Bosporum Thracium, jam olim urbs illustris, situ, portuque commodo, fertilitate soli, opulento pelamidum piscatu ex mira causa, de quibus vide Tacitum [m]). Multo deinde illustrior, quando urbi aeternae aequata *Constantinopolis*, et *Nova Roma* dici coepit.

Veterem Byzantiorum monetam fuisse ferream, docuere auctores magni nominis, Aristophanes [n]), et qui ibi a scholiasta citatur, Plato comicus; praeterea Pollux [o]), et Hesychius [p]). Cum ait Aristides rhetor [q]), *εἰ Βυζαντιοι σιδηρεω νομιζουσι, si Byzantii ferrea pecunia utuntur*, aut vetera tempora respicit, aut, si sua, certissime fallitur, nam ejus aetate aeream ab iis signatam, numi eorum superstites invicte docent. Ceterum qualescunque fuere ferrei hi Byzantiorum numi, eorum nullus se hactenus antiquariorum oculis obtulit.

Bandurius omnes hujus urbis numos, quotquot viderat, collegit, et aeri incisos proposuit in imperatoribus Orientis Tom. II. pag. 456, quam illis curam jam olim impendit Ducangius in Constantinopoli Christiana sub initium.

Autonomi.

Epigraphe BTZANTIΩN.

Typi sunt capita variorum numinum, eorumque in aversa attributa.

Illustriores numi alii sunt:

Caput Cereris velatum Ϫ ЄΠI. CΦO-ΔPIA. in alio: ЄΠI. MENIΣ - - *Neptunus seminudus scopulo insidens d. acrostolium, s. tridentem reclinatum tenet, in area monogrammata.* AR. I. (in meis Num. vet. p. 56. Dutens Explic. p. 45. Pembrock P. II. tab. 38.)

Eadem adversa. Ϫ BTZANT. KAΛ-XAΔ. *Idem typus.* AE. fere I. (Mus. Caes. Wilde p. 45.)

Horum prior urbis mentionem dissimulat; loquacior alter pro una duas urbes objicit Byzantium, et Chalcedonem, urbes vicinas, et solo Bosporo diremptas.

h) Tom. II. p. 588. i) Mel. II. p. 69. k) Pellerin Mel. II. p. 77. l) l c. p. 77. m) Ann. XII. 63. n) Nub. v. 248. o) L. VII. §. 106, et L. IX. §. 78. p) in Σιδαρεοι. q) Orat. Plat. T. II p. 145.

Digitized by Google

Certum igitur, quoniam idem in utroque typus, utrumque in alterutra urbe signatum, praeferendum tamen Byzantium, quoniam solebant Byzantii inscribere magistratum praefixo ΕΠΙ. De typo Neptuni vide variorum conjecturas in meis Num. vet. et apud Wilde [r]).

* * *

ΒΤΖΑΣ. *Caput barbatum galeatum.* Ϟ ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ. *(addito magistratu.) Prora navis.* AE. II. (Mus. Caes. Baudelot Util. de Voy. T. I. tab. I. Theupoli, sed in quo numi similes inconsulto tribuuntur Bizyae.)

Caput barbatum diadematum Ϟ ΒΤΖΑΣ. ΚΑΛΧΑ. *Prora navis.* AE. II. (Baudelot l. c. T. II. tab. IV.)

Quis fuerit hic Byzas vario in his numis cultu, controversum. Eusebius in Chronico Thraciae regem facit, ac forte ideo in altero numo diademate praefulget. Diodorus Siculus regem fuisse prodit, qua aetate Argonautae Pontum intravere, urbemque ab eo nomen traxisse [s]). Alia fabulatur Stephanus. Eustathio Byzas vel fuit nepos Ius, vel dux fuit classis Megarensium, qui etiam Byzantium condiderunt [t]). Quiscunque ergo fuit hic Byzas, eum Byzantii agnovere urbis suae conditorem, et intulere monetae. A deo conditum dixit Dionysius Halicarnassensis [u]). Vtrumque conditorem, Byzan, et Constantinum M. memorat Claudianus [x]):

quod tertius urbis
Conditor, hoc Byzas, Constantinusque
videbunt?

* * *

ΒΤΖΑΝ. *Caput Apollinis.* Ϟ ΔΡΑΧΜΑ. *Pharetra.* AE. III. (Pellerin.)

Singularis in hoc numo epigraphe ΔΡΑΧΜΑ, sive valorem ea, sive pondus notat. Ceterum *drachmae* nomen alias solum ad indicandum argentum valuit. Sed et in aeneis Rhodiorum legitur ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ.

* * *

Hami quaedam species intra coronam. Ϟ ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ. *Instrumenta bina, quorum singula binos conos referunt commissa basi.* AE III. (Pellerin.)

Vncum partis anticae esse hamum tanto magis in Byzantii numis verisimile, quoniam thynnorum et pelamidum capturam apud hanc urbem imprimis fuisse nobilem, quin mirabilem, abunde docuere Strabo, Plinius, Tacitus. Quae dixi duo instrumenta partis aversae, Vaillantio, Harduino, aliisque phari confidenter dicuntur, etsi phari nihil omnino habeant. Typus hic, etsi in imperatoriis quoque frequens, adhuc certius explicari postulat.

* * *

Magistratus. Vide in imperatoriis.
AR. RRRR. AE. C.

Regii.

Argentei sunt cum capite Cotyos V., quos dabimus in regibus Thraciae.

Imperatorii.

Frequentes ab Augusto ad Gallienum. Mirum sane, a Byzantiis Augusto, eum-

r) II cc s) L. IV. c 49. t) ad Dion Perieg. c. 803. u) de Orat fun x) in Eutr L II Carm XX. v. 82.

Digitized by Google

que proxime secutis dedicatam monetam, cum eos saltem sub Augusto paruisse regibus, ex numis Cotyos V. doceamur. Forte eos adhuc Augustus libertati suae reddidit. Certe Plinius senior eos liberae conditionis dixit.

Epigraphe constans: BTZAN. BTZANTIΩN.

Typi: *Galea, luna cum astro, delphinus inter duas pelamides, duo praetensi phari, de quibus supra, aliique ignobiles.*

* * *

Magistratus. Hi, quoniam animadversiones non inutiles suppeditant, aliquanto curatius describendi.

1. ΕΠΙ. CΦΟΔΡΙΑ. — ΔΙΟΔΩΡΟΥ. — ΔΗΜΟCΘΕΝΟΥC. — ICATPIKOY. etc. ΕΠΙ. ΜΑΤΡΟΔΩΡΟΥ. ΗΡΟΞΕΝΟΥ. in argenteo Augusti, et Cotyos V.

Ita inscribuntur magistratus tam in autonomis, quam multis etiam imperatoriis ad extrema usque tempora.

2. ΕΠΙ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΟ. Β. Hadriani. (Vaill.)

3. ΕΠΙ. ΔΙΟΝΥCΟΥ. ΤΟ. Γ. Aurelii (Theupoli.)

4. ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. Η. Lucillae. (Vaill.)

5. ΕΠΙ. ΛΟΛ. ΗΡ. in autonomo. (Wise Mus. Bodl. p. 7.)

6. ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΗΡ. in autonomis. (Baudelot Voyage T. I. p. 151. Theupoli, Pembrock P. II. tab. 37. Banduri.) Idem in numo Commodi. (Mus. Caes.)

7. ΕΠΙ. Μ. ΑΡΚΟΥ. Η. ΤΟ. Β. Commodi. (Mus. Caes.)

8. ΕΠΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΤΟ. Β. in autonomo. (Haym.)

9. ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. Caracallae. (Banduri.)

9*. ΕΠΙ. ΝΕΙΚΗΤΟΥ. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Victoria stans armorum struem admota face comburit.* Macrini. AE. m. m. (Mus. Com. Vitzai.)

9**. ΕΠΙ. ΝΕΙΚΗCΤΟΖ. ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ. *Victoria stans d. lauream, s. palmae ramum,* Macrini. AE. I. (Mus. Princ. de Waldeck.)

Si cui postremus tantum hic numus obtigisset, et non etiam praecedens, certus sum, eum numi epigraphen fuisse divisurum legendo: ΕΠΙ. ΝΕΙΚΗC. ΤΟ. Ζ. id est: *de victoria septimum relata,* ac tum idem miratus jure fuisset, qua fiducia victoria septima praedicari potuerit in Macrino mensium XIV. imperatore, et hercle a cladibus, nulla autem victoria cognito. At cum numus praecedens aperte doceat, imperante Macrino apud Byzantios fuisse magistratum dictum *Nicetam*, verisimile plane est, eundem etiam in numo altero intelligendum, quaecunque deinde fuerit causa nominis in hanc formulam detorti. Si aliunde constaret, a veteribus χλευασμὸς in monetam fuisse admissos, libenter crederem, monetarium, ut Macrino in acie victo insultaret, hanc epigraphen confinxisse, et augeret fidem illud, quod narrant historici, eum accepta clade Chalcedonem usque, e regione Byzantii sitam, fuga evasisse, sed inde fuisse retractum. Numum utrumque integerrimum, et nulla fraudis suspicione, vidi ipse. Typus Victoriae ad nomen Nicetae adludit.

Digitized by Google

10. ЄΠΙ. ΔΑΤΙΑΝΟΥ. ΗΡ. Elagabali. (Arigoni.)

11. ЄΠΙ. ΑΡ. ΔΙΟΝΤϹΟΥ. ΤΟ. Β. Gordiani. (Vaill.)

* * *

12. ЕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΚΑΙ. ΤΟ. Β. Plotinae. (Banduri.)

13. ЕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΚΑΙ. ΤΟ. Γ. Trajani. (Vaillant, qui addit, in quibusdam juxta legi ΑΡΧ., sed abest in binis Bandurii.)

14. ЄΠΙ. ΙΟΥΛΙΑϹ. ΦΑΥϹΤΙΝΗϹ. Aurelii. (Vaillant.) Forte pro ΙΟΥΛΙΑϹ. legendum ΑΝΝΙΑϹ.

15. ЄΠΙ. ΘЄΑϹ. ΦΑΥϹΤΙΝΗϹ. L. Veri. (Vaill.)

16. Є. Θ. ΦΑΥϹΤΙΝΗϹ. in autonomo. (Haym. T. II. p. m. 84. qui quidem legit: C. Θ. sed corrigenda lectio ex numo priore.)

17. ЄΠΙ. ΦΑΥϹΤΙΝΗϹ. Commodi Caesaris. (Harduin Opp. sel. p. 37.)

18. ЄΠΙ. ΑΡΧ. Μ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ. Caracallae, Plautillae. (Vaillant. Banduri.)

19. ЄΠΙ. ΤΙΤ. ΑΙΔ. ΚΑΠΙΤΩΛЄΙΝΟΥ. Caracallae et Getae. (Banduri, et in meis Num. vet.)

20. ЄΠΙ. ΑΡΧ. Γ. ϹΑΛΛ. ΑΡΙϹΤΑΙΝЄΤΟΥ. ΚΑΙ. ΑΙΛΙΔΟϹ. Caracallae, (Vaillant.) sine ΚΑΙ. ΑΙΛΙΔΟϹ. Getae. (Banduri.)

21. ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. ΚΑΙ. ΑΙ. ΦΗϹΤΟΥ. Macrini (Vaill.)

22. ЄΠΙ. Μ. ΑΥΡ. ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. ΚΑΙ. ΑΦΗϹΤΗϹ. Alexandri. (Pellerin Mel. I. p. 59.)

23. ЄΠΙ. Μ. ΑΥΡ. ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. ΚΑΙ. ΑΙΛ. ΦΗϹΤΗϹ. Alexandri. (Mus. Caes. Mus. de France, la Motraye, Albani.)

Vt Pellerinius ex numo suo mox citato jure correxit Vaillantium legentem ΦΗϹΤΟΥ, pro ΦΗϹΤΗϹ, ita ex praesente corrigendus ipse Pellerinius, qui in voce ΑΦΗϹΤΗϹ literam primam Α cum ΦΗϹΤΗϹ conjungit. Numus, quem hoc loco descripsi, cujusque duplex exemplar integerrimum ob oculos habui, luculentum ΑΙΛ. ΦΗϹΤΗϹ. exhibet.

24. ЄΠΙ. ΑΙΜΙ. ϹЄΟΥΗΡΟΥ. ΚΑΙ. ΙΟΥΛ. ϹЄΥΗΡΑϹ. Alexandri Sev. (Vaill.) ΑΙΛΙ. pro ΑΙΜΙ. legitur in autonomo musei Theupoli, sed cujus auctor eum perperam Bizyae tribuit. Harduinus in numo ejusdem Alexandri legit: ΓΡ. ΠΛΑΙΝ. ϹЄΚΟΥΝΔΟΥ., sed haud dubie pro hoc legendum: ЄΠΙ. ΑΙΜΙ. ϹЄΟΥΗΡΟΥ., ut in numo praesente, neque enim hactenus in moneta Byzantiorum comperti scribae.

25. ЄΠΙ. ΑΡ. ΔΙΟΝΤϹΟΥ. ΤΟ. Β. ΚΑΙ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΑϹ. Gordiani. (Vaill. Banduri.)

Docentibus his numi fuit Byzantiorum magistratus *Archon*, nimirum ut in autonomis diximus, condita urbs a Megarensibus, qui Attica instituta sequebantur. Tamen in marmore, quod edidit Chandlerus, memorantur hujus urbis στρατηγοι Dorice y), sed qui haud dubie fuerint magistratus minor, ut Athenis praeter archontem fuere strategi.

Repetitum etiam eundem magistratum

y) Inscr. ant. p. 95.

Digitized by Google

docent addita TO. B. vel TO. Γ. At nimio fallitur Vaillantius, qui epigraphen ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΤ. Η. interpretatur: *Sub Aelio Pontico octavies* [z]). Huic obstat numus Commodi musei Caesarei: ΕΠΙ. Μ. ΜΑΡΚΟΤ. Η. ΤΟ. Β. Ergo alius inquirendus literae H. explicatus. Froelichius, qui hunc Commodi numum edidit [a]), legendum censet: Ηγεμονος ΤΟ. Β. Sententiam suam fulcit numo Commodi ab Haymio vulgato [b]), in quo scriptum: ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΤ. ΗΓ., ex quo infert, in Byzantiorum numis fuisse signatos Ηγεμονας ante Severum, non vero archontes. Cum vero urgeri se videat numo Aurelii inscripto: ΕΠΙ. ΑΡ. ΜΑΡΚΟΤ., respondet, archontem nunquam notari solo AP., sed pleniore APX., ut ipsi numi Byzantii serius signati docent. Quare aut a Vaillantio sinistre lectum AP. ΜΑΡΚΟΤ. pro Μ. ΜΑΡΚΟΤ., quam lectionem praefert numus loco 7. descriptus, aut το AP. notare *Arrium*, *Arruntium* etc. numos autem Trajani: ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΤ. ΤΟ. Γ., quibus nonnunquam addi APX. obiter monet Vaillantius, plane fastidit tanquam jure suspectos. Haec Froelichius. Sed enim ut facile adsentior, το Η. non significare *octavum*, quod suspicabatur Vaillantius, sic vix verisimile, significare Ηγεμονα. En rationes non aspernandas: I. Ex inscripti magistratus nominibus satis patet, homines eo functos fuisse Graecos, leguntur enim *Demetrius*, *Diodorus*, *Demosthenes etc.* quod observatur usque in Antoninorum tempora, quorum aetate satis constat, Graecos per adulationem pro nativis suis nominibus adhibuisse Romana. At praesides vicaria pro imperatoribus potestate regendae toti provinciae adhibiti ex gentibus plerumque fuere Romanis. II. Constat, Trajanum, Faustinam juniorem, et Caracallam Byzantii magistratus eponymi honorem admisisse, eosque numis fuisse inscriptos, ut infra videbimus. At quis ferat, imperatorem ipsum dici obire munus ἡγεμονος, qui ipse imperatoris loco provinciam administrabat, ac praecipue feminam id velle praestare? Acceptasse Augustos et Caesares honoris causa magistratum privatum singulis urbibus proprium, constat ex numis urbium Hispaniae, ac praecipue de Hadriano ex testimonio Spartiani, at non poterant acceptare alium, qui ad provinciarum regimen pertinuit. III. Non solum in numo Aurelii legitur: ΕΠΙ. ΑΡ. ΜΑΡΚΟΤ., sed etiam in binis Gordiani: ΕΠΙ. ΑΡ. ΔΙΟΝΤCΟΤ. ΤΟ. Β. num. 11, et 26, ex quo sequitur, aut hos etiam numos a Vaillantio male lectos, quod minus videtur credibile, aut etiam in his το AP. esse nomen *Arius*, vel *Arruntius*, aut denique si in his legendum ἀρχων, etiam in prioribus. IV. Quemadmodum in memorato Commodi numo legitur ΕΠΙ. Μ. ΜΑΡΚΟΤ. Η. ΤΟ. Β., sic in aliis legitur: ΕΠ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΤ. ΗΡ. num. 4. 6., ΕΠΙ. ΔΑΤΙΑΝΟΤ. ΗΡ. n. 10, ex quo jure suspicari licet, solitarium Η. idem notare, quod ΗΡ. in aliis,

z) Num. Graec. p. 66. a) IV. Tent. p. 220. b) T. II. p. m. 304.

Digitized by Google

et forte secundum hos corrigendum Haymium, qui facile in suo pro ΠΟΝΤΙΚΟΤ. ΗΡ. legere poterat ΠΟΝΤΙΚΟΤ. ΗΓ., quo numo solo utitur Froelichius ad ἡγεμονα suum adserendum. Sane in iisdem literis hallucinatus etiam est Havercampus, qui cum numum Haymiani illius simillimum describeret, sic legit: ЄΠ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΤ. ΜΤ. ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ., ex quo fallace indicio concordiam Mytilenen inter et Byzantium extundere adnisus est. (Med. du Cab. de Christine. p. 141.) IV. In nullo certae fidei numo, qui ἡγεμονα sistit, legitur, praefixum ЄΠΙ.

Ceterum indubitatum videtur, cum illud H. vel HP. variis magistratuum nominibus videamus adjectum, significare magistratus quoddam vocabulum, quod vero illud, incertum. En leviusculam tamen conjecturam. Cum, ut brevi docebimus, hac in urbe imperatores etiam, atque ipsae Augustae honoris causa archontis munere fungerentur, ii, qui eorum vice domi eum magistratum obibant, archontes se dicere non poterant, qui titulus tum principi competebat. Ergo illi, qui pro archonte honorario res domi procurabat, alio titulo opus fuit; is autem esse poterat ΗΡημενος, *electus*, nempe pro principe absente, et honoris causa archonte. Revera vox ἀιρεομαι frequenter a Graecis adhibita est, cum magistratum *electum* significare volebant. Sic in celebri tabula Heracleensi a Mazochio explicata occurrunt ὁριστυι ἀιρεθεντες, *finitores electi*. (pag. 259.) Non dispari ratione in urbibus Hispanicis, in quibus Caesares honorarium IIviratus munus exercebant, ii, qui eorum vices domi obibant, non se scripsere IIviros, sed praefectos. Vide numos Celsae.

Numi a numero 12 usque 18 principes Romanos exhibent, qui, ut paullo ante dixi, archontum, aut certe magistratus eponymi vice Byzantii functi sunt. Inter hos comparere etiam mulierem, nempe Faustinam juniorem, nequaquam mirum, cum in numis inde a numero 20 citatis etiam mulieres videmus. Judice Vaillantio *solebant aliquando Byzantii nomen uxoris archontis adponere*. (Num Graec. p. 149.) Idem numum: ЄΠΙ. ΘЄΑC. ΦΑΤCΤЄΙΝΗC. sic explicat: *sub divae Faustinae sacerdote*, Ιερεως, quod quidem utrumque judicium refutare piget. Verisimile est, fuisse Byzantii, ut in pluribus aliis urbibus, illustre quoddam sacerdotium collatum in feminas, illudque annuum, et honoris causa delatum Faustinae, ac propterea jactantius inscriptum etiam numis. Vulgato semel exemplo factum haud dubie, ut subinde sacerdotes aliae, sed privatae conditionis, eundem honorem ambirent, quod quidem indultum fuerit, sed sic, ut non solae, ut Faustina, in moneta proponerentur, sed conjunctae cum archonte eponymo. Quae conjectura magis forte videatur probabilis, quam quas propinat Pellerinius. (Mel. I. p. 58.)

Hieromnemon. Est in museo Theupoli numus L. Veri: ΙΕΡΟΜΝΑΑΙΑΙ. ΣΕΟΤ-ΗΡΟΣ. ΒΤΖΑΝΤΙΟΙΣ. *Victoria stans ante aram, supra quam galea.* Auctor ejus operis hanc epigraphen sic reddit:

Digitized by Google

Sacrae recordationes Severus Byzantiis. At certum, priorem vocem male ex numo exceptam, et legendum sine dubio rectius: ΙЄΡΟΜΝΑ. ΑΙΛΙ. СЄΟΤΗΡΟС. ΒΤΖΑΝΤΙΟΙС. *Hieromnemon Aelius Severus Byzantiis.* Acute istud observatum video a viro insigni Eduardo Corsino. (Saggi di Cort. T. VII. p. 40.) De hoc magistratu vide quae disseram alibi.

Ludi:

ΚΟΙΝΟΝ. ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ, in numo. Augusti. (Vaill.)

ΑΝΤΩΝЄΙΝΙΑ. СЄΒΑСΤΑ. Caracallae. (Vaill.) Non modo ludos *Antoniniana* celebravit Byzantium, sed, si fides Eustathio (ad Dionys. v. 803.), etiam Αντωνιαν (lege Αντωνειναγην) se dixit, quamdiu superfuere Severus et Caracalla. Causa ejus adfectus Caracalla, qui adhuc puer patrem Byzantiis iratum, quod incredibili pertinacia pro Pescennio steterant, cum iis in gratiam reduxit, ut refert Spartianus.

ΑΝΤΩΝΙΝΙΑ. Elagabali. (Theupoli.)

СЄΒΑСΤΑ. Alexandri. (Albani.)

ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ. Gordiani, (Vaill.) instituta nimirum in Alexandri M. honorem. Ea notantur etiam in numis Odessi ejusdem Thraciae sub eodem Gordiano cusis, et sunt obvia in numis Philippopolis. Horum causam dabo in tractatu de ludis.

* * *

Concordia, quae fuit cum Chalcedone, notata jam est in autonomis.

Cum *Nicaea* Bithyniae legitur in numis Alexandri Sev., Treboniani, Gallieni, qui cum praetensos phares, typum nempe Byzantium, sistant, certum est esse signatos Byzantii.

AE. C.

* * *

Nomine *Constantinopolis* signatos vide in monēta Romanorum ad calcem numorum Constantini M.

DEVLTVM.

Mediterraneum, tamen Euxino vicinum, in septentriones ad Panysum fluvium. Plinius: *Develton cum stagno, quod nunc Deultum vocatur, veteranorum.* Vrbis situm, hodiernam fortunam, et numos hactenus cognitos, late describit Cl. Sestinus. (Lettere T. I. p. 10. et iterum copiosius T. III. p. 149.)

Coloniae tantum nomine habentur numi a Trajano usque ad Philippos.

Epigraphe: C. F. P. D. vel COL. FL. PAC. DEVLT. Epitheton FL*avia* deductam a Vespasiano coloniam arguit. PAC*ensis*, ut explendum hoc vocabulum ex Plinio docet Harduinus, dicta e Vespasiani erga deam Pacem adfectu, cui is magnificum Romae templum statuit, ut censet Vaillantius.

Inter *typos* illustrior est is, qui in Gordiani numo *duos fluvios humi jacentes* sistit, *quorum unus naviculam sublimem attolit, media inter utrumque navi velis expansis;* ex quo apparet, Deultum ad confluentem fuisse situm, nisi forte altero viro decumbente stagnum notatur, de quo Plinius. — *Silenus stans*, in numo Macrini (Vaill.), et Tranquillinae. (Sestini.)

AE. C.

DOMENOPOLIS.

De ambigua hac Thraciae urbe agetur infra in *Plotinopoli.*

Digitized by Google

HADRIANOPOLIS.

Mediterranea ad Hebrum fl. conditore Hadriano.

Autonomi.

Caput Serapidis. ☧ ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Isis stans cum sistro et situla.* AE. III. (Pellerin Suppl. III. p. 101.)

Caput Herculis. ☧ *Eadem epigraphe. Herculis arma.* AE. (Pembrock.)

Alium *Concordiae* vide descriptum in Nicopoli Moesiae.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Editi magno numero ab Hadriano usque ad Gordianum.

Epigraphe: ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, sed in numo Domnae: ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙC. (Vaill.)

Typi in tanta copia maxime varii. Frequens in his religio Aegyptiorum procurante conditore Hadriano in hac insaniente.

Magistratus ἡγεμών, praeses huic tractui proprius.

Sub Antonino: ΗΓΕ. Μ. ΠΟΝΤ. CABEINOT. (Vaill.) ΗΓΑ. ΤΙ. ΟΤΟΠΙCKOT., ut describitur in Theupoli; aliter idem magistratus legitur in numis Bizyae, Pautaliae, Philippopolis. *Sub M. Aurelio:* ΗΓΕ. ΤΟΤΛ. ΜΑΞΙΜΟΤ. (Vaill.) *Sub Commodo:* ΗΓ. COTΛ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΤ. (Mus. Caes. Vaill.) ΗΓΕ. ΙΟΤΛ. ΚΛΕΤΟΤ. (Vaill.) ΗΓΕ. ΙΟΤΛ. ΚΑCΤΟΤ. (Mus. Caes.) Est etiam in numo Pautaliae. *Sub Severo:* ΗΓΕΜΟC. ΤΑΤΙΑΝΟC. (Vaill.) Suspecta lectio, de qua vide Trajanopolin. *Sub Caracalla:* ΗΓΕ. CIK. ΚΛΑΡΟΤ. (Mus. Caes.) quem habet etiam Pautalia.

Epocham in numo Severi inscripto ЄΤ. ΒΞ. reperire sibi visus est Vaillantius. Hunc Pellerinius jure Hadrianopoli Bithyniae restituendum docet, (Rec. II. p. 19.) nullo hactenus viso urbis Thraciae numo, qui epocham praeferret.

* * *

Non dubitat Pellerinius, (l. c.) plures ex numis inscriptis tantum ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ, quos Vaillantius nullo dempto Hadrianopoli Thraciae largitur, alteri Bithyniae restituendos. Istud dubium typi non expediunt, qui utrique possunt convenire. Potest tamen fabrica nonnihil adfundere lucis. Cum nulla alia suppetit ratio, tutius est, hos Thraciae multo celebratiori tribuere. Ceterum ii, qui ἡγεμονα inscribunt, sine dubio sunt Thraciae. Sed confer etiam, quae infra ad hanc Bithyniae Hadrianopolin notabuntur.

AE. C.

HERACLEA.

Auctor musei Theupoli et Sestinus (T. IV. p. 93.) autonomos, Vaillantius (pag. 196.) imperatorios Trajani et Gordiani Heracleam Thraciae amandant. Horum judicia jam uno argumento missis aliis evertuntur, quod haec Heraclea eadem fuit cum Perintho, quae urbs in ipsa Gallieni tempora Perinthi nomine, Heracleae nunquam, numos suos insignivit.

MARONEA.

Ad mare Aegaeum urbs opulenta testibus etiam numis.

Digitized by Google

Autonomi.

ΜΑΡΩΝΟΣ *(retrograde.) Equus dimidius.* ℞ *Caput arietis intra quadratum.* AR. II. (Hunter.)

Caput Bacchi hedera et corymbis coronatum retorto cornu. ℞ ΔΙΟΝΤΣΟΤ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ. *Bacchus nudus stans d. botrum, s. strophium, et duas sagittas, per aream monogrammata.* AR. AE. I. (Numi obvii.)

Numus prior perantiquus, et rarissimus *Maronem*, posterior obvius *Bacchum* crepat. Narrat Diodorus Siculus de Osiride Thraciam peragrante: (L. I, §. 20.) *tum MARONEM aetate invalidum reliquisse ibi, curaturum ea, quae in hac regione plantaverat, quique urbem sui nominis MARONEAM conderet.* Quod de Osiride fabulati sunt Aegyptii, id ex parte Graeci de Baccho. Sed ut variant veterum commenta, Maronem Euripides dixit Bacchi filium, (in Cyclope v. 141.) Homerus Evanthei, (Od. I. v. 197.) nisi hic idem est cum Baccho. Quin apud Athenaeum. Maron non dicitur conditor Maroneae Thraciae, sed Mareotidis Aegypti (L. I. p. m. 33.). Numus alter Bacchum sistit. Et erat Maronitis Bacchi colendi praecipua causa largus generosi ibi nati vini proventus inter veteres dipnosophistas decantati. De Baccho sagittis armato vide numos gentis Corneliae Blasionum.

* * *

Caput Bacchi hedera coronatum. ℞ ΜΑΡΩΝΙΤΕΩΝ. ΕΠΙ. ΜΗΤΡ.— ΝΕΟΣ. *Vitis botris gravida intra quadratum.* AR. I. (Pellerin.)

ΜΑ. vel ΜΑΡ. *Equus totus, vel*]*dimidius saliens.* ℞ *Racemus intra quadratum additis variis magistratuum nominibus.* AR. III.

Magistratus in his numis frequenter leguntur: ΕΠΙ. ΗΡΑΚΛΕΙΔΕΩ — ΕΠΙ. ΝΟΤΜΗΝΙΟΤ. — ΕΠΙ. ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΕΟΣ. — ΜΗΤΡΟΔΟΤΟΣ in numo Mediceo, quem edidi. (Num. vet. p. 57.) Goltzius in numo simili juxta quadratum vitem claudens legit ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑΤΑΝ, numumque adeo tribuit Posidoniae Lucaniae. Saepe memini me benevolum lectorem commonere, non raro Goltzium numis vere veteribus alienam adfinxisse inscriptionem, quod hoc iterum loco accidit. Enimvero Spanhemius numum Goltziano huic utraque parte simillimum vulgavit, sed inscriptum ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ, at hic quoque deceptus Goltzii indicio omissa Maronea, quorsum uterque numus revera pertinet, Posidoniam respexit. (Beger Observ. in num. ant.) Serius eundem numum restituit Begerus, (Th. Br. T. I. p. 273.) at neque hic in Maronea acquievit, verum ab Eretriensibus in honorem Posidippi poetae comici Cassandrensis, et commendationem vini Mendaei percussum inani sane conjectura dixit.

Bacchus barbatus et togatus stans d. botrum s. thyrsum. ℞ ΜΑΡΩΝΕΙΤΩΝ. *Capricornus.* AE. III. (Mus. Princ. de Waldeck.)

Causa capricorni videtur hic numus Augusti aetate signatus.

AR. C. AE. R.

Imperatorii.

Cogniti a Nerone ad usque Alexan-

Digitized by Google

drum, inter quos insignior Othonis, quem edidit, et probavit Seguinus, (Num. sel. p. 136.) sed improbavit ibidem Vaillantius, docens, Neronem in Othonem migrare jussum, (p. 412.) cui judicio consensit quoque Morellius edito vero ejus numi iconismo. (Spec. tab. XXI.)

Epigraphe eadem, *typi* obvii.

Magistratus AMΦΙΛΟΧΟΥ. in numo Alexandri. (Vaill.)

AE. RRR.

MESEMBRIA.

Ad Euxinum ultima in Moesiam, cui a nonnullis illata est.

Autonomi.

Horum insignes servat gaza Caesarea, quorum illustriores olim edidi. (Num. vet. p. 53.)

Galea. ☧ ΜΕΣΑ. *inter radios rotae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Galea. ☧ ΜΕΤΑ. *inter radios rotae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre. ΜΕΣΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. in aliis: ΜΕΤΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. *Pallas gradiens s. clypeum praetendit, d. hastam intorquet.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ☧ ΜΕΤΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. *Rota.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Bacchi. ☧ ΜΕΣΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. ΔΩ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin.)

Haec Thraciae urbs a scriptoribus fere constanter dicebatur Μεσημβρια, verum Μεσαμβριαν mutato nimirum Σ in Τ, et Η in Α facit dialectus Dorica, perinde ac in numis legimus ΘΑΣΙΩΝ et ΘΑΤΙΩΝ, et in numo Lasi Cretae ΛΑΤΙΩΝ. Fuisse vero urbi eam dialectum propriam, certum inde, quod oppidani teste Strabone fuere Megarensium coloni, et novis identidem colonis ex Peloponneso adventantibus Δωριεις γεγονασι, *Dorienses facti sunt*, ut refert Pausanias [c]. Auctor anonymus peripli Euxini conditam a Chalcedoniis et Megarensibus dixit Dario in Scythas movente, cum quo sentit et Eustathius [d]. Quam Mesambrianorum a Doribus tractam orginem puto indicari literis ΔΩ. numi postremi.

Numus secundo loco citatus cum epigraphe ΜΕΤΑ. cognitus jam fuit Goltzio, sed qui eum ignoratione numi prioris ΜΕΣΑ. prono errore Metaponto tribuit. Adeo in studiis nostris proficimus, quando numos contendendi facultas adest. Post haec tam nitide, et ex causis numismaticis plane demonstrata nescio quid in mentem venerit Cl. Sestino, cur numum similem inscriptum ΜΕΤΑ. rursum Metapontum retrahat [e].

AR. RRRR. AE. R.

Imperatorii.

Ab Hadriano usque ad Philippum juniorem. Mira capitis inscriptio in numo musei Caesarei: ΑΤΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟC. ΔΙC. CЄΒ. de qua vide conjecturas Froelichii [f]. In numo Gordiani apud Neumannum legitur: ΑΤΤ. Δ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC forte simili τυ Δ sensu.

c) in Attic. d) ad Dionys. v. 803. e) Lettere p. 51. f) IV. Tent. p. 184.

Digitized by Google

Epigraphe in numis musei Caesarei constans ΜΕCAMBPIANΩN, sed si fides Vaillantio, etiam ΜΕCΗΜΒPIANΩN, ΜΕCΕΜΒPIANΩN.

Typi obvii.

AE. R.

NICAEA.

Froelichius cum videret, numos variorum imperatorum capite insignes, et inscriptos NIKAIEΩN typo trium signorum militarium frequentes ex Hungaria adferri, ad haec moneretur ab idoneo auctore, eos magno numero in Servia erui, Nicaeam quandam in hoc tractu indagavit. Et reperit praeter Stephanum, qui sub Νικαια refert: ὀγδοη Θρακης, a variis inferioris aevi scriptoribus memorari urbem in Thracia dictam Νικη, Νικα, Νικαια. Cum praeterea narret Marcellinus, Nicen Thraciae fuisse militum stationem, conjicit, numos, qui signa militaria praeferunt, non Nicaeae Bithyniae, sed huic Thraciae esse tribuendos g). Hae viri praestantissimi rationes probabilitate quidem non carent, tamen cum videam, in numis quoque Nicomediae et Iuliopolis, quae Bithyniae item urbes fuere, similia proponi signa militaria, et ejusdem omnino esse fabricae, mallem hos numos in vetere statione relinquere.

NICOPOLIS.

Adsita fluvio, quem *Nesum*, *Nestum* appellant auctores, numi *Mestum*. Ipsa mediterranea.

Imperatorii.

tantum a Commodo usque ad Getam.

Epigraphe: OTΛΠ. NIKOΠOΛЄΩC. ΠPOC. ΜЄCTΩ.

Typus praeter ignobiles alios: *Mensis eques*, rarus in numis urbium Europae.

AE. RR.

NYSA.

Autonomum vulgavit Pellerinius, (Rec. I. p. 189.) et Sestinus. (Lettere T. IV. p. 97.)

Caput juvenile. Ϫ NTΣA. EN. ΠAIΩ. *Mercurius stans.* AE. III.

Cum plures fuerint Nysae, haec sese mentione Paeoniae distinguit, ut Pautalia, de qua mox. Videtur esse eadem cum illa, de qua Stephanus h): δευτερα ἐν Θρακη, incertis nempe Thraciae et Paeoniae finibus, de quo vide plura infra in Pautalia.

AE. RRRR.

ODESSVS.

Ad pontum versus Moesiam, Milesiorum colonia teste Strabone, dicta Scylaci Odesopolis.

Autonomi.

Caput Jovis diadematum. Ϫ ΘЄOT. ΜЄΓAΛOT. ΚTPΣA. OΔHΣITΩN. *Iuppiter togatus stans d. pateram, s. cornu copiae.* AE. I. (Mus. de France, Harduin Opp. sel. p. 127, sed in hujus numo est tantum OΔH. ut et in Pembrockiano P. II. tab. 34.)

Vocabulum ΚTPΣA. aruspicem desi-

g) IV. Tent. p. 321. h) in Νυσαι.

Digitized by Google

deravit, quem nacta est in Harduino, qui dividendam eam censet, legendumque: ΚΤΡιϐ ΣΑραπιδος. (l. c.) doctrina non incommoda; nam favet huic opinioni typus frequens in numis hujus urbis imperatoriis, in quibus fingitur Iuppiter similis stans cum patera et cornu copiae, et cum modio in capite; quin et in binis numis musei Caesarei in antica exhibentur duo capita adversa Gordiani et Sarapidis cum modio et cornu copiae. Ex quo efficitur, praecipuum fuisse Odessi hujus dei cultum, quem item a Ptolemaeo ex Ponto in Aegyptum translatum constat, de quo agetur alibi. In marmore apud Reinesium legitur: ΘΕΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΟΔΗCΙΩΤΩΝ i).

Caput Iovis. ☧ ΟΔΗΣΙΤΩΝ. *Vir eques gressu lento d. cornu copiae, infra monogramma.* AE. III. (Mus. Caes.)

Cornu copiae, quod Sarapidi in Odessi numis constanter addi videmus, persuadet, hunc quoque equitem esse ipsum Sarapidem.

Caput virile laureatum. ☧ ΟΔΗΣΙΤΩΝ. *Fluvius capite radiato decumbens d. pateram, s. cornu copiae, et simul innixus urnae.* AE. III. (Mus. Caes. Pembrock.)

Fluvium hunc reor esse Panysum non ignobilem, qui teste Ptolemaeo inter Odessum et Mesembriam in Pontum exit. *AR. RRR. AE. RRR.*

Imperatorii.

A Trajano usque ad Saloninam.

Epigraphe: ΟΔΗCCITΩΝ. *Typi* obvii.

Ludi:

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. *Vrna*, Gordiani. (Vaill.) Obiti in honorem Alexandri M., celebrati etiam Byzantii sub eodem Augusto. Ejus causam verisimilem dabo in tractatu de ludis.

ΗΛΙΑ. *Vrna*, Gordiani. (Vaill.) Fuere haec certamina dicata soli, de quibus vide numos Emisae Syriae. Vtriusque instituti causa fuerit, quod Gordianus velut alter Alexander Persas in solem orientem positos oppugnatum ibat.

Litera solitaria E in nonnullis.
AE. C.

PAVTALIA.

Mediterranea ad Strymonem fl., vel saltem prope hunc, ut docebunt numi. Haec urbs, quae in imperatoriis *Pautalia* semper dicitur, in autonomis se vocat *Pantaliam.* Stephano dicitur Παυταλια μοιρα Θρακης, *Paetalia pars Thraciae* k), sed vel corruptus locus est, ut revera ordinem Stephani alphabeticum non sequitur, vel haec Paetalia diversa est a nostra Pautalia.

Autonomi.

Caput Apollinis. ☧ ΠΑΝΤΑΛΕΩ. ΕΝ. ΠΑΙΩ. *Caput bovis.* AE. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput muliebre cincinnis ornatum. ☧ ΠΑΝΤΑΛΕ --- ΚΝΙ - - *Caput bovis simile.* AE. III.

Posteriorem hunc vidi Romae in mu-

i) Class. I. n. 195. k) pag. 537.

Digitized by Google

aeo Christinae literis, quas proposui, luculentis, reliquis exesis. Alius similis proditur in museo Theupoli [l]), sed in quo praetenditur lectio: ΠΑΝΤΑΛΕΟΝΙΔΙΩ. Pantaleam ergo hanc urbem vocant hi numi, et eodem modo compellatur etiam a compluribus aevi inferioris scriptoribus, quibus adeo inique erroris notam impingit Holstenius [m]), nam videtur serius vetus Pantaleae appellatio revocata.

Mentio situs: ΕΝ. ΠΑΙΩ. quam et supra in Nysae numo vidimus, quo addito hae urbes sese in *Paeonia* sitas profitentur. Eam regiunculam plerique Macedoniae inserunt. Quidquid erit, istud certum, quo tempore imperatorii hujus urbis numi signati sunt, Thraciae fuisse insertam, quoniam ἡγεμονας numis inscripsit, qui magistratus provinciae Macedoniae incompertus fuit.

AE. RRR.

Imperatorii.

Copiosi ab Hadriano usque ad Elagabalum.

Epigraphe: ΠΑΤΤΑΛΙΩΤΩΝ, et inde a M. Aurelio frequenter ΟΤΛΠΙΑϹ. ΠΑΤΤΑΛΙΑϹ. In uno Commodi: ΠΑΤΤΑΛΙΑϹ. ΟΤΛ. (Mus. Caes.)

Typi in tanto numero varii, ac obvii. Illustriores sunt:

Fluvius decumbens dexteram cornu copiae imponit, sinistram urnae, ex qua aqua profluit, superne puellus stans botrum ex vite promit, juxta ΒΟΤΡΤ., *pro pedibus fluvii puellus alius, scripto juxta* ΑΡΓΤΡΟϹ, *pone puellus alius sedens, juxta* ΧΡΤϹΟϹ, *in imo puellus messor, juxta* ϹΤΑΧΤ. in numo Caracallae. AE. I.

Non alius est in regno monetario numus, in quo urbs quaepiam agri sui proventus tam canore depraedicet. Extat in museo Em. Card. Stephani Borgiae, eumque Nicolaus Schow singulari dissertatione Romae illustravit. Totum argumentum facile explicatu. Fluvius est Strymon, ut patebit ex numo Pantaliae alio. ΒΟΤΡΤϛ, *botrus*, et ϹΤΑΧΤϛ, *spica*, vini et frumenti fertilitatem, ΧΡΤϹΟϹ et ΑΡΓΤΡΟϹ *auri* et *argenti* metalla indicant. Hunc tractum a fodinis fuisse celebrem, docebimus in numis Philippi Macedoniae regis. Addo testimonium aliud ex Suida, (ἐν Χρυσος κολαφωνιος) qui fodinarum auri circa Strymona fl. meminit.

Mons arboribus consitus, in cujus vertice templum, ad ejus radices aliud, et circum eundem alia tria, infra tres figurae accedentes, Caracallae. (Mus. Caes.)

Indicat typus loci religionem, sed ejus reliquae causae nobis ignotae.

* * *

Magistratus ἡγεμων.

Sub Antonino: ΗΓϵ. Μ. ΠΟΜΠΗΙΟΤ. ΟΤΟΠϵΙϹΚΟΤ. (Mus. Caes. Vaill.) Idem legitur in numis Bizyae, et Hadrianopolis. — ΗΓϵ. ΓΑΡΓΙΛΙ. ΑΝΤΙΚΟΤ. (Vaill.)

Sub Aurelio: ΗΓϵ. Μ. ΤΟΤΑΛΙΟΤ. ΜΑΞΙΜΟΤ. (Vaill.) Est etiam in Hadrianopoli. — ΗΓϵ. Κ. ΤΟΤΛΛΙΟΤ. ΜΑΞΙΜΟΤ. (Mus. Caes.)

l) pag. 1287. m) Notae ad Steph.

Digitized by Google

Sub Vero: ΗΓΕ. Μ. ΤΟΥΛΛΙΟΥ. ΜΑΞΙΜΟΥ (Mus. Caes.) — ΗΓΕ. ΓΑΡΓΙΛΙ. ΑΝΤΙΚΟΥ. (Vaill.)

Sub Comodo: ΗΓΕ. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟΥ. (Mus. Caes.) ΗΓΕ. ΚΑΙΝΑΤΕΙΝΟΥ. (Mus. Caes.) ΗΓΕ. ΙΟΥ. ΚΑΣΤΟΥ. (Liebe p. 280.) qui est etiam in numo Hadrianopolis.

Sub Severo: ΗΓΕ. Τ. ΑΙΛΙΟΥ. ΝΕΡΑΤΙ. (Vaill.) — ΗΓΕ. ΚΑΙΚΙΝΑ. ΛΑΡΓΟΥ. (Mus. Caes.) Est etiam in numo Serdicae. ΗΓΕΜΟ. C ... ΤΙΛΙΟΥ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ. (Mus. Caes.) Collato numo hoc cum aliis Anchiali et Augustae Trajanae, in quibus legitur: ΗΓΕ. CT. ΒΑΡΒΑΡΟΥ, videntur vera hujus magistratus nomina fuisse: CTATIΛIOC. ΒΑΡΒΑΡΟC.

Sub Plautilla: ΗΓΕ. CIKI. ΚΛΑΡΟΥ. Collatis numis musei Caesarei et Pellerinii, item alio Caracallae musei Caesarei apud Hadrianopolin signato haec ejus magistratus nomina eruuntur.

* * *

Mentio situs: ΕΝ. ΠΑΙΩ. vidimus in autonomis. Aliam a *Strymone* suppeditat numus insignis Caracallae musei Caesarei, in cujus imo: CTPTMΩN. *Vir barbatus sedens dexteram navi applicat, s. arundinem, et simul urnae innixus.* Ex quo corrigendae chartae geographicae variorum, in quibus Pautalia Hebro propius admovetur, vel saltem a Strymone longius arcetur, ut jam advertit Froelichius n).

AE. C.

PERINTHVS.

Vrbs illustris ad Propontidem.

Autonomi:

ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. ΙΩΝΩΝ. *Caput Herculis laur.* Ϫ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Clava.* AE. III. (Pellerin, Mus. Theup.)

ΗΡΑΚΛΗ. ΚΤΙΣΤΗ. *Caput Herculis.* Ϫ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Caput Bacchi.* AE. II. (Mus. Caes.)

Et conditorem et natales urbis hi numi praedicant. Stephanus eam refert traxisse nomen a Perintho Epidaurio Orestis commilitone. At cum Ammiano narrante o), Herculem conditam a se Perinthum ex comitis sui nomine appellasse, conspirant numi. Accedit, quod Herculis cultus ita apud hanc urbem invaluit, ut jam Ptolemaei geographi aevo diceretur *Perinthus sive Heraclea*, et infimo aevo *Heraclea Perinthus*, vel *Heraclea Thraciae*, de quo vide Cellarium. Tamen nunquam Heracleae, semper Perinthi nomen numis infertum est, secus quam alii censuere, ut dixi supra in Heraclea Thraciae. De Perinthi natalibus lege copiose disserentem Buonarrotium p).

Iones sese etiam vocant Perinthii, et quidem etiam in imperatoriis inde a Vero frequenter, quo firmatur testimonium Marciani Heracleotae *Samiorum coloniam* diserte perhibentis.

Capita jugata Jovis et Junonis, quorum utrique flos loti imminet. Ϫ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Caper stans.* AE. III. (Pembrock).

Caput Herculis. Ϫ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Flos loti.* (in meis Num. vet. p. 58.)

Fuisse Perinthios Aegyptiorum cultui

n) IV. Tent. p. 206. o) L. XXII. c. 12. p) Osserv. ist. p. 182.

Digitized by Google

addictos ex eorum moneta passim intelligas. Harpocratem quoque sistit numus Theupoli, Apin, Sarapidem, Isidem Hunterianus. In numis praesentibus habemus deos Graecos more Aegyptio compositos, et quoniam cum Hercule in aversa jungitur lotus, verisimile est indicari Herculem Aegyptium Nilo natum, de quo Cicero [q]), et quae plura in opere citato attuli.

AE. R.

Imperatorii.

Abundant, et sunt a Claudio usque ad Valerianum. Maxime illustres, et quidem maximae formae signati sunt imperante Severo, quippe qui urbem subjecto ei Byzantio, quia haec urbs a Pescennio stabat, auxit.

Epigraphe: ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ, addito saepe ΙΩΝΩΝ, ut dixi.

Typi: saepe labores Herculis proponunt. Insigniores nonnullos commemorare juvat:

Hercules aprum Erymanthinum portans attonito ad hoc spectaculum Eurystheo, et ex dolio, quo se receperat, prospectante sublatis alte manibus, Gordiani max. mod. (Mus. Caes.) Getae m. m. (Albani, C. Vitzai.)

Eadem aversa est etiam in numo Pergami musei Caesarei, similemque, sed typo vitiato, editum video in Verona illustrata [r]). Adde Alexandrinos Antonini. In numo Postumi cum simili typo scriptum est: HERCVLI. ERTMANTHINO.

Hercules aves Stymphalidas sagittis configens, Gordiani. (Mus. Albani.)

Idem typus est etiam in numo Nicaeae, et Alexandrinis Antonini.

Bacchus seminudus stans d. thyrsum, s. Ariadnen humi jacentem et soporatam indicans. Bacchum circumstant tres Satyri attoniti, juxta stat vir Philosophum habitu adsimilans, barbatus, indutus pallio, s. scipionem tenens, in numo Alexandri. (Numi max. mod. reg. Gall.)

Singularem hunc numum facit perelegans signorum varii characteris compositio. Argumentum ad Bacchum pertinet, qui Ariadnen a Theseo in insula perfide destitutam ac prae dolore semianimem reperit, sibique vindicavit. Sub philosophi habitu latere Silenum praeceptorem nullus ambigo, nam et in gemma vetere philosophum ementitur [s]). Idem se Baccho philosophiae praecepta tradidisse profitetur [t]), et a Virgilio de naturae arcanis subtiliter disputans inducitur [v]). Adde Synesium [x]). In pictura Herculanensi ejusdem argumenti adstat quoque Silenus, sed habitu cultuque solito [y]).

Juppiter sedens dextera extenta, s. hastam, superne hinc sol, inde luna, inferne duae mulieres decumbentes, et singulae cornu copiae tenentes. Numi oram finit zodiacus, Alexandri Sev. (Num. max. mod. reg. Gall.) In alio simili *humi decumbunt hinc mulier, inde fluvius.* (Mus. M. Ducis).

Illustris typus Jovis coelum terramque secundum veterum doctrinam nutu moderantis.

---

q) De Nat. deor. L. III. r) Part. III. p. 235. s) Winkelm. Pierr. grav. p. 236. n. 1470.
t) Caess. Juliani in Probo. v) Eclog. VI. x) Encom. calv. y) Tom. II. Tab. 16.

Digitized by Google

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Hercules mulierem inferne in serpentes desinentem sinistra corripit, eique sublata clava ictum intentat.* Severi max. mod. (Pellerin Mel. I. p. 74.)

Thema numi est Echidna cum Hercule primum discors, ejus deinde amica, ut videre est ex subjecta Pellerinii explicatione. Rarus hic typus in monumentis veterum, repertus tamen ante annos non multos Romae in opere marmoreo anaglypho, quod inlatum museo Cardinalis Alexandri Albani a Stephano Raffeio vulgatum et explicatum est. Addo testimonium Tzetzis ab utroque praeteritum: Εχιδνα περι Λυδιαν στερνα και κεφαλην κορη, τα δε κατω ὀφις, *Echidna circa Lydiam uberibus et capite puella, inferne serpens.* Simile argumentum vide in Alexandrinis Antonini.

* * *

Magistratus.

Et primum quidem *legati:*

ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΕΛΙC. ΠΡΕC. pro quo perperam legit Vaillantius: ΕΠΙ. CΤΡ. ΙΟΥ. ΚΕΛCΟΥ. ut docet Pellerinius, (Mel. II. p. 60.) in numo Trajani.

ΕΠΙ. ΑΝΤ. ΖΗΝΩΝΟC. Faustinae sen. (Pellerin.) Hunc Ant. Zenonem fuisse legatum, patebit mox infra in Philippopoli.

Praesides, ἡγεμονας, sub Antonino suffectos comprobant numi:

ΗΓΕ. ΙΟΥ. ΚΟΜΜΟΔΟΥ. in numo Antonini. (Vaill.) Est idem in numo Topiri.

ΗΓΕ. ΑΝΤΙΚΟΥ. Μ. Aurelii. (Vaill.) Legitur etiam in numis Antonini Pii, et Veri Pautaliae.

Numus Antonini, in quo legit Vaillantius: ΤΠ. ΦΑΒ. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΟΥ, restituendus Topiro.

Magistratus incertus est, quem legit Banduriius in numo Valeriani: ΕΠΙ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΥ.

* * *

Ludi:

ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Severi, (Vaill.) adduntur etiam ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, Severi, (Vaill.) Caracallae Aug. et Getae Caes. (Pellerin.)

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, passim in numis Severi.

CΕΥΗΡΕΙΑ. ΠΡΩΤΑ. Severi. (Vaill.) Acta Perinthi Πρωτα, ex quo ei Severus Byzantium subjecit, ut diximus.

ΗΡΑΚΛΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. Severi. (Mus. Caes.)

ΕΠΙΔΗΜΙΑ. Β. CΕΥΗΡΕΙΑ. *Tyriemis, desuper templum*, Severi. De his Epidemiis vide tractatum de Ludis.

* * *

Neocoratus, isque simplex primum inscriptus comparet in numis Severi sic: ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Vaillantius concessum neocoratum alterum sub Elagabalo statuit [z]), cum tamen jam sub Severo numum cum altero neocoratu descripserit, qui idem citatur etiam in Theupoli. His adde numum Caracallae musei Caesarei inscriptum et hunc ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., quibus adeo numis omnis tollitur ambiguitas, quae propter tempus iterati hujus honoris suspensum tenuit Pellerinium [a]). Verum nonnisi exeunte Severi imperio eum collatum, probat nu-

z) Num. Graec. p. 129. a) Mel. II. p. 289.

Digitized by Google

mus Haymii [b]), in cujus antica Geta jam dicitur Augustus cum solo in aversa ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Constat, Getam nonnisi biennio ante Severi mortem Augustum appelatum, intra quod adeo tempus collatus neocoratus alter. Ab hoc tempore constanter scripsere ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., vel ut est in numo Gordiani musei Caesarei Δ. ΝΕΩΚΟΡ.

* * *

Concordia cum Smyrna in numo Gordiani, (Haym.) cum Epheso Gordiani. (Vaillant.)
AE. C.

PHILIPPOPOLIS.

Mediterranea ad Hebrum fl., nomen sortita a Philippo Amyntae. F.

Autonomus.

Vnicus certus, quem edidi ex Mediceo: (Num. vet. p. 59.)

Caput Bacchi. Ϟ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. *Tripus.* AE. III.

Bacchus ante Apollinem Delphicum tripodem tenuit, de quo ibi fusius egi. Propius huc pertinet, quod narrat Macrobius [c]) ex Aristotele: *apud Ligyreos in Thracia esse adytum Libero consecratum, ex quo reddantur oracula; sed in hoc adyto vaticinaturi plurimo mero sumpto, uti apud Clarium aqua potata, effantur oracula.* Etiam ab Euripide Bacchus apud Thracas vates proditur [d]):

Ὁ Θρηξὶ μαντις ἐστι Διονυσος τάδε.
Apud Thracas vates dixit Bacchus iste.

Et in Bacchi certaminibus praemium fuisse tripodem refert Athenaeus [e]). Nimirum ut de Baccho testatur Euripides [f]):

Μαντις δ' ὁ δαιμων ὁδε. Το γαρ Βακχευσιμον
Και το μανιωδες μαντικην πολλην ἐχει,
Ὁταν γαρ ὁ θεος ἐις το σωμ' ἐλθῃ πολυς,
Λεγειν το μελλον τους μεμηνοτας ποιει.
Vates vero deus hic est. Etenim Bacchatio,
Et insania vaticinandi vim magnam habet;
Quando enim hic deus in corpus venerit multus,
Vaticinari insanientes facit.

Constat, Cassandram passim a poetis jam Bacchantem, jam vatem dici.
AE. RRRR.

Imperatorii.

A Domitiano usque ad Saloninam. Ejus moneta maxime illustris imperante Caracalla, ut videbimus infra in Ludis.

Epigraphe: ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΩC, item ЄΝ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛЄΙ. in numis ludorum.

Memorabiles numi Domitiani bilingues:

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIIII. CENS. PER. P. P. *Caput laur.* Ϟ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Mulier stans d. pateram, s. ramum, pro pedibus fluvius decumbens.* In aliis: *Miles stans.* AE. m. m. AE. II. (Mus. Caes.)

Similem edidi etiam ex Mediceo [g]). Alius est in Theupoli, omnes cum eodem

b) T. II. p. m. 336. c) Sat. I. I. c. 18. d) Hecuba v. 1267. e) L. II. p. m. 37. f) in Bacchis v. 298. g) Num. vet. p. 60.

Digitized by Google

consulatu XIIII. Quae causa fuerit, cur Philippopolitae hoc anno tam illustres numos signaverint capta ex numis Romanis parte antica, incertum. Forte aliquo modo imitati sunt ludos saeculares, quos Domitianus in consulatu XIIII. tanto fastu celebravit.

Typi: saepe *fluvius decumbens*, qui Hebrus est, cui urbs adsita. Nobiliores alii infra describentur.

* * *

Magistratus. Primum *Legatus.*

ЄΠΙ. ΑΝΤ. ΖΗΝΩΝΟϹ. ΠΡ. ϹЄΒ. ΑΝΤ. in numo Antonini. (Mus. Caes. Pellerin Mel. II. p. 357.) Idem est in numo Perinthi. Alium Faustinae sen. vulgatum ab Haymio, tributumque Bithynis huc verisimiliter pertinere dicetur in prolegomenis ad numos Bithyniae.

Praeses, ἡγεμών in legati locum successit imperante eodem Pio, ut in Perinthi numis vidimus, et duravit deinceps.

Sub Antonino: ΗΓЄ. ΠΟΜ. ΟΤΟΠЄΙϹΚΟΤ. (Mus. Caes.) Legitur idem in numis Hadrianopolis, Pautaliae, Plotinopolis. — ΗΓЄ. ΓΑΡΓΙΛΙΟΤ. ΑΝΤΙΚΟΤ. (Vaill.) Est etiam in numis Pautaliae. — ΗΓЄ. Μ. ΠΟΝΤ. ϹΑΒЄΙΝΟΤ. (Vaill.) Idem est in numo Hadrianopolis.

Sub Aurelio: ΗΓЄ. ΓΑΡΓΙΛΙΟΤ. ΑΝΤΙΚΟΤ. (Vaill.) etiam in numis Perinthi, item Pautaliae, sed cum capite Veri.

Sub Commodo: ΗΓЄ. Μ. ΑΙ. ϹЄΡΟΤΙΛΙΑΝΟΤ. (Vaillant.) — ΗΓ. ϹΟΤΛ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΤ. (Catal. d'Ennery p. 476.)

Sub Severo et Domna: ΗΓЄ. ΤΙΒ. ΒΑΡΒΑΡΟΤ. (Vaill.) Barbarus est etiam in numo Pautaliae, Serdicae et Trajanopolis Severi.

* * *

Ludi:

ΚΟΙΝΟΝ. ΘΡΑΚΩΝ. ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ. (juncto saepius ΠΤΘΙΑ.) ЄΝ. ΦΙ. vel: ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. *variis typis*, Caracallae m. m. (Vaill. Mus. Caes.)

Complures numos sic inscriptos memorat Vaillantius, et tantum sub Caracalla. Narrat Herodianus [h]), Caracallam, cum a Danubio in Thraciam Macedonibus conterminam declinaret, repente Alexandrum M. evasisse, ejus memoriam, quibus potuit modis renovasse, imaginibus et statuis per omnes urbes collocari jussis. Quod hic vage Herodianus absque urbis mentione perhibet, istud factum, cum Philippopoli degeret, ex ipsis his numis satis apparet, *communi Thracum* ad obeundos *Alexandreos* hos ludos coacto. Enimvero in alterius imperatoris numis Philippopoli cusis hi ludi non amplius leguntur, nimirum hic oppidanorum in Alexandrum adfectus imperatus erat, deinceps neglectus.

ΠΤΘΙΑ vidimus cum Alexandreis conjuncta. Elegantem typum Pythiorum edidi ex numo Elagabali musei Caesarei [i]), in quo abest quidem mentio horum ludorum, qui tamen satis et adstante Apolline, et propositis malis indicantur, de quibus, utpote hieronicarum Pythiorum praemio, vide tractatum de ludis.

---

h) in Carac. p. m. 548. i) Num. vet. p. 60.

Digitized by Google

ΚΕΝΔΡΕΙCΕΙΑ. ΠΤΘΙΑ. ΕΝ. ΦΙΛΙΠ-ΠΟΠΟΛΙ. ΝΕΩΚΟΡΩ. *Templum 8. col.* Elagabali. (Mus. Caes. Vaill.) Est etiam in museo Pisani, sed inter numos Caracallae.

De ignotis ludis Cendresiis vide tractatum de Ludis.

* * *

Metropolis. Sub Severo hoc honore adfecta creditur, nam ejus numi alii eum reticent, alii addunt.

Neocoratus incipit sub Caracalla, nam numum Aurelii addito ΝΕΩΚ. vulgatum a Vaillantio tanto certius licet negligere, cum idem auctor serius consentiat ipse, hanc urbem a Caracalla neocoratu donatam [k]).

* * *

Mentio situs.

ΡΟΔΟΠΗ. *Mulier innixa scopulis s. florem, retro arbustum*, Antonini. (Seguin. Sel. num. p. 157.)

Rhodope notus Thraciae mons, a quo et ipsa urbs vocata *Rhodope;* nam in apospasmatio, quod est in Hudsoni Geogr. min. Tab. IV. sub finem p. 43, legitur: Ροδοπη ἡ Φιλιππουπολις. Existimat Seguinus, figura muliebri sisti Rhodopen Strymonis F. in montem mutatam. Addo, florem, quem manu praefert, videri rosam cum adlusione ad urbis nomen.

AE. C.

* * *

Colonia. Exstant numi Philippi sen. et Marini:

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑC. S. C. *Roma galeata sedens d. aquilam, cui insistunt duae icunculae, s. hastam,* Philippi sen. (Vaill. Theup.)

Alius, sed eadem Roma stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus clypeus. (Arigoni.)

ΘΕΩ. ΜΑΡΙΝΩ. *Caput Marini nudum aquilae volanti impositum. Aversa ut in numo I.* (Vaill. Seguin. p. 182.)

Alius, sed aversa, ut in numo II. (Theupoli.)

Omnes hos Vaillantius apud Philippopolin non hanc Thraciae, sed alteram Arabiae signatos iterato docet [l]). Causam adfert: *Thracica quidem metropolis dignitate in numis insignitur, Arabica vero coloniae titulum sibi adsumit, quae Marini consecrationem vulgavit, et non Thracica.* At Harduinus, et post eum alii Philippopolin Thraciae horum numorum parentem agnoscunt, in quorum sententiam propendet etiam Spanhemius [m]). Et vero cum constet, Marinum in Moesia adclamatum imperatorem, multo magis verisimile, ei post mortem a vicina Thraciae urbe signatos numos, quam a remotissimis Arabiae Philippopolitis, quos tanto minus credibile est favisse Marino, quoniam Philippum, adversus quem is conspiravit, urbis suae conditorem agnovere. Argumentum, quo sententiam suam stabilire nititur Vaillantius, sane exile est. Ait, Philippopolin Thraciae in numis dici metropolin. Nescio, quid hoc sibi velit vir eruditus. An in his quoque numis addendam fuisse metropolis dignitatem? At multo plures sunt urbis hujus numi, in

---

k) Num. Graec. p. 221. l) Notae ad Seguin. p. 417. et in Colon. m) Tom II. p. 254.

Digitized by Google

quibus ea dignitas dissimulatur, quam in quibus additur. An quod eadem metropolis, et colonia esse non potuit? contrarium probant Thessalonica, Sidon, Tyrus etc. Negaverit, Philippopolin Thraciae fuisse coloniam? at quis eum edocuit, alteram Arabiae fuisse coloniam? Victoris Schotti verba sunt: *condito apud Arabiam Philippopoli oppido*, loquentis de Philippo; et Zonarae: *ortus* (Philippus) *Bostris, ubi urbem imperio potitus aedificavit, eamque Philippopolin nominavit.* In eadem verba Cedrenus. Etiam Eusebius, ejusque interpres de aedificata a Philippo nominis sui urbe loquuntur [n]). Nulla in his coloniae mentio. Tamen eam Vaillantius constanter coloniam adserit, quam ex numis probare non potest, nisi antea probaverit, sed quod ipsum quaeritur, numos hos ad Philippopolin Arabiae pertinere. Etsi vero nullo diserto argumento constet, Thraciae Philippopolin fuisse coloniam, constat tamen, non paucas in hoc tractu urbes, quod ob barbarorum hoc aevo incursiones incolis essent exhaustae, colonis fuisse frequentatas, quod aperte docent numi Viminacii et Daciae; post annos non multos a Valeriano, ut verisimile est, Thessalonica Macedoniae colonia est deducta, eaque in numis, perinde ac Philippopolis, inscriptione Graeca est usa. Vnicum, quod opponi queat, est, citari a Vaillantio Philippopolis Thraciae numum Graecum cum capite Saloninae absque mentione coloniae, cum tamen, ut alias abunde docui, urbes, cum primum coloniam recepere, coloniae indicia seu inscriptione, seu typo nunquam neglexerint. At nequaquam molestus est hic nodus, nam fieri poterat, ut subinde haec urbs coloniae jura iterum amitteret, quod idem accidisse Neapoli Samariae ab eodem Philippo deductae verisimile dicetur, vel citatus Vaillantii numus alterius est urbis, facili lapsu in lectione nominis in ΠΟΛΙΤΩΝ desinentis, quod tot urbibus fuit proprium. Certe in museis Austriacis, quae Philippopolis numis propter viciniam sunt instructiora, ejus numi postremi in imperium Elagabali cadunt. Haec si vera sunt, omnes hi Philippi et Marini numi coloniae nomine insignes ad eandem Thraciae Philippopolin pertinebunt, acciditque his numis idem quod numis Amphipolis, qui Vaillantio judice justo tempore Amphipolin Palmyrenes exules tandem discussa melius causa Amphipoli Macedoniae restituti sunt.

Ceterum compertum non habemus, quae causa fuerit Philippopolitis cudendae Marini nomine monetae, ejusque etiam consecrandi. Si cui exiles conjecturae placent, adeat Seguinum, et Spanhemium [o]).

AE. RRR.

PLOTINOPOLIS.

Mediterranea ad Hebrum fl. sic vocata a Plotina Trajani uxore.

Imperatorii.

Hactenus tantum proditi Antonini,

---

[n]) in Chronico. [o]) ll. cc.

Digitized by Google

Faustinae jun., et Caracallae. Aurelii unum nuper adjecit Sestinius.

Epigraphe: ΠΛΩΤΕΙΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Typi* obvii.

Magistratus ἡγεμων in solis numis Antonini: ΗΓΕ. ΠΟΜΠ. ΟΤΟΠΕΙCKOT., quem jam vidimus in numis Hadrianopolis, Pautaliae, Philippopolis. (Mus. Caes.)

* * *

Memorandus hic numus max. mod. Caracallae vulgatus ab Arigonio:

ΠΛΩΤΕΙΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Capita duo muliebria se respicientia, quorum dexterius velatum tutulatum, infra:* ΠΛΩ-ΤΕΙΝΟΠΟΛΙC., *sinisterius velatum turritum, infra:* ΔΟΜΙΙΝΟΠΟΛΙC. *(sic) in imo:* ΑΔΕΛΦΑΙ.

Inquirendum aliis permitto, quae sit memorata in hoc numo *Domenopolis*, quo nomine neque Thraciae, neque alterius regionis urbs ulla proditur. Ἀδελφαι dici potuere in Moesia et Thracia Trajanopolis, Plotinopolis, Marcianopolis, Nicopolis, quippe omnes aliquo saltem sensu a Trajano conditae, ut se ἀδελφας in numis dixere IV. Syriae urbes a Seleuco exstructae. Forte harum una a Severi conjuge dicta est *Domnopolis* temporario tantum nomine, atque iterum post mortem abolito. At oportet ante omnia veram numi lectionem stabilire, cujus fides in typis Arigonianis persaepe suspecta est.

AE. B.

SERDICA.

Mediterranea versus Moesiam, cui a nonnullis geographis inserta fuit.

Numos *autonomos* ex museo Hunteriano edidit cl. Combius:

Caput Mercurii petaso tectum. Ɪ *Area in quatuor partes secta, intra quas literae* TPIA. AE. III. IV.

Numum his similem vidi in museo privato Vindobonae. Eos Combius tribuit Triaditzae Moesiae, vel Thraciae. Teste Cellario auctores conspirant omnes, urbem, quae Serdica ante dicta fuit, serius Triaditzam appellatam fuisse. Ex numis discimus, Serdicam adhuc Gallieni aetate vetus suum nomen retinuisse. At quis sibi facile persuaserit, Thraciae mediterraneae urbem signare numos Triaditzae nomine perrexisse ea aetate, qua urbes per imperium omnes ferire monetam desivere? Quid quod non inelegans horum numorum fabrica, et tota eorum conformatio altiora tempora palam postulant. Interea ut hujus Triaditzae certo non sunt, sic cui urbi verisimili quadam ratione sint tribuendi, ignorare me profiteor. Eos nuper Sestinus Triullo nescio cui Macedoniae urbi tribuendos putavit, quam vide.

Imperatorii.

Procedunt ab Aurelio, exeunt cum Gallieno.

Epigraphe: CЄPΔΩN, vel OTΛIIIAC. CЄPΔIKHC. et sic marmora, et Peutingeriana, at infimi aevi scriptoribus cum Graecis, tum Latinis dicta est *Sardica*, secundum quod futile CAPΔIKЄΩN Goltzii.

Typi obvii, etsi ingens sit ejus numorum copia.

Magistratus ἡγεμων, praeses, in tribus

Digitized by Google

numis proditus: ΗΓΕ. ΚΛ. ΑΠΠΙΟΥ ΜΑΡΤΙΑΛΟΥ. in binis Veri. (Mus. Caes.) Idem habetur etiam in numo Anchiali, sed cum capite Domitiani teste Vaillantio, qui numum ex Leonardo Augustino, sed auctore, ut constat, parum idoneo, recitat. — ΗΓΕΜ. Λ. ΕΙΤΕΙ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ. in numo Severi, quae lectio vitii suspicione non caret. Confer Barbarum inscriptum numis Trajanopolis. — ΗΓΕ. ΚΑΙΚΙΝΑ. Λ-- in numo Severi, (Neumann.) quem minus lacerum vide in Pautalia.

AE. C.

THERNE.

Obscura Thraciae urbs ex Stephano nota. Numus ΘΕΡΝΑΙΩΝ ab Harduino ex museo regio vulgatus reddendus Eleuthernis Cretae.

TIRIDA.

Vrbs Thraciae prope Abderam, jam Plinii aetate perdita, qui eam *oppidum Diomedis equorum stabulis dirum* appellat p). Ei a Combio tribuitur.

Autonomus.

Caput Herculis barbatum, et leonis pelle obtectum. Ϫ T *in medio, ex quo duo botri dependent, infra literae* Я I, *omnia intra quadratum.* AR. III. (Mus. Hunter.)

Ex collectis his literis Combius efficit TIR. nempe syllabam hujus oppidi ἀεχαιοσμ. Commode istud, quanquam absterrere possit urbs magis ex fabulis, quam vera historia cognita, et erunt forte, quibus potius legendum TRI. videbitur, numusque adeo tribuendus Triccis Thessaliae.

TOPIRUS.

Ad mare Aegaeum.

Imperatorii.

Ab Antonino usque ad Getam.

Epigraphe: ΤΟΠΕΙΡ ΤΩΝ, vel: ΟΤΛΠΙΑC. ΤΟΠΕΙΡΟΥ.

Ex *typis* frequentior: *Hercules nudus saxo insidens d. clavam ad genu attinet.*

Magistratum tantum Antonini numis inscriptum reperio:

ΕΠΙ. ΦΑΒ. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΟΥ. typo Herculis sedentis eo modo, quo dixi, (Mus. Caes.) ex quo haud dubiè corrigendus Vaillantius, qui in numo cetera simillimo legit ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. (Num. Graec. p. 45.)

ΕΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΜΟΔΟΥ. eodem typo in binis musei Caesarei. At in simili Vaillantius legit ΗΓΕ. ΙΟΥ. ΚΟΡΔΟΛΟΥ., de qua lectione dubitem. In numis Perinthi vidimus: ΗΓΕ. ΙΟΥ. ΚΟΜΜΟΔΟΥ.

AE. R.

TRAIANOPOLIS, quae et AVGUSTA TRAIANA.

Trajanopolis mediterranea ad Hebrum fl. conditorem ipsa suum eloquens.

Imperatorii.

Ab Aurelio usque ad Gordianum.

---

p) L. IV. §. 18.

Digitized by Google

Epigraphe: ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Typi* obvii.

Magistratus: Ηγεμων.

ΗΓ. ΑΚΙΛΙΟΤ. in numo Severi. (Vaill.)

ΗΓΕΜΟC. ΤΙΒ. ΒΑΡΒΑΡΟC. in numo Severi, (Vaill. Theup.) de quo vide mox infra.

* * *

Augusta Trajana, quae utrum eadem sit cum Trajanopoli, mox disputabitur.

Imperatorii

inscripti ΑΤΓΟΤCΤΗC. ΤΡΑΙΑΝΗC. ab Aurelio usque ad Getam.

Magistratus: ἡγεμων.

ΗΓΕ. ΤΟΤΛ. ΜΑΞΙΜΟΤ. in numis Aurelii et Veri. (Vaill. Theup.) Idem legitur in Hadrianopoli et Pautalia.

ΗΓΕΜΟC. ΤΑΤΙΑΝΟC. Commodi, (Vaillant.) quem et Hadrianopolis praedicat.

ΗΓΕ. Τ. ΒΑΡΒΑΡΟC. Severi. (Theup.)

ΗΓ. CΤ. ΒΑΡΒΑΡΟΤ. Severi. (Mus. Caes.)

Magistratus domesticus:

ΕΠΙ. vel ΤΠ. Γ. CIKIN. ΡΟΤΦΟΤ. Caracallae, Plautillae. (Arigoni. Vaill.)

* * *

Quaeritur, fueritne Augusta Trajana eadem cum Trajanopoli. Fuere, qui numos inscriptos ΑΤΓΟΤCΤΗC. ΤΡΑΙΑΝΗC. Sarmizegetusae Daciae tribuerent, quae fide marmorum *Colonia Vlpia Trajana Augusta Dacica* vocabatur, et nutabat Froelichius quoque q). Verum huic Daciae urbi hos posse numos tribui, obstat, quod haec ab eo tempore, quo Romanis paruit, colonia fuit, cujus mentione tam parum, quam aliae urbes coloniae honore adfectae abstinuisset, et nescio, cur ea urbs colonia inscriptione Graeca usa esset, cum aliae urbes in ipsa Graecia, ejusque umbilico constitutae, simul ac coloniae deductae sunt, Latina fere semper uterentur, neque ullo monumento constet, Daciam colonis Graecis fuisse frequentatam. Cum igitur ex numorum fabrica et mentione ἡγεμονος certum sit, eos hujus tractus esse partum, neque in eo praeter Trajanopolin de alia urbe constet, quae a Trajano appellationem traxisset, non videtur inter ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ, et ΑΤΓΟΤCΤΗC. ΤΡΑΙΑΝΗC. distinguendum, nisi velimus etiam distinguere inter CΕΡΔΩΝ, et ΟΤΛΠΙΑC. CΕΡΔΙΚΗC, aut inter ΠΑΤΤΑΛΙΩΤΩΝ et ΟΤΛΠΙΑC. ΠΑΤΤΑΛΙΑC, aut etiam distinguere inter Istriam et Istropolin, Odessum et Odessopolin, Scodram et Scodropolin, Solos et Solopolin, Ceramum et Ceramopolin.

In horum numorum explicatione mira dictavit Harduinus, cui combinatis iis, quae in Operib. sel. disserit, (pag. 171, et 176.) Sarmizegetusa et Trajanopolis Thraciae una eademque videntur urbs esse. Alii hos numos Trajanopoli Phrygiae, alii Augustae Ciliciae proprios esse voluere, quos refellere supervacaneum est.

* * *

Discrimen inter numos hujus Trajanopolis, et alterius Phrygiae tum tantum

q) IV. Tent. p. 278.

Digitized by Google

statui potest, cum additur magistratus, nam in illa fuere ἡγεμονες, in hac ἀρχοντες. In aliis nonnunquam fabrica et typi lucem adferunt. Sed non consentio cum Froelichio, qui numum Caracallae propter typum Cybeles Phrygiae nonnihil timide largitur r). Cybele passim in numis urbium Thraciae offertur.
AE. C.

TRIADITZA.

Vide supra in *Serdica.*

TYLIS.

Numos ΤΤΛΙΣΙΟΝ a Liebeo aliisque obscurae huic Thraciae urbi adscriptos tribuendos esse Tylisso Cretae, ad numos hujus urbis docebimus.

CHERSONESVS THRACIA.

Peninsula mari Aegaeo, Hellesponto, Propontide intercepta complures urbes alicujus nominis inclusit, quas huc distulimus. Ipsius peninsulae nomine numos nullos habemus, nam inscripti XEP. vel XEPΣO. sunt Chersonesi Tauricae vel Creticae.

AEGOSPOTAMVS.

Flumen et urbs, prope quam celebri praelio fractae a Lysandro Atheniensium vires maritimae.

Autonomi.

Caput muliebre tectum corona fastigiata Ξ ΑΙΓΟΣ. ΠΟ. *Caper.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.)

Caprum adludere ad urbis nomen, quod *capri fluvium* notat, nemo non videt.
AE. RRR.

ALOPECONNESVS.

Vrbs hujus Chersonesi secundum geographos omnes, non vero, ut docuit Plinius, insula, cui altera vocabuli pars imposuerit.

Autonomus.

Caput muliebre. Ξ ΑΛΩΠΕΚΟΝ. *Diota, juxta vulpecula et botrus.* AE. III. (Pellerin Suppl. I. p. 13.)

Ad urbis iterum nomen aversae typo adluditur. Narrat Stephanus, oraculo jubente conditam urbem eo loco, quo vulpis catulos, ἀλωπεκος, novi coloni viderent. Scymnus eam Αιολεων πολιν vocat.
AE. RRRR.

CALLIPOLIS.

Autonomum huic urbi tribui video in museo Theupoli sic descriptum: *Clypeus.* Ξ ΚΑΛΛΙ -- *Vas ansatum.* AR. II. At hic sine dubio est unus ex Boeoticis obviis.

Imperatorium Trajani edidit Pellerinius, (Suppl. III. p. 120.) in cujus Ξ

r) IV. Tent. p. 279.

Digitized by Google

Apollo stolatus stans cum lyra, et in orbem scriptum: ΑΠΟΛΛΩΝ. ΚΑΛΛΙΠ. Hoc posterius verbum aut indicat epithetum Apollinis, ut: καλλιπρεσωπος, vel καλλιπλοκαμος, aut, quod minus verisimile, urbem, ac tum esse posset hujus Callipolis. Numis igitur ea certis caret.

CARDIA.

In Chersonesi Isthmo. Eam peninsulae maximam dixit Demosthenes [s]), sed eversa est a Lysimacho, qui juxta urbem sui nominis condidit [t]).

Autonomi.

Caput muliebre. Ɪ ΚΑΡΔ. *Equus pascens.* AR. III.

In alio: ΚΑΡΔΙΑ. *Leo gradiens.* AE. II. (Pellerin.)

Caput barbatum intra quadratum Ɪ *sine epigraphe. Cor.* AR. III. (Pellerin.)

Typus cordis, quod Graecis καρδια, epigraphen abunde supplet.

AR. RRRR. AE. RRR.

COELA.

Municipii nomine inscripti numi complures exstant ab Antonino usque ad Volusianum.

Epigraphe: AEL. MVNIC. COEL. vel COIL. vel COELA, vel CVLLA, addito in numis Caracallae ANT.

Typus potior: *Navis dimidia imminente cornucopiae.* In aliis soliti coloniarum typi: *Lupa cum gemellis*, *Silenus*, etc.

Diu litigatum inter antiquarios, ad quam urbem referendi sint hi numi, Harduino jam Caelium Apuliae opinante, jam hanc ipsam Thraciae Coelam, jam Eliberim vel Iliberim Aquitaniae, at Spanhemio Coelobrigam Hispaniae, ac demum Vaillantio, quem plerique deinceps secuti sunt, Coello vel Coillu Numidiae. Belleyus denique eos solidis argumentis huic Chersonesi Coelae adfixit [u]). Variatio literarum OE. OI. et V. varias urbes non arguit, nam ut Latini dixere *curavit*, *ludus*, *municipium*, sic et *coeravit*, *coiravit*, *loedos*, *loidos*, *moenicipium*, *moinicipium*.

Nomen ab imperatore AEL. nempe Aelio Hadriano, quem adeo verisimile est, fuisse municipii auctorem.

ANT*oninianum* in numis Caracallae ex hujus nomine.

* * *

In similibus numis cum aliqui legerent MVN. FANE. AEL., tributi fuere jam Fano Vmbriae, jam Aelio Fanestri Hispaniae, ut dixi supra in Fano Vmbriae.

AE. R.

LYSIMACHIA.

Aedificata a rege Lysimacho ex ruinis Cardiae a se eversae, et de nomine suo appellata.

Autonomi.

Epigraphe: ΛΤΣΙ. ΛΤΣΙΜΑΧΕΩΝ.

Typi: *Caput Apollinis.* Ɪ *Leo.* — *Caput Herculis imberbe.* Ɪ *Victoria.* — *Caput leonis.* Ɪ *Spica.* AE. III.

Leo in Lysimachiae numis frequens, at non propterea, quod Cardia, in cujus

s) Philipp. III. t) Pausan. Att. c. 9. u) B. L. T. XXV. hist. p. 102.

Digitized by Google

ea locum surrexit, hoc typo usa est, ut censuit Pellerinius, sed quia leonem frequenter in numis aeneis signavit Lysimachus ipse, a quo typus hic in conditam a se urbem suapte migravit.
AE. RR.

Regius.

Cum capite Lysimachi, quem vide infra in numis hujus Thraciae regis.

SESTVS.

Ad medium Hellespontum, cui in adversa Asiae ripa Abydus respondet, utraque olim Leandri et Herus amoribus inclyta.

Autonomi.

Caput muliebre velatum. Ɪ ΣΗΣΤΙ. *Mulier sedens d. binas faces, ut videtur, juxta Herma.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Apollinis. Ɪ ΣΗΣΤΙ. *Tripus.* AE. III. (Pembrock.)

Caput Mercurii. Ɪ ΣΗ. *Lyra, in area* A. AE. III. (Mus. Borgia.)
AE. RRR.

Imperatorii:

A Trajano usque ad Philippos. Domitianum adjecit Sestinius x).

Epigraphe: CHCTIΩN.

Inter *typos* illustrior est:

Leander freto innatans, et Hero porrecta ex turri lampade noctem illustrans, Caracallae. (Mus. Caes.)

Lyra, Trajani et Hadriani. (Vaill. Pellerin.)

Typum lyrae in imperatoriis item non raro adhibet opposita Abydus, velut ad indicandam utriusque urbis oppidanorum concordiam vetere utriusque amantis exemplo fundatam.
AE. RR.

INSVLAE AD THRACIAM.

LEMNVS.

Praeter Goltzii numos suspectos alium edidit Arigonius, in quo caput Vulcani, ejusque attributa, et epigraphe ΛΤΜΝΟC additis insuper 4 globulis y). Et epigraphe et globuli judicium evertunt, numusque hic haud dubie est Populoniae Etruriae. Ergo universae insulae nomine nullus hactenus certus proditus. In ea fuit urbs

HEPHAESTIA.

Autonomi.

Caput virile diadematum. Ɪ HΦAI. *Aries adstituta nonnunquam lampade.* AE. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput Apollinis laur. Ɪ HΦAI. *Lampas ardens, juxta pilei Dioscurorum, vel aries.* AE. III. (Pellerin.)

Lampadem adludere ad Vulcanalia, patebit ex iis, quae ad numum similem

x) T. IV. p. 96. y) Tab. IX. inter trientes.

Digitized by Google

Atheniensium observabo. Ceterum necesse non puto monere, Lemnum fuisse Vulcano sacram, atque ab hoc, Graecis Ηφαιστφ, Hephaestiam nomen tulisse.
AE. RRR.

IMBRVS.

Insula exigua prope Chersonesum.

Autonomi:

Caput Palladis. ☧ IMBPIΩN. *Mulier stolata stans d. pateram, s. lyram; in alio pro lyra tenens cornu copiae.* AE. II. (Pellerin.)
AE. RRRR.

NEA.

Insula prope Lemnum, de qua vide Plinium [z]), et commentantem Harduinum.

Autonomi:

NE. *Caput Aesculapii.* ☧ NE. *Pallas galeata alata gradiens instar Victoriae d. lauream, s. palmam.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Palladis. ☧ NE. *(in monogr.) Noctua.* AE. III. (Pellerin.)

Pellerinius numum utrumque propter typos Palladis huic insulae tribuit adserente Plinio, Neam Minervae esse sacram. Sed idem Plinius Neam Troadis oppidum memorat, in quo simulacrum Minervae miraculo inclytum, ut adeo nihil certi de his numis pronunciari possit. De Pallade alata vide numos Agathoclis Syracusani.
AE. RRR.

SAMOTHRACE.

Ostiis Hebri opposita, insula mysteriis et Cabirorum religione nobilitata.

Autonomi:

Caput Palladis. ☧ ΣAMO. *addito vario magistratu:* ΣΩKΛE. — MHTP. — ΠTΘO. *Mulier sedens capite tutulato d. pateram, s. hastam.* AE. III.

Similem olim inter incertos ediderам [a]). Serius cum occurrerent plures alii, in quibus invariatum ΣAMO. variantibus constanter adstitutis vocabulis, vidi, in ΣAMO. quaerendum populum, ad quem numi hi pertinerent. Et placuit Samothracia, quoniam Samosatorum Commagenes alii sunt typi, et fabrica rudior. Similem edidit Pellerinius, in quo cum legeret ΠTΘO. reliqua inscriptione extrita, eum Pythopoli Bithyniae perperam tribuit [b]). Habemus ergo jam tres hujus insulae numos cum triplice vario magistratu, quorum duo sunt in museo Caesareo, tertius in Pelleriniano.

Caput muliebre. ☧ ΣAMOΘPAKΩN--EIPΩNOΣ. *Aries stans, infra:* TPIOBOΛO. AE. II. (Hunter.)

Numus hic insulae nomen plene perscriptum sistit. Additum TPIOBOΛO. pretium numi, tres obolos, exprimit.
AE. RRR.

THASVS.

Insula magni ab opulentia nominis, quam testatur incredibilis monetae argenteae copia.

---

z) L. II. §. 89. et L. IV. §. 23. a) Num. vet. p 309. b) Rec. II. p. 25.

Digitized by Google

Autonomi.

Caput Bacchi barbatum et hedera coronatum. Ϡ ΘΑΤΙΟΝ. *Hercules leonis exuviis tectus flexo dextero genu arcum intendit, in area hinc* BA. *illinc* ΓΟ. *supra genu sinistrum lacerta, omnia intra quadratum.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

Eadem adversa. Ϡ ΘΑΣΙΟΝ. *Hercules ejusdem rationis intra quadratum.* AR. I. (Pellerin.)

Horum priorem omnium elegantissimum ac singularem olim edidi [c]). Est hic antiquissimis insulae accensendus, cusus eo tempore, quo dialectus adhuc Dorica valuit. Thasios autem fuisse Dores, tradit Strabo, qui conditam Thasum refert a Pariis insulanis; sed hi ipsi teste Stephano fuere coloni ex Arcadia et Creta egressi, quas terras Dores tenuere.

Bacchi et Herculis imagines obviae in Thasi moneta. Bacchi cultum suasit excellentia vini Thasii, magni inter veteres potores nominis. Herculis cultus in hac insula vetustus fuit, nam Phoenices ei ibi statuisse templum, cum ad quaerendam Europam egressi essent, narrat Herodotus, qui et addit, Tyri quoque stetisse templum Herculi Thasio sacrum [d]). Harduinus virum hunc genuflexum, et arcum tendentem Persen Persei F. putat, nixus Pollucis testimonio, narrantis, Thasios hunc heroem in moneta signasse [e]), quae opinio juvatur auctoritate Plinii docentis [f]) Persas sagittandi artem ab eodem Perse edoctos. Verum cum Hercules in aliarum quoque urbium numis frequenter telum evibret, et idem praecipuis, ut dixi, honoribus in hac insula ornatus fuerit, adscripto etiam in numis obviis, de quibus mox, ipso ejus nomine, non patimur nos a recepta aliorum opinione dimoveri, quibus is manifestus Hercules videtur. Et vere qualis in his numis pingitur, eleganter describitur ab Homero [g]):

— ὁ δ' ἐρεμνῇ νυκτι ἐοικως
Γυμνον τοξον ἐχων, και ἐπι νευρῃφιν ὀϊστον,
Δεινον παπταινων, ἀιεὶ βαλεοντι ἐοικως.
ille vero obscurae nocti similis
Nudum arcum habens, et ad nervam sagittam,
Torvum tuens, semper ejaculanti similis.

Literas numi prioris BA. et ΓΟ. explicare non tento.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ϡ ΘΑΣΙΟΝ. ΗΠΕΙΡΟ. *Tripus, humi diota.* AV. III. (Pellerin.)

Numus eximius cum a metallo et eruditione, tum quod hactenus unicus. Thasii non modo in ipsa insula divites auri fodinas tenuere, ut narrat Herodotus ἀυτοπτης [h]), quae causa fuit, cur olim diceretur χρυση νησος, *aurea insula* teste Eustathio [i]), verum et opulentiores alias in continente Thraciae, quarum unae fuere Scaptesylae e regione Thasi positae, unde immensas opes traxisse Thasios eodem loco tradit Herodotus, alterae Datum prope Strymonem ab ipsis Thasiis conditum deductis eo colonis, ut perhibet Eustathius [k]), quod subinde Philip-

c) Num. vet. p. 61. d) L. II. c. 44. e) Onom. L. IX. c. 6. f) L. VII. p. 415.
g) Od. Λ. 605. h) L. VI. c. 46–47. i) ad Dionys. v. 517. k) l. c.

Digitized by Google

pus Amyntae sibi subjecit conditis ibi de suo nomine Philippis, ut in horum numis dicetur.

Cum in numo praesente addatur ΗΠΕΙΡΟ, quod haud dubie positum pro Ἠπείρου, *continentis*, certum est, signatum eum in alterutra ex his fodinis in continente sitis. Pro Dato vero pugnat numus insignis, praesenti Thasiorum numo tam utriusque partis typo, quam quod aureus et ipse est, simillimus, et sola inscriptione ΦΙΛΙΠΠΩΝ differens. Quo docemur sane, Philippenses, novos Dati ejectis Thasiis incolas, secundum vetus monetae Thasiae exemplar numos cudere perrexisse. Pellerinii explicatio nonnihil differt, eo praecipue, quod in capite anticae ipsam Philippi II. imaginem videt. Mihi Herculis juvenis est, in urbium numis passim obvii.

* * *

Caput Cereris velatum. Ɪ ΘΑΣΙΟΝ. *Capita Dioscurorum intra racemos.* AE. III. (Haym.)

Causam Cereris tenemus ex Dionysio Periegete [l]), cui Thasus dicitur Δημητρος ἀκτη, *Cereris litus*, quia, ut ibi addit Eustathius, insula per fertilitatem felix.

* * *

Caput Bacchi hedera et corymbis coronatum, adfixo pone cornu arietino. Ɪ ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΘΑΣΙΩΝ. *Hercules nudus stans d. clavam, s. exuvias leonis.* AR. I. an dentur et similes aurei, incertum, is, qui est in museo Caesareo, fusus est.

Nulla aliarum Graeciae urbium tanto numero tetradrachma dedit, quo ipso largi proventus, quos ex fodinis percepere Thasii, praeclare comprobantur. Valuisse vero istud monetae genus etiam apud barbaros, et ab his numos ad horum modulum plane exactos fuisse percussos, argumento est, quod magno numero reperiuntur Thasiorum numi argentei ejusdem ponderis ac probitatis, verum typis, et epigraphes literis adeo barbaris ac luxatis, ut, cujuscunque esse aetatis statuas, Thasiorum Graecorum opus nequaquam possis agnoscere. Sunt, in quibus puncta, sive globuli inscriptionis vicem subeunt, iique eadem lege positi, qua literae ipsae in veris Thasiis. Horum magnam partem a Dacis barbaris fuisse signatam, inde facile colligas, quod magna copia horum Thasiorum tam probae, quam barbarae fabricae indies in Transilvania eruitur. Similem deformis operis cum nomine Cotyos Thraciae regis vide in hujus moneta, quo loco alia ad hoc argumentum pertinentia monebo. Teste Pausania Thasii Olympiae dedicaverunt Herculem aeneum X. cubitorum, d. clavam, s. arcum tenentem [m]).

* * *

Capita juncta Silenorum instar Jani. Ɪ ΘΑΣΙ. *Binae diotae contrario situ.* AR. III. (Pellerin.)

Mirus typus utriusque partis, et incerta significatio. Eodem situ, quo diotae in aversa hujus numi, in moneta Istri Moesiae bina capita conjuncta videas.

---

l) v. 523. m) L. V. c. 25.

Digitized by Google

* * *

Caput Dianae. ☧ ΘΑΣΙΩΝ. *Hercules stans sagittam emittit.* AE. III. (Mus. Bodl. p. 10.)
AV. RRRR. AR. C. AE. RR.

Imperatorii.

Rarissimi. Hactenus bini tantum cogniti inscripti ΘΑCIΩN, unus Caracallae, (Pellerin.) alter Getae, quem ex museo M. Ducis edidi [n]). In utroque: *Hercules gradiens cum attributis.*

Huc etiam Vaillantius revocat numos cum capite Domitiani: ЄΠΙ. ΑΓΑΘΩ-ΝΟC. ΘΑ. vel: ЄΠΙ. ΝЄΟΚΤΔΟΤ. ΘΑ. *Juppiter sedens d. spicas, s. hastam.* (Vaill. Mus. Caes.) sed quae sententia minus est certa. Spicae insolentius sunt Jovis attributum.
AE. RR.

REGES THRACIAE.

ndustriam nostram in conquirendis, explicandisque Thraciae regum numis occupavit eruditus Cary edito insigni atque adcurato opusculo, quo eorum historiam ac numos operose descripsit explicavitque. Huic, quae hic leges, pleraque debebis, additis tantum iis, quae viro praestanti ignota fuere, quia serius in apricum prolata. Reges Thraciae non moror, qui numis caruere, Teren I., Sitalcem, Seuthem I., Maesaden, Seuthem II., Amadocum, Teren II., Cotyen I., Chersoblepten, quorum res gestas ex indicato fonte pete.

SEVTHES III.

Regnum adiit circa annum V. C. 429, Alexandro M. obnoxius. Hoc mortuo, ejusque ducibus provincias inter se partitis Thraciam Lysimachus sortitus Seuthem vi depellit, eamque quiete retinet.

N u m i:

Caput nudum barbatum. ☧ ΣΕΤΘΟΤ. *Eques citato cursu.* AE. III. (Cary.)

Alium addidit Pellerinius: (Rois p. 35.) *Caput muliebre diadematum.* ☧ ΒΑΣΙΛΕ. ΣΕΤΤΟ. *Apollo nudus cortinae insidens d. telum tenet.* AE. III. Sed vereor, ut Seuthi huic sit proprius. Ipse vir eruditus eum seu fabrica, seu typo similem Seleuci I. Syri numis adserit; scribendum item fuerat ΣΕΤΘΟ., non ΣΕΤΤΟ., atque, ut ab idoneo auctore comperi, qui numum secundis curis examinavit, vera numi epigraphe est: ΒΑΙΣ. ΣΕΤΤ. Vnde suspicari licet, eum esse revera Seleuci, sed a rudi monetario scalptum exemplo aliorum numorum ejus Syriae regis.
AE. RRRR.

LYSIMACHVS.

Natus Pellae Macedoniae, posteaquam adolevit, ab artium liberalium studiis, et rei militaris scientia magnum nomen est adeptus, ducendisque exercitibus ab Alexandro praefectus hoc mortuo aliorum ducum consensu Thraciam abstulit,

n) Num. vet. p. 62.

Digitized by Google

eamque pulso Seuthe III. sibi subjecit V. C. 432. Bella cum variis regibus aemulis fortuna plerumque prospera gessit, adjecta etiam post Demetrii fugam juribus suis Macedonia. Post uxores alias Amastrien Heracleae Ponti reginam duxit et hac repudiata Arsinoen Ptolemaei Philadelphi sororem, qua instigante cum Agathoclem alterius thori filium, ac de se variis in bellis praeclare meritum morti addiceret, abalienatis a se suorum animis bello a Seleuco impetitus collatis in Phrygia signis caesus est V. C. 472. annos natus fere LXXX.

Numi:

Caput Palladis galeatum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Victoria stans d. lauream, s. tridentem, in area caput leonis.* AV. (Pellerin.)

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Juppiter sedens d. aquilam, s. hastam, in area leo currens, in alterius area equus marinus alatus, et leo dimidius.* AR. III. (Mus. Caes.)

Hi utriusque metalli numi ignoti fuere Caryo. Docemur ab his, Lysimachum veteres Alexandri M. typos revocasse, quod et ab aliis regibus ejus successoribus factum videbimus. Verisimile est, signatos tum, cum Macedoniam sibi subjecit. Tamen cum typis alienis est usus, leonis sui, praecipue, ut videbimus, sibi dilecti oblitus non est. Equus marinus numi postremi suspicari facit, numum signatum apud Lampsacum Mysiae. Constat, Lysimachum plures Asiae minoris urbes, ipsam etiam Ephesum aliquamdiu tenuisse.

* * *

Caput regis diadematum adstituto arietis cornu. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. hastam, et simul clypeo innixa, per aream varii magistratus, attributa, et vocum compendia, de quibus infra.* AV. m. m. AR. m. m. item I. et III.

Nullius regum veterum numi aurei argenteique majore numero habentur, nullius aurei tam pondere spectabiles. Exstant quatuor in museo Caesareo, quorum duo singuli adpendunt drachmas IV. cum semisse et granis XIII., duo alii singuli unciam omnino unam cum drachma, et granis XXVII. Aurei III. formae fere argenteis magis parabiles, sed horum plerosque propter typos parum nitidos videri fusos jam dixi in Prolegomenis generalibus cap. XI. Quanta copia potens hic rex numos aureos feriundos curaverit, praeterquam quod hodieque magno numero ex terrae latebris eruuntur, illud unum argumento sit, quod refert Latzius o), a Walachis piscatoribus in Istriga amne repertos numos aureos plus millia XL., et eos plerosque Lysimachi nomine insignes.

In omnibus his numis caput regis diademate, et cornu arietis gloriatur. Spanhemius, eumque secuti alii Alexandri M. exemplo illud a Lysimacho adhibitum censuere, verum probavi alibi p), factum istud propterea, quod ducere genus

o) Commentar. reip. Rom. L. XII. c. 1.

p) Num. vet. p. 63.

Digitized by Google

a Baccho credebatur diserte istud adhaerente marmore Adulitano. Eodem modo Bacchum et diadematum, et instar arietis cornutum videas in numis Nuceriae Alfaternae.

Notanda deinde inscripta his vocabula sive integra, sive truncata ΣΚΟΣΤΟΚΟΤ. vel ΖΩΠΤ. esse magistratus, suapte patet. In insigni altero argenteo, quem edidi ex museo Savorgnan q), legitur in area ΕΚΑΤΑΙΟΤ, infra ΚΑΛΧΑ. Dubium non est, posteriore hoc vocabulo notari ΚΑΛΧΑδονιος, de quorum probabili cum Lysimacho nexu nonnulla ibi per conjecturam proposui. In numis similibus cum aureis, tum argenteis comparent frequenter vocabulorum principia, ΒΤ. ΚΑΛ. ΙΣ. ΤΟ. sellae fulcris inclusa, de quorum significatione non ausim certum quid adfirmare.

De mala fide numorum aureorum, in quorum antica: ΙΓΗΝΑΙΟΣ. ΚΩΙΩΝ. in aversa vel: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΤΣΙΜΑΧΟΤ., vel VESTA. S. C., quos in Lysimachi numis recenset Froelichius r), agetur copiosius in moneta insulae Cos, et Liviae Augustae.

* * *

Caput Palladis galeatum. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΤΣΙΜΑΧΟΤ. *Leo currens, in area lampas, pilum hastae, et monogrammata.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Lysimachi diadematum cornutum. Ɪ ΛΤΣΙΜΑΧΕΩΝ. *Leo currens.* AE. II. (Cary.)

Caput juvenile diadematum Ɪ *Eadem aversa.* AE. I. (Pellerin.)

Lysimachum leone gavisum non ex his modo numis videmus, sed etiam ex citatis mox aureis et argenteis, in quibus in saltem aream numi insidet. Ab Alexandro leoni objectus, quod Callistheni philosopho, suo quondam in philosophiae praeceptis magistro, quem rex insidiarum suspectum lento supplicio excruciandum tradiderat, veneni copiam fecisset, caesa fortiter bellua periculum evasit, ut refert Justinus s), aliique citati a Caryo t). Narrat etiam Plutarchus v), amasse Lysimachum cum jactatione ostentare leoninorum unguium cicatrices. At Curtius praetensam hanc Alexandri vindictam in fabulis putat, addens, leonem a Lysimacho in venatu caesum x). Quidquid erit, verisimile semper, hujus causa virtutis ferum istud animal Lysimachi monetae fuisse insertum. Hoc deinde conditoris sui symbolum adoptavit Lysimachia, a qua signati numi II. et III.

Numus Lysimachiae alter offert caput admodum juvenile, quod adeo Lysimachi esse nequit, qui saltem annum XL. jam explevit, cum Lysimachiam condidit. Verisimile est, eo exhiberi filium Agathoclem praestanti virtute adolescentem, et designatum jam successorem, quem fraude novercae impie caesum diximus.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ɪ ΒΑΣΙ. ΛΤΣΙ. *intra coronam spiceam.* AE. III. (Mus. Caes.)
AV. et AR. C. AE. R.

Successit SELEVCVS, quem post VII. mensium in Thracia regnum e medio

q) Num. vet. r) Not. elem. p. 150. s) L. XV. c. 3. t) pag. 40. v) in Demetrio c. 27. x) L. VIII. c. 1.

Digitized by Google

sustulit Ptolemaeus Ceraunus Ptolemaei Philadelphi, et Arsinoes Lysimachi viduae frater. Ipse continuo Macedoniam et Thraciam invasit, sed a Gallis victus caesusque est. Huic Ptolemaeo numum tribuit Caryus, in cujus aversa: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Fulmen*, motus nimirum ipso hoc fulminis typo, quo adludi ad nomen *Cerauni* putabat. Verum adstitutum monogramma, quod in ΜΑΓΑ resolvitur, numos similes in Cyrenaicam avocat. A Gallis deinceps in Thracia turbatum, ut copiosius dicetur in Macedonia, dum iterum regnum ad indigenas rediret, qui secundum examen Caryi fuere Seuthes IV., Cotys II., Diegylis, Zibelmius, Sothimus, Sadales I.

COTYS III.

Regnavit in Thracia tempore belli civilis Caesarem inter ac Pompejum, cujus etiam pars fuit missis Pompejo quingentis suorum. A Caryo huic tribuitur

Numus.

Caput regis diadematum. ℞ ΚΟΤΤΟΣ. *Aquila stans.* AE. IV. (Pellerin.)
AE. RRRR.

SADALES. II.

Cotyos III. filius. Pro Pompejo praelio ad Pharsalum interfuit.

Numus.

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. --ΔΑΛΟΥ. *Aquila stans.* AE. III.

Eum Caryus Sadali II. prae primo tribuendum putet conjectura quidem infirma, tamen in his tenebris probabili.
AE. RRRR.

RHOEMETALCES I.

Frater Cotyos IV. proxime mortui, ejusque liberorum Rhascuporidis, et alterius anonymi tutor. Ejectum a Thracibus Beasis Augustus restituendum curavit misso Pisone. Nepotibus vita functis ipse ad Thraciae regnum vocatur.

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. *Caput diadematum, jugato in aliis uxoris capite.* ℞ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti nudum, jugato in aliis capite Liviae, et adstituto capricorno.* AE. III. (Cary, Mus. Caes.)

Positum juxta in hoc numo parvum caput dubium non est esse filii Cotyos V., de quo mox.

ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. *Sella curulis adstituta hasta* ℞ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Capricornus, cornu copiae, hasta.* AE. III. (Cary.)

Proponitur sella curulis ab Augusto honoris causa regi amico missa, cujus exemplum videbimus quoque in regibus Bosporanis. In simili apud Neumannum sellae curuli impositum est caput juvenile, forte iterum Cotyos V. y).
AE. R.

COTYS V. et RHASCVPORIS.

Ille Rhoemetalcis filius, hic frater. Vtrique partem Thraciae adsignavit Au-

y) Num. pop. P. I. p. 133.

Digitized by Google

gustus post Rhoemetalcis mortem. Cotyem mitem ac literatum principem teste ipso Ovidio a) mortuo Augusto astu aggressus patruus regno primum, dein vita privat, at simili dolo a Tiberio in retia illectus capitur, et Alexandriae perimitur.

Cotys V. uxorem habuit filiam Polemonis I. Ponti et Bospori regis, et Pythoridos.

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΤΣ. ΚΟΤΤΣ. *Caput imberbe diadematum.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΡΑΣΚΟΤΠΟΡΙΔΟΣ. (in numo musei Caesarei: ΡΑΙΣΚΟΤΠΟΡΔΟΣ.) *Victoria gradiens.* AE. III.

* * *

ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ. *Caput Augusti nudum, juxta monogramma constans literis* ΚΡ. ℞ ΕΠΙ. ΜΑΤΡΟΔΩΡΟΤ. ΗΡΟΞΕΝΟΤ. *Caput imberbe diadematum, juxta* Κ. AR. I. (Pellerin.)

ΒΤΖΑΝΤΙΝ. *(sic.) Caput regis imberbe diadematum.* ℞ *Caput Augusti nudum, juxta monogramma constans literis* ΚΡ. AR. III. (Mus. Caes.)

Pellerinius literas ligatas ΚΡ. existimat esse ἀρχαιστας utriusque principis Cotyos et Rhascuporidis, et literam Κ solitariam partis alterius indicare Cotyon, cujus ibi caput proponitur. In numo altero, quem olim edidi b), haud dubie monetarii errore scriptum est ΒΤΖΑΝΤΙΝ. pro ΒΤΖΑΝΤΙΩΝ. Numus uterque rarissimus est, quippe Caryo ignotus.

* * *

Non praetereundus hoc loco numus singularis, quem recenset Caryus:

Caput Bacchi hedera et corymbis coronatum. ℞ ΚΟΤΤΟC. ΧΑΡΑΚΤΗ. — *Hercules nudus stans d. clavam, s. exuvias leonis.* AR. I. (ex Museo Elect. Saxon.)

Numus totus Thasius dempta epigraphe, pro solito ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ in hanc, quam propositam vides, transformata. Vocem ΧΑΡΑΚΤΗ. deficiente Ρ recte Caryus interpretatur *notam impressam*, nempe monetam hanc auctoritate et nomine Cotyos signatam, at prohibet fabrica turpiter barbara credere, eam ab ipsis Thasiis signatam, verum a Thracibus barbaris mediterraneis sumpto a Thasiorum moneta, quatum nulla magis communis fuit, exemplo, ac servato religiose metallo, pondere, ac typis. Diximus supra in Thaso, officinas barbarorum monetarias passim ad Thasiorum exemplar suos feriisse numos, quod ipsum praesente exemplo copiose confirmatur. Interea dubitat Froelichius, an vere in hoc numo praetensa isthaec lectio contineatur, et non potius literae barbarae, quae saepe in Thasiorum numis comparent, ejus scripturae speciem praferant b).

AR. RRRR. AE. R.

RHOEMETALCES II.

Rhascuporidis F. beneficio Tiberii paternum regnum aufert, quod paterni cri-

a) de Ponto L. II. el. 9. b) Sylloge I. p. 82. b) ad Num. reg. vet. p. 48.

Digitized by Google

minis expers fuit, quo V. C. 800 fraude uxoris caeso Claudius Thraciam in provinciam redigit, sed quod alii factum demum a Vespasiano statuunt, ut dixi supra in prolegomenis ad Thraciae numos.

Numus.

ΓΑ ---- ΜΑΝΙΚΩ. ΣΕΒΑΣΤΩ. *Caput Caligulae laur.* Ϟ --- ΤΣ. ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΑΣ. *Vir peregrino habitu stans ab imperatore sellae curuli insidente aliquid accipit.* AE. I. (Cary,).
AE. RRRR.

PAEONIA.

Regio Macedoniae et Thraciae circa Axium fl. contermina urbes binas, regem unum numis insignes complexa est. Vrbes *Nysam* et *Pantaliam*, quae nomini suo situm ΕΝ ΠΑΙΩ. addunt, supra in Thracia indicavi, quod locus is opportunior visus.

Nomine Paeoniae universae numum edidit Combius ex Hunteriano: *Caput Jovis* Ϟ ΠΑΙΩ. *Caput geminum barbarum Jani intra lauream.* AE. III. Exstat idem in museo Caesareo, et alter geminus in museo Neumanni nostri, sed neuter propositam a Combio epigraphen offert; mihi vero hi numuli videntur esse ex eorum genere, quos magistratus Romani nominibus inscriptos in Panormi moneta solemus recitare. Supersunt ergo unius Audoleontis numi.

AVDOLEON rex.

Natus patre Agide Paeoniae regnum imperante Philippo II. et Alexandro M. sed Macedonibus obnoxium tenuit. Filium habuit Aristonem, cujus insignis virtus in pugna ad Arbela Alexandro cum primis probata fuit. Habuit etiam filiam Pyrrho regi collocatam. Haec omnia fusius exposita vide a Froelichio [c]).

Numi.

Caput juvenile adversum galeatum. Ϟ ΑΤΔΩΛΕΩΝΤΟΣ. *Equus gradiens, in area monogramma ex* A *et* T. AR. II. III. (Mus. Caes.) In alio: *Equus dimidius cum simili monogrammate.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Jovis laur. Ϟ ΑΤΔΟΛΕΩΝΤΟΣ. *Equus gradiens cum sessore dimidio galeato, in area triquetra introrsum cusa.* AR. I. (Mus. Caes.)

Vt priores numi elegante sunt fabrica, ita posterior insigniter barbarus, et ejusdem rationis, cujus sunt ii, qui eodem utrinque typo nomen ΦΙΛΙΠΠΟΥ scriptura recta vel retrograda exhibent. Omnes hos fabricatos esse a barbaris ejus tractus montanis, qui Graecae arti aditum negavere, indubitatum. Verum de hoc argumento agetur alibi copiosius, et monuerunt jam varia Froelichius [d] et Neumannus [e]).

---

c) ad Num. reg access. nova, p. 39. d) l. c. e) num. pop. p. 136.

Digitized by Google

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ΣBAΣIΛEΩΣ. ATΔΩΛEΩN-- *Iuppiter aetophorus sedens d. aquilam, s. hastam, in area solitum monogramma* AT. AR. I. (Pembrock P. II. tab. 42.)

Numus illustris, quo docemur, Audoleontem fuisse Alexandro M. superstitem, quod jam docuit Diodorus Siculus f), et monetam signasse iisdem typis, quibus Alexandri numi sunt insignes, secutum nempe exempla Seleuci, aliorumque, quos recensebimus in moneta Alexandri. Numus est rarissimus, et necdum in museis Austriacis conspectus, in quibus Audoleontis numi non magnopere rari putantur. *AR. R.*

MACEDONIA.

Totius regionis nomine numi complures cusi sunt cum argentei, tum aenei. Aurei, quorum unum per levem conjecturam huc revocat Pellerinius, dubii sunt.

Epigraphe: MAKEΔONΩN.

Typi:

Caput Jovis. Ʒ *Fulmen.* — *Caput Panos cornu e fronte turgente.* Ʒ *Tridens.* — *Caput Apollinis.* Ʒ *Lyra.* — *Caput muliebre.* Ʒ *Prora navis.* — *Caput Sileni adversum.* Ʒ *Corona hederacea. etc.* AR. AE. (Mus. Caes.)

Sileni caput occurrere frequentius reor propterea, quod teste Herodoto g) creditum fuit Macedonibus, Silenum apud se in hortis Midae captum.

* * *

Etiam anepigraphi argentei propter typum equi et galeae huc referuntur, quoniam cum iisdem typis exstant numi Archelai Macedoniae regis, nisi sunt Metropolis Thessaliae, quam vide.

Postremorum Macedoniae regum tempora loquuntur autonomi illi, qui clypeos certae formae in orbem dispositos offerunt, quos *Macedonicos* jure vocamus propterea, quod in hujus regionis numis frequenter reperiuntur, non tamen solis, nam iidem habentur in moneta Antiochi I. Syri, Paesti Lucaniae, Callatiae Moesiae inf., Philadelphiae Lydiae, quin et in denario gentium Caeciliae et Quinctiae, et numo Herodis M. *AR. AE. R.*

Macedonia Romana.

Macedonia victo Perseo Romanis subjecta numos insignes procudit novae servitutis testes, inscripto nimirum magistratu ex urbe in novam hanc provinciam misso.

MAKEΔONΩN, (*in binis Pellerinianis additur:* CAE. PR. *vel* SI.) *Caput juvenile nudum passis crinibus, retro* Θ. Ʒ AESILLAS. Q. *Cista, clava, mensa, omnia intra lauream.* AR. I.

Caput anticae nonnullis Alexandri M. visum est, quod adfirmare difficile nullo

f) L. XX. §. 19. g) L. VIII. §. 138.

Digitized by Google

ejus certo indicio. CAE. PR. notat CAE*cilium*, vel quemcunque alium, provinciae PR*aetorem*, ut in aversa est AESILLAS. *Quaestor*. Haec vox cum aperte Latina sit, ipsi vero hi numi bilingues a Macedonibus jam Romanis sint signati, mirum videatur, eruditum Dutens ex litera L hujus vocabuli sumere exemplum veteris Lamda Graeci [h]), deceptus nimirum judicio Montfauconii, qui numos similes propter eandem hanc literam L, tum et S pro A et Σ inter numos antiquissimos, qui nobis ex vetustate supersunt, habuit [i]). Cista et clava ad cultum Bacchi et Herculis per Macedoniam eximium, mensa ad notandam praetoris vel quaestoris potestatem, cujus frequentia habemus in numis Cyrenaicis exemplo, revocatur.

* * *

Caput juvenile tectum galea alata superne in volucris caput exeunte. ΣMAKEΔONΩN. TAMIOT. ΓAIOT. ΠOΠΛIΛIOT. *intra coronam quernam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Similis adversa. Σ ΓAIOT. TAMIOT. ΠOΠIΛΛIOT. *intra quernam.* AE. III. (Wilde Tab. X. n. 59.)

Similis adversa. Σ ΓAIOT. TAMIOT. *Equus pascens.* AE. III. (Wilde l. c. n. 61.)

Caput Bacchae hedera coronatum. Σ TAMIOT. ΓAIOT. *Hircus stans, juxta monogramma.* AE. II. (Vidi Vindobonae in museo privato.)

Caput ut in numo I. ΣMAKEΔONΩN. TAMIOT. ΛETKIOT. ΦOΛKINNIOT. *intra quernam.* AE. III. (Wilde l. c. n. 60.) In alio simili scriptum: ΦOΛKINNIΩ. (Mus. Caes.)

Caput adversae in his numis esse heros Persei multum in Macedonia et Thessalia observati, dicetur in numis Philippi V. Macedoniae regis. Aversae alios provinciae quaestores sistunt, Graecis ταμίας, de quorum gente nonnulla memoranda. Prior est

ΓAIOΣ. ΠOΠΛIΛIOΣ, quo Graeco scribendi modo haud dubie indicatur *C. Publilius*. Nimirum ut *Publius* Graecis fuit ΠOΠΛIOΣ testibus numis Nicomediae, in quibus legitur: ΕΠΙ. ΠOΠΛIOT. OTITEΛΛIOT, sic Publilius Graecis ΠOΠΛΙΛIOΣ, quo modo et tribus *Publilia*, fere constanter sic scripta in marmoribus, etsi in ea scribenda varient codices, in marmore Gruteriano dicitur ΠOΠΛIΛIA [k]). Ab hoc Publilio diversum non puto quaestorem numi secundi Wildiani, sed qui ΠOΠIΛΛIOΣ dicitur, quod mendosae metathesi literae Λ tribuendum videtur, etsi certum sit, exstitisse Romae etiam gentem Popilliam. Neque diversum puto quaestorem numi III. item Wildiani, etsi, quod non alias factum norim, solo is praenomine ΓAIOT memoretur. Fuit autem gens Publilia partim patricia [l]), partim plebeja. In numis Onubae Baeticae inter magistratus municipales legitur Q. PVBLILIus. Alter

ΛETKIOΣ. ΦOΛKINNIOΣ, id est: *L. Fulcinius*, hac etiam gente Romae cognita. Vide Glandorpium.

---

h) Explic. de quelq. méd. p 191. i) Palaeogr p. 121. k) pag. 503. l) Liv. L. V. c. 12.

Digitized by Google

De numis aeneis: KOINON. MAKEΔONΩN cum capite Alexandri M. agetur in numis hujus regis.

Quatuor Macedoniae.

Aemilius Paullus captam bello Persei universam Macedoniam in IV. regiones divisit teste Livio [m]), quam divisionem comprobant quoque numi.

Eam Begerus, et hunc secutus Froelichius male stabiliunt ex numulis exiguis argenteis, quorum aversae area in IV. partes secta literas MA. includit, quos pertinere Massiliam in hujus numis docuimus.

Regio I.

Complectebatur teste Livio supra citato, quod agri inter Strymonem et Nessum est, tum ex Thracia ipsa Aenum, Maroneam, Abdera; trans Strymonem Bisalticam omnem cum Heraclea Sintica. Ejus caput Amphipolis.

Caput Dianae inter scuta Macedonica. Σ MAKEΔONΩN. ΠPΩTHΣ. *Clava, per aream varia monogrammata, omnia intra coronam quernam.* AR. I.

Horum numorum numerum secundum myriades metire. Non raro multa eorum millia Transilvania et Walachia eodem loco defossa post tot secula ejiciunt. Cur prima haec Macedonia tantis abundet opibus reliquis egenis, ex ipsa ejus natura petendum. Secundum citatam ex Livio divisionem continebat haec pars Scaptesylen et Datum veteres Thasiorum fodinas, atque ut idem prosequitur: *prima pars habet - - multas frugum proprietates et METALLA* [n]). Numos tanta copia signatos communem fuisse vicinorum etiam barbarorum monetam, eo facile colligitur, quod numi similes eodem pondere, metallo, ac typo, sed fabrica barbara, perinde ac in Thasiorum moneta reperiuntur.

Regio II.

Sita inter Strymonem et Axium addita parte Paeoniae. Ejus caput Thessalonica [o]).

Caput Dianae inter scuta Macedonica. Σ MAKEΔONΩN. ΔEΤΤEPAΣ. *Clava, in area monogramma, omnia intra coronam quernam.* AR. I.

Singularem hunc numum sibi Smyrna missum, servari in suo museo iterato testatur Cuperus [p]). Alibi ipsam ejus imaginem proponit [q]). Eundem ex Cuperi museo aliquoties citat Spanhemius [r]). Rara sane Cuperi fortuna, cui numum similem nancisci contigit, quando mihi, cui plura id genus millia ex Transilvania et Hungaria inferiore vario tempore adlata sunt, videre nondum licuit inscriptum ΔEΤΤEPAΣ. Pellerinius numum ex museo regis Galliarum laudat cum epigraphe MAKEΔONΩN. ΔEΤΤEPAΣ absque tamen mentione typi et metalli [s]). Eum alibi argenteum II. formae adserit [t]).

Caput Herculis imberbe. Σ MAK. vel: MAKEΔONΩN. B. *Eques lento gressu*

---

m) L. XLV. c. 29. n) Cap. 30. o) Livius l. c. p) Lettres p. 306. 500. q) Diss. de elephant. Exercit. II. c. 5. r) Praest. num. T. I. pag. 652. Orb. Rom. pag. 198. s) Rec. T. I. pag. 177. t) Rois pag. 25.

Digitized by Google

dextera elata. AE. II. (Pellerin., Mus. Caes.)

Hos propter additum B huc pertinere contendit Pellerinius [u]). Istud si verum, huc etiam pertinebit sequens:

Caput Persei alatum intra coronam. ℞ ΓΑΙΟΥ. ΤΑΜΙΟΥ. Β. *Equus pascens.* AE. (Wilde tab. X. n. 61.)

Regio III.

Axium inter et Peneum, tum Bora monte clausa, addita parte Paeoniae, Edessa, et Berhaea [x]). Ejus caput Pella.

Hujus regionis numus nondum compertus.

Regio IV.

Trans Boram montem, una parte confinia Illyrico, altera Epiro. Ejus caput Pelagonia [y]).

Caput Jovis. ℞ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΤΕΤΑΡΤΗΣ. *Clava et bina monogrammata intra coronam quernam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Insignem hunc numum, nunc musei Caesarei, jam olim ex museo Granelliano S. J. vulgavit Froelichius [z]). Vnicum non adfirmavero, nam similem alium jam citavit Cuperus ex museo consulis Britanniae apud Smyrnam [a]).

Imperatorii.

Inscripti ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. exstant ab Augusto usque ad Gordianum. Augusti numus est in Theupoli. Rarissimum Vitellii edidit Pellerinius [b]).

Ab Augusto usque ad Vespasianum plerumque scriptum reperitur: ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. typo *clypei.* Inde a Domitiano, et deinceps ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. variis typis.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. ΜΕΓΑΣ. *Caput Alexandri M. radiatum*, in numo M. Aurelii. (Vaill.)

* * *

Neocoratus: Observatur primum in numis Caracallae, et quidem statim geminatus: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Β. ΝΕΩ. *Alexander Bucephalum domans*, vel: *Clypeus.* (Vaill.) At in numo Diadumeniani neocoratus tantum simplex: ΚΟΙ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩ. (Pellerin. Mel. II.) In numis sequentium imperatorum nulla amplius neocoratus fit mentio. Additus hic neocoratus titulus multum servit ad definiendam aetatem numorum aeneorum Alexandri M. post ejus excessum signatorum, quos vide descriptos in moneta hujus regis.

AE. C.

ACANTHVS.

Maritima versus Strymonem, quo loco ducta fossa excludere montem Atho, et committere utrumque mare tentavit Xerxes.

Autonomi.

Sine epigraphe. Leo bovem depascens, superne Θ. ℞ *Quadratum incusum quadripartitum.* AR. I. (Mus. Caes.)

ΑΚΑΝ. ΑΚΑΝΘΙΟΝ. *Leo bovem*, in aliis *aprum depascens.* ℞ *Quadratum incusum, quadripartitum.* AR. I. (Pellerin.)

u) Rec. I. p. 177. et Rois p. 25. x) Livius l. c. y) Livius l. c. z) Animadv. in num. urb. a) Lettres p. 306. b) Lettres p. 6.

Digitized by Google

His numis opportune usus est Barthelemyus in praeclaro suo tentamine palaeographiae numismaticae [c]).

Caput Apollinis. ☧ ΑΚΑΝΘΙΟΝ. *Lyra.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. ☧ ΑΚΑΝ. *scriptum intra radios rotae.* AE. III. (Hunter.)

Apparet ex his reliquiis, tum ex testimonio Plutarchi, Acanthiorum apud Delphos thesaurum commemorantis [d]), opulentam fuisse vetustissimo aevo eorum urbem.

AR. RRR. AE. RRRR.

AEGAE.

Mediterranea a Pella in ortum, olim dictae *Edessa*, sed quia hanc ducibus capris cepit Caranus, nomen in *Aegas* commutavit, fuitque haec urbs regum sedes, dum a Philippo Amyntae Pellam transferretur, sic tamen, ut vetere instituto reges ibi sepelirentur.

Hactenus numorum sterilis habita. Levavit inopiam Pellerinius, eique largitus est insigne tetradrachmum: *Caput Apollinis.* ☧ ΑΙΓΑΙΕΩΝ. *Juppiter nudus stans d. extenta aquilam, s. hastam, omnia intra quernam.* AR. I. Addidit binos aeneos inscriptos: ΑΙΓΑΕΩΝ typo *capri.* Sed enim vereor, ut proprium sit hoc donum. Nempe non satisfaciunt medi, quos ibi ad discernendos numos multiplicium Aegarum suggerit. Inscriptio posterior reperitur in numis, qui certo sunt Aegarum Aeolidis, ergo et citati aenei his tutius dabuntur. Fabrica memorati tetradrachmi cum Jove stante intra quernam videtur convenire cum fabrica plurium urbium Asiae minoris maritimae, Cymes, Lebedi, Myrhinae, Smyrnae, quae simili forma argenteos maximi moduli plerosque cum corona, et Smyrna quidem cum querna, signaverunt, ut adeo praecipiente analogia jure Aegis Aeolidis tribui posset, ut in his quoque dicetur. Ad haec videtur verisimile, ea aetate, qua hic numus cusus est, jam praevaluisse nomen antiquum Edessae. Certe jam omnes Augusti numi in hac urbe signati posterius hoc nomen obtinent. Huc tamen forte pertinent numi antiquissimi: *Capra anterioribus pedibus flexis et respiciens.* ☧ *Quadratum incusum* AR. III. (Mus. Caes.) Capra hoc gestu occurrit etiam in numis Archelai I. Item alius, quem olim edidi [e]): ΑΙΓΑΙΟΝ. *(retrograde) Caput Jovis.* ☧ ΑΙΓ. *Capra dimidia.* AR. III.

AMPHAXVS.

Amphaxitis regio fuit in intimo recessu sinus Thermaici, sic vocata ab interluente Axio.

Autonomi.

Caput Herculis imberbe. ☧ ΑΜΦΑΞΙΩΝ. *intra coronam quernam.* AE. II. (Pellerin., Liebe.)

Epigraphe indicat, aut fuisse in hac regione urbem dictam *Amphaxus*, cujus tamen veteres non meminere, aut eos, qui ἀμφ' Ἄξιον, *circa Axium*, ut revera hanc vocem dirimit Stephanus, habitabant, dictos fuisse *Amphaxios*, et

c) B. L. T. XXIV. p. 30. d) de Pyth. orac. e) Num. vet. p. 201.

Digitized by Google

ita' hos numos communi gentis nomine percussos.

AE. RRR.

AMPHIPOLIS.

Sita in insula, quam ostiis suis Strymon efficit, unde et nomen traxisse videtur, *ἐπ' ἀμφοτερα περιῤῥέοντος του Στρυμονος*, ut ait Thucydides [f]). Fuit urbs illustris, Atheniensium colonia, et secundum legem Aemilii Paulli Macedoniae I. caput. At vetus urbi nomen *ἐννεα ὁδοι, novem viae*, quia Phyllis ejus loci regina, quo die Demophoontis ex pacto adventum exspectabat, novies ad mare cucurrisse ferebatur, quam fabulam latius exponit Hyginus [g]), et ad quam saepe adludit Ovidius [h]).

Autonomi.

Magno exstant numero.

Epigraphe constans: AMΦIΠOΛITΩN, vel parcius AMΦI. In aeneo IV. formae musei Caesarei, etsi nequaquam valde vetusto, legitur *βυζοφηδον* AM—IΦ.

Typi insigniores:

Caput juvenile adversum laureatum. ℞ *Lampas ardens intra quadratum.* AR. I. et forte unicus ex hoc metallo. (Pellerin.)

* * *

Caput juvenile tectum galea alata superne in volucris caput exeunte. ℞ AMΦIΠOΛITΩN. *intra quernam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput muliebre adversum alatum. ℞ *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam cum clypeo.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput numi prioris certum est Persei, quale jam vidimus in autonomo Macedonum, et de quo agetur latius infra in numis Philippi V. Haec sententia ampliùs confirmatur capite Medusae numi sequentis, quae ad Perseum jure pertinet, quin et typo Palladis, quam in Persei cum Gorgone pugna suas habuisse partes constat. Vide numos Sebastenorum Phrygiae.

* * *

AMΦIΠOΛITΩN. *Mulier sedens d. Victoriolam, s. hastam.* ℞ PΩMH. *Miles stans d. Victoriolam, s. hastam.* AE. II. (Mus. M. Ducis.)

Numum depictum vide in meis Numis vet. Scripto juxta PΩMH tempora Romana testatur, cujus exempla jam vidimus in numis Locrorum Epizephyriorum, et videbimus in moneta Thessalorum, rarum tamen in numis Graeciae Europaeae.

* * *

AMΦIΠOΛIC. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ AMΦIΠOΛЄITΩN. *Miles stans.* AE. II. (Hunter.)

Epigraphe anticae genium urbis notat, aversae populum.

* * *

Caput Jani geminum barbatum. ℞ AMΦIΠOΛITΩN. *Duo Centauri in diversa currentes, quorum unus s. elata vas vinarium jactat, alter ramum.* AE fere I. (Mus. Caes. et editus in mea Sylloge I.)

---

f) L. VI. c. 102. g) Fab. 59. h) Art. amat. L. III. 37. Remed. v. 55 et 591.

Digitized by Google

Eandem utrinque imaginem offerunt numi Thessalonicae jam inde a Goltzio cogniti. At constat etiam, utrique urbi saepe communes fuisse typos. Janus, Romanum numen, in monetam utriusque urbis arcessitus, suspicari facit, signatos tum, cum Macedonia Romanis paruit.

* * *

In numis aliis: *Clava*, *spica*, *equus gradiens*, *bos cornupeta*, *raptus Europae*, de quo proxime, *caper*. Singularis typus in nonnullis: *Duo hirci conisicantes*, qui est etiam in moneta Thessalonicae, et haud dubie ad Panos cultum per Macedoniam vulgatum pertinet, de quo agam in numis Antigoni I. Haec hircorum pugna dicta Graecis κυρηβασια. Vide schol. Aristoph. ad Equit v. 272. et Suidam.

AR. RRRR. AE. C.

Imperatorii.

Frequentes ab Augusto usque ad Salominam.

Epigraphe constans: ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ.

Omnes hi numi a Spanhemio, Vaillantio, et multa sequacium turba tributi fuere Amphipoli, olim Thapsaco, obscurae Palmyrenes urbi, quorsum eos invitabat typus tauri Europam rapientis, qui in his numis, saltem sub primis imperatoribus, plerumque occurrit. Harduinus, Froelichius [i]), Pellerinius [k]) rectius huic nostrae Amphipoli tribuunt, cum quod illa ignobilis fuit, haec clara, tum quod idem typus in numis quoque urbium Europaearum non infrequens est. Quid si mulier tauro vecta non esset Europa, sed potius Diana, cujus Amphipoli stetisse templum nomine Tauropolae, constat ex Diodoro Siculo [l]), et epigrammate Antipatri Thessalonicensis. Veheretur ergo tauro suo, ut alias cervo suo. Res dubio vacaret, si liceret niti fide numi Goltziani cum epigraphe ΙΚΑΡΙΩΝ, in quo similis est typus, et similis causa capiendae Dianae Tauropolae, ut videre est apud Spanhemium [m]). Sane teste vetere scholiasta [n]) Diana dicta Ταυροπολα etiam propterea, ὁτι ἡ ἀυτη τῃ σεληνῃ ἐστι, καὶ ἐποχειται ταυροις, *quod eadem cum luna est, et tauris vehitur*. Ad propositum redeo. Si numi hi essent Amphipolis Syriae, ad eandem revocandi essent etiam autonomi citati cum eadem inscriptione ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ. Verum aliud jubent typi in his propositi: clava intra quernam, Perseus, Medusa, qui in Macedonum moneta sunt obvii. Argumentum fortius suppeditat fabrica tota ex Macedonum ingenio; aliud ab analogia continuo expediam, ut taceam, numos id genus complures mihi ex Macedonia adlatos.

* * *

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤ. *Caput Dianae, pone pharetra.* Ꝛ ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Statuae duae basi insistentes, et dexteram attollentes, quarum dexterior paludata, s. seminuda.* AE. II. (Pellerin Mel. II. pag. 1.)

---

i) IV. Tent. p. 197. k) Rec. II. p. 182. l) L. XVIII. c. 4. m) ad Callim. in Dian. v. 187. n) ad Sophocl. Ajac. mast. v. 172.

Digitized by Google

TI. KΛΑΤ. ΣΕΒΑΣ. *Statua imperatoris basi insistens et paludata d. elata, s. sceptrum cum aquila.* Ʒ AMΦIΠOΛI-TΩN. *Europa tauro vecta.* AE. II. (Pellerin Mel. II. p. 24. Mus. Caes.) Adde similem Tiberii in Morellii Impp.

Signa gestu et cultu simillimo comparent etiam in numis coloniae Philippensis, quae fuit ejusdem Macedoniae I. urbs, qua typorum concordia perspicuum fit, priorem Augusti numum hic propositum esse hujus Amphipolis Macedoniae. Cumque numi sequentes Claudii et Tiberii similes offerant statuas, et in aversa raptum Europae, perspicuum quoque fit, etiam alios numos, qui eundem raptum sistunt, esse ejusdem Amphipolis. De typo statuarum vide proximos Philippos. Ex capite Dianae conjicio, numos MAKEΔONΩN. ΠPΩ-THΣ, in quibus ejus deae caput simili cultu conspicitur, apud eandem hanc urbem signatos, quae praeterea Macedoniae I. urbs princeps exstitit.

* * *

TITOC. KAI - - - IANOC. KAIC. *Titus et Domitianus paludati stantes dexteris elatis, in medio eorum aquila super obelisco.* Ʒ AMΦIΠO. *Raptus Europae* AE. II. (Pellerin Lettres p. 7.)

* * *

Duo centauri vas malis refertum una sustinent, in numo Caracallae. (Arigoni.)

Typum hunc, quo certamina Pythia indicantur, explicatum vide in numis Laodiceae Syriae coloniae.

* * *

Literae solitariae. Pellerinius cum in area numi Commodi videret solitarium Γ, et juxta templum, credidit indicari sacrificia pro salute Commodi tertium peracta o). Sed eadem litera exstat in numo Augusti musei Caesarei, in quo hic pacificatoris habitu equo vehitur. In area numi Caracallae apud Arigonium comparet C, verius opinor Є. Similes literas per Thraciae urbes saepe vidimus nullo certo sensu.
AE. C.

ANTIGONIA.

Aeneus ANTIΓONEΩN soli Goltzio memoratus. (in Graecia.)

APHYTIS.

In peninsula Pallene. Cogniti tantum *Autonomi:*

Caput Jovis Ammonis. Ʒ AΦT. AΦT-TAI. *Aquila una, vel binae.* AE. II. III. (Haym, Pellerin, Pembrock.)

Narrat Pausanias, Ammonem impense ab Aphytaeis cultum, quod hujus monitu Lysander Laco obsidionem solvit p). Vide et Plutarchum q). Vicina Cassandrea eundem Jovem amavit.
AE. RRR.

ATHOITAE.

Ducto nomine a monte Atho Chalcidices, cujus umbra in ipsam Lemnum porrigitur. *Autonomum* AΘΩITΩN unus Goltzius edidit. (in Graecia.)

---

o) Suppl. IV. p. 4. p) L. III. c. 18. q) in Lysandro c. 20.

Digitized by Google

BERHAEA.

Vrbs clara ab Aegis in meridiem, non tamen ejus numi alii comperti, quam cum capite Alexandri M.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Caput Alexandri M. galeatum.* ℞ ΚΟΙΝ. ΜΑΚΕ. Β. ΝΕΩ. ΒΕΡΑΙΩΝ. *Vir seminudus ad aram sacrificans, juxta mensa, super qua binae ludorum urnae, retro columella, cui imposita urna, in area* ΕΟC. AE. II.

Hunc numum pro unico edidit Pellerinius [r]), at exstat idem in museo M. Ducis, ut olim indicavi [s]). Alterius similis meminit Froelichius [t]), sed vadem non citat. Similem alium, nisi quod vox ΒΕΡΑΙΩΝ abest, indicavit Harduinus [u]), et qui exstat etiam apud Hunterum [x]). Numi hi veram urbis lectionem edocent, cum ab auctoribus omnibus passim Βερία, vel Βέρροια scribatur, a Latinis *Beroea*, at in numis Βεραία. Memoratur Livio legatus Philippi Macedoniae regis Crito Beroeaeus [y]): sed in hoc verbo ingens est codicum dissensus, quorum tamen unus satis vicine habet *Berraeus.*

De typis utriusque partis hic non ago, cum copiosi similes alii, dempto ΒΕΡΑΙΩΝ et ΕΟC, cum capite Alexandri M. exstent, de quibus opportunius agetur in numis hujus regis.

Epochae annus ΕΟC, unicum exemplum in numis Graeciae Europaeae. Eum Harduinus nulla idonea causa ab anno V. C. 706, sive aera Caesareana ducit, Froelichius ab V. C. 691, seu Pompejana. Infra in numis Alexandri M. ab ejus morte signatis verisimile dicam, ducendum ab anno V. C. 693, aut uno ex proxime sequentibus.

AE. RRR.

BISALTAE.

Populus circum Strymonem.

Autonomus:

ΒΙΣΑΛΤΙΚΟΝ *(retrograde). Vir nudus pileatus et binas hastas gerens equum gradientem comitatur, in area volucris.* ℞ *Quadratum incusum quadrifariam sectum.* AR. m. m. (Hunter.)

Insignis est hic numus, cum quod ex vetustissimis unus est, tum quod mole conspicuus, et ejus gentis, cujus hactenus numum non vidimus, nisi Goltzianum, quem mox citabo. Vetustatem arguit opus rudius, et inscriptum possessivum, et quidem retrograde, ΒΙΣΑΛΤΙΚΟΝ. Sic et Livio ea regio dicitur *Bisaltica* [z]). Reliqua fabrica et typus plane sunt ex indole antiquissimae Macedonum monetae. Numus hic simillimus est numo Alexandri I. apud Pellerinium, nisi quod in hoc epigraphe regis est in aversa.

* * *

Typus similis. ℞ ΒΙΣΑΛΤΙΩΝ. *Areola quadrata in quadrato incuso.* AR. fere II. (Hunter.)

Ad hunc numum advertit Combius: *cuneo labente literae in hujus numi aversa parte obscurae sunt.* Numum praeterea ait esse similem illi, quem exhibet Be-

r) Rois. p. 23. Rec. I. p. 181. s) Num. vet. p. 65. t) Notit. elem. p. 45. u) Opp. sel. p. 99. x) Tab. 35. y) L. XXIII. c. 39. z) L. XLV. c. 29.

Digitized by Google

gerus in *Spicilegio antiq. p.* 32, sed qui idem est Goltzianus, captus ex Goltzii tab. XXIV. Nisi igitur in numo Hunteriano saltem una alterave litera est integra, unde doceamur primum, esse in numo epigraphen, neque oculis fucum factum, deinde, residuas eas literas revera sese adcommodare praetensae inscriptioni BIΣAΛTIΩN, suspicari non desinam, Combium Goltzii dictata secutum, quem jam satis constat, quando in numo epigraphen aut non reperit, aut in vitiato non distinxit, pro libidine aliquam finxisse. Non adridet etiam gentile BIΣAΛTIΩN. Vetustissimis quibusque cum Graecis, tum Latinis populus hic dicebatur Βισάλται, secundum quod scribendum BIΣAATΩN. Vnus, quod norim, Stephanus et Βισάλτης, et Βισάλτιος attulit. Hunterianus ergo hic numus aut est anepigraphus, ut plures Macedonici vetustioris commatis, aut forte inscriptum AΛEΞANΔPO., aut BIΣAΛTIKON, vel saltem BIΣAΛTΩN.
AR. RRRR.

BOTTIAEA.

Modica regio circa ostia Axii, in qua Pella teste Herodoto sita fuit.

Autonomi.

Horum tres a solo Pellerinio editi variante inscriptione: BOTTAIΩN, BOTTIAIΩN, BOTTEATΩN. Typi; *Caput Herculis*, in alio: *Mercurii.* ℵ *Equus pascens.* — *Caput Apollinis.* ℵ *Lyra.* AE. II. III.
AE. RRR.

CASSANDREA.

In peninsula Pallene, olim Potidaea, a Cassandro rege novum nomen nacta.

Colonia deducta ab Augusto, ut addita IVL. AVG. videntur docere, hoc nomine signavit numos.

Autonomi.

Tria signa militaria, quorum medio inscriptum AV. ℵ CASSANDREA *intra lauream.* AE. II. (Pellerin Rec. I. p. 184.)

Equus cum palmae ramo. ℵ CASSANDRE. *intra coronam.* AE. II. (Pembrock.)
AE. RRR.

Imperatorii.

Horum copiosi vulgati a Claudio usque ad Philippum.

Epigraphe: COL. CASS. at plerumque: COL. IVL. AVG. CASSANDREN. — COLONIA. CASSANDRIA.

Typus fere constans: *Caput Ammonis*, cujus videtur cultum communem cum vicina Aphyte habuisse. Rarius alios typos videas, eosque ignobiles.
AE. C.

DIVM.

In Pieria ad sinum Thermaicum, qua in urbe jubente Alexandro statuae eorum manu Lysippi positae sunt, qui in praelio ad Granicum interiere [a]). Eas loco motas, *turmam statuarum equestrium*, Q. Metellus victo Pseudophilippo Romam transtulit, frontique aedium suarum imposuit [b]).

---

a) Arrianus L. I. c. 17. b) Vellejus L. I. c. 11.

Digitized by Google

Coloniae tantum nomine exstant numi a Trajano usque ad Saloninam.

Epigraphe: COL. IVL. AVG. DIENSIS. D. D. vel: COL. IVL. DIENSIVM. D. D. Videtur adeo a J. Caesare deducta, quia in nonnullis το AVG. supprimitur, sed aucta ab Augusto.

Typus potior: *Pallas stans.*

AE. R.

EDESSA.

Pervetus Macedoniae urbs, dicta subinde *Aegae*, quas vide, resuscitavit tamen nomen pristinum, et signati complures

Imperatorii

ab Augusto usque ad Tranquillinam. Lapsum Pellerinii, qui numum inscriptum: ΣΕΒΑΣΤΗ. ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ, Juliae Augusti F. tribuit, indicabimus in numis hujus Juliae.

Epigraphe: ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ. *Typus* solitus: *Roma spoliis insidens coronatur a muliere retro stante, s. cornu copiae tenente.*

Antiquarii vetustiores numos sic inscriptos misere confudere. Harduinus hos omnes tribuit Edessae Mesopotamiae. Minime omnium ferendus Vaillantius, qui plerosque, quos in catalogo [c]) tribuit Edessae Macedoniae, eo loco, quo numos ipsos describit, ad Edessam Syriae vocat. Interea etsi utraque urbs suam habeat monetam, pronum est, ac minime ambiguum discrimen. Edessa Mesopotamiae usque ad Caracallam demptis aliquot intervallis proprios habuit reges plerosque dictos Abgaros; non igitur interea temporis credibile est, eam urbem monetam cum imperatoris capite signasse. Iis pulsis Edessa deducta colonia, ac tum se coloniam in numis fere constanter appellavit. Haec jam pridem vidit, docuitque eruditus Bayerus [d]).

AE. R.

HERACLEA SINTICA.

Autonomos duos insignes tetradrachmos edidit Pellerinius (Rec. I. p. 182):

Caput Palladis. Ϫ ΗΡΑΚΛΕΩΤΩΝ. *Clava, in area Victoria volans, et monogrammata, omnia intra quernam.* AR. I.

Vt per fabricam et typum aversae facile hos numos Macedonicos putamus, sic dubitatur tamen, quoniam plures fuere in Macedonia Heracleae, utri harum sint tribuendi. Pellerinius eam praefert, quae fuit in Lyncestide, quoniam, ut ait, reliquis fuit celebratior, et secundum Ptolemaeum caput Lyncestidis. At fuerit istud Ptolemaei aevo, illa certe aetate, qua numi hi signati sunt, vix a veteribus memoratur. Mallem igitur Heracleam, quae Sintices caput fuit, et saepe veteribus nominata. Praecipuam vero rationem puto, quod eandem habent aversam, quae est in numis ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ. Fuit autem haec Heraclea non modo in Macedonia I., sed vicina etiam Amphipoli, in qua dictos Macedonum numos signatos supra in Amphipoli verisimile diximus. Ad haec Macedonia I., ut abundavit metal-

c) Num. Graec. p. 195. d) Hist. Osrhoen. p. 122.

Digitized by Google

lis, ita et copiosiores prae aliis ejus regionis partibus tetradrachmos fudit.

* * *

Caput Apollinis. Ϡ ΑΔΑΙΟΤ. ΗΡ. Σ. *Tripus.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput Herculis. Ϡ ΑΔΑΙΟΤ. ΗΡ. Σ. *Clava.* AE. II. (Pellerin.)

Pellerinius monogramma ΗΡ. Σ. exsolvit in *Heraclea Sintica.* Non repugno. Moneo tantum, idem compendium ΗΡ. Σ. exstare etiam in numo Faliscorum Etruriae apud Pellerinium [e]). Adaeum Macedonem Beraeum Persei ad Gentium legatum prodit Polybius [f]).

* * *

Caput Herculis barbatum in leonis exuviis. Ϡ ΗΡΑΚΛΕΙΑ. *scriptum intra duo quadrata, quorum interius quadrifariam dividitur.* AR. III. (Hunter.)

Typus aversae, qui obvius est in antiquioribus Macedoniae numis, suadet, numum hunc ad Macedonicam aliquam Heracleam pertinere.

AR. et AE. RRR.

MENDE.

In peninsula Pellene.

Autonomi:

Silenus asello vectus. Ϡ ΜΕΝΔΑΙΗ. *Diota intra quadratum.* AR. III. (Pellerin., Mus. Caes.)

Typus ad nobile vinum Mendaeum adludit, cujus honorifica in veterum coenis mentio, sic ut Alciphron illud appellet Μενδήσιον νεκταρ [g]). Vnde sanctum potoribus jusjurandum: μα Δια τον Μενδαιον [h]). Ejus meritum in majus auxit Hermippus apud Athenaeum [i]), tracto ex deorum latrina testimonio: Μενδαιῳ μεν ἐνεργουσι καὶ θεοὶ αὐτοι.

AR. RRRR.

NEAPOLIS.

Maritima in Macedonia adjecta.

Autonomi.

Persona lingua ejecta. Ϡ *Quadratum incusum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. Ϡ ΝΕΟΠ. *Caput muliebre.* AR. III. (Mus. Caes.)

Hos numulos antiquarii olim Neapoli Campaniae perperam tribuerunt, cujus numi longe alia sunt fabrica et typo. Huc igitur sine dubio vocandi. Similes personae sunt etiam in numis Populoniae Etruriae, tum Abydi et Parii Mysiae, de quibus vide, quae ad numos Populoniae disserui.

Caput Bacchi, pone thyrsus. Ϡ ΝΕΑΠΟ. *Botrus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nolim certo adfirmare, hunc numum ad hanc Neapolim pertinere. In museo Hunteriano tribuitur Neapoli Cariae, sed causa non additur. Malim priorem, quia Bacchus in Macedonia et Thracia praevalet.

AR. C.

OLYNTHVS.

Ad Isthmum Pellenes, urbs nobilis, ac potens, et Demosthenis eloquentia famam nacta.

---

e) Rec. I. tab. X. f) Exc. leg. LXXVI. g) L. III. ep. 5. h) Athenaeus L. I. p. m. 29. i) L. I. p. m. 29.

Digitized by Google

Autonomus.

Caput Herculis imberbe in leonis exuviis. Ꝟ ΟΛΤΝ. *Clava, caduceus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum hunc insignem, et hactenus unicum hujus urbis cognitum ante aliquot annos museo Caesareo intuli. Jure is Herculem jactat, quia urbs ab Olyntho Herculis F. nomen traxit teste Stephano. Athenaeus item Olynthum Herculis et Bolyae filium ait, ejusque adhuc ibi exstare monumentum [k]).

Olynthi etiam autonomum ex museo Ainslieano citat Abbas Sestinus [l]), sed quia eum non describit, ignoro, an idem sit cum praesente.

* * *

Alius cum epigraphe: ΟΛΤΝΘΙΩΝ. ΚΑΙ. ΤΟΡΩΝΑΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. est in sola Goltzii Graecia.

AE. RRRR.

ORTHAGORIA.

Autonomi.

Caput Dianae adversum. Ꝟ ΟΡΘΑΓΟΡΕΩΝ. *Galea.* AR. I. (Sestini Lettere T. IV. p. 97.) AR. III. (Pellerin.) AE. III. (Pembrock, Vitzai.)

Omnium primus Haymius similem protulit (Tom. II. p. m. 166.), verum cum in eo legeret ΟΡΑΓΡΕΩΝ, nihil sani exsculpere potuit. Fuit autem Orthagoria, serius dicta Stagira, Aristotelis patria, cujus, quod sciam, mentio tantum fit in ἀποσπασματιοις geographicis, quae sunt inserta Tomo IV. Geogr. min. p. 42, ubi legitur: Ορθαγορεια και Σταγειρα, ἡ νυν Μακρη, quod et pagina sequente repetitur. Maroneam Thraciae etiam dictam *Ortagoream*, tradit Plinius. Ex hac Orthagoriae pro Stagira inscriptione remotam numo aetatem tribuit Pellerinius; at contrarium docent fabrica numi, et ΩΝ pro ΟΝ positum. Videtur urbs, ut plures aliae, vetus nomen resuscitasse, aut vetere nomine in numis usa.

Pellerinius numum suum dicit argenteum, at quos ego viderim, aut ab aliis citatos repererim, sunt aenei.

AE. RR.

OSSA.

Obscurum in Bisaltis oppidum. *Autonomum* argenteum edidit Paciaudus: (Animadv. phil. pag. 75.) *Equus gradiens cum rectore.* Ꝟ *Quadratum majus et minus, intra utriusque lineas, ut auctor legit;* ΟΣΣΙΩΜ. Quam vocem esse urbis nomen is adserit. Verum terminatio in ΩΜ, si modo talis vere in numis habetur, et non potius ΟΜ, uni fuit Italiae propria, et si in numo praesente spectetur literarum ordo, legendum potius ΣΙΩΜΟΣ, quod adeo haud dubium videtur magistratus nomen. Verisimile est, numum hunc deberi Maroneae Thraciae.

PELLA.

Mediterranea inter Axium, et Ludiam fluvios. Vrbs munitissima, et inde a Philippo Amyntae F. regum sedes.

k) L. VIII. p. m. 334. l) Lettere P. II. p. 107. et 119.

Digitized by Google

Autonomi:

Caput juvenile laur. Ϟ ΠΕΛ. *intra lauream.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΠΕΛΛΑ. *Caput muliebre.* Ϟ ΠΕΛΛΗΣ. *intra lauream.* AE. II. (Pellerin.)

Verisimile est, το ΠΕΛΛΑ partis anticae indicare mulierem *Pellam*, juxta quam scripta haec vox, exemplo simili frequente in numis urbium Asiae minoris. Istud ut verum sit, tamen neque mythologia, neque historia quidquam de Pella quapiam sufficit.

* * *

Caput juvenile cornutum hedera coronatum acutis auribus, pone pedum. Ϟ ΠΕΛΛΗΣ. *Pallas pendentibus ex humero alis gradiens d. hastam intorquet.* AE. II. (Pellerin., Mus. Caes.)

Caput anticae Panos est, aut unius e comitibus. In numis coloniae Pellae Syriae Pan typus est obvius; ex quo patet, Syram hanc Pellam a Macedonica non modo nomen, sed et Panos cultum traxisse.

* * *

Caput Palladis. Ϟ ΠΕΛΛΗΣ. *Bos pascens.* AE. II. III. (Mus. Caes.)

Confirmat hic typus, quod in *Pella* observat Stephanus, Pellam olim dictam βοομον, id est: *pascendis bobus aptam.* Et Vlpianus [m]): Πελλη δε πατρις Φιλιππη ἐκληθη δια το ὑπο βοος ἑυρησθαι την προσηγοριαν, πελλης το χρωμα, ὁ ἐστι, τερρωδες κατα την Μακεδονων φωνην. *Pella Philippi patria, sic dicta est a bove, quae colore* πελλη *fuit, id est, secundum Macedonum linguam, cinericio.*

* * *

ΠΕΛΛΑΙΩΝ. *Caput muliebre* Ϟ ΠΕΛΛΑΙΩΝ. *Victoria gradiens.* AE. I. (Pellerin.)

Caput anticae esse Octaviae sororis Augusti censet Pellerinius suadente istud numo, qui inter imperatorios mox describetur.

AR. RR. AE. C.

Imperatorius.

Vnus vulgatus a Pellerinio (Mel. II. p. 3.):

ΠΕΛΛΑΙΩΝ. *Caput muliebre.* Ϟ M. ANT. ATT. Γ. ΚΑΙ. ATT. *Victoria gradiens.* AE. I.

Paullo ante monui, caput anticae in hoc et superiore autonomo Pellerinio videri esse Octaviae. At potius credam esse deae Libertatis, nam in numis Thessalonicae, qui huic plane sunt similes, juxta caput muliebre legitur ΕΛΕΤΘΕΡΙΑΣ.

AE. RRRR.

Coloniae nomine cogniti numi ab Hadriano usque ad Philippum, quos plerosque vide apud Wilde [n]). Vaillantius deductam a Julio, amplificatam ab Augusto autumat, quoniam IVL. AVG. inscribitur. Verum ut continuo vidimus, mortuo jam Julio, nomine M. Antonii et Octaviani, nulla coloniae vel mentione, vel indicio signavit numos. Ergo sese *Juliam Augustam* scripsit, sive quod jam a Julio designata fuit colonia, sive quod Augustus per adoptionem Julius quoque vocabatur. Ab Vlpiano dicitur *colonia Augustana* [o]).

---

[m]) Ad Demosth. de fals. leg. [n]) Sel. num. tab. XXII. [o]) L. I. de Censib.

Digitized by Google

Epigraphe: COL. IVL. AVG. PELLA.

Typi: Vir rupi insidens d. capiti admota, s. fistulae innixus, in area saepe pedum.

Mirum, a Vaillantio virum hunc passim dici Apollinem, qui fistulam tanquam victi Marsyae indicem jactat. Haec septem cicutarum fistula, et adstitutum pedum certum nobis Pana sistunt, et talis etiam fingitur in numis Arcadiae, et Caesareae Paniados. Quid quod pastoritium hunc deum etiam supra in autonomo vidimus, et infra quoque in numo vicinae Thessalonicae, et regis Antigoni I. sumus visuri, certo indicio, veterem fuisse ejus dei religionem non apud hanc modo urbem, sed passim per Macedoniam.

In aliis: *Mulier capite tutulato sedens d. ori admota.*

AE. R.

PHILIPPI.

Trans Strymonem in Macedonia adjecta. Vrbs vetusto nomine *Crenidae*, deinde *Datum*, aedificata secundum alios a Callistrato Atheniensi, secundum alios colonia Thasiorum, sed ab instauratore Philippo Amyntae dicta *Philippi*, quae omnia vide apud Diodorum p), Scylacem q), Appianum r), Eustathium s). Strabo Crenidas et Datum diversas urbes facit. Ceterum urbs a Bruti et Cassii clade famigerata. Chronicon Parium conditam a Philippo statuit V. C. 397.

Autonomi.

Caput Herculis imberbe in leonis exuviis. Ϟ ΦΙΛΙΠΠΩΝ. *Tripus, in area caput equi.* AV. (Mus. Christinae.)

Alius, sed infra tripodem HPA., *in area clava.* AR. I. (Pellerin.)

Alius variis per aream attributis. AE. III. (Mus. Caes.)

Primum ex his aureum olim edidi t). Supra in Thasi moneta proposui numum huic tam utriusque faciei typo, quam metallo simillimum, et sola inscriptione ΘΑΣΙΟΝ. ΗΠΕΙΡΟ. diversum, quo nomine intelligi dixi Thasios Thraciae continentis, et veteres Dati colonos, quibus a Philippo ejectis cusa deinde moneta, sed novo nomine Philipporum. Fuit autem Datum auri ferax, ut est apud Strabonem u), et Diodorum x). Fuere praeterea Philippi ad montis Pangaei radices siti, quem auri venis divitem dixere Herodotus, Strabo, Plinius. Sed de his auri fodinis agam pluribus in moneta Philippi II. Quod ad typum attinet, potest Hercules cum tripode componi; nam is saltem aliquamdiu eum Apollini vi ablatum usurpavit, ut docent mythologi, ac praeterea judice Libanio Hercules non minus vates, quam sagittarius fuit y). Vox HPA. in citato tetradrachmo videtur principium magistratus.

AV. AR. RRRR. AE. RR.

Coloniae numi frequentiores ab Augusto usque ad Caracallam.

Imperatorii.

VIC. AVG. *Victoria gradiens.* Ϟ CO-

p) L. XVI. c. 3. et 8. q) pag. m. 27. r) Bell. civ. L. IV. s) Dionys. v. 517.
t) Num. vet. p. 67. u) in Excerpt. L. VII. x) l. c. y) Tom. II. orat. IV. p. 183.

Digitized by Google

HOR. PRAE. PHIL. *Tria signa militaria.* AE. III.

Obvii hi numi sub ipso videntur Augusto signati, docentque, cohortem praetoriam emeritam in militiae praemium ab Augusto huc traductam, quo modo teste Plinio z), in Africa fuit Gunugi colonia Augusti *deducta cohorte praetoria.*

* * *

COL. AVG. IVL. PHILIP. *Signa duo super basi, cui inscriptum:* DIVVS. AVG., *dexteras attollentia, quorum dexterius paludatum, sinisterius seminudum,* in numis Claudii et sequentium impp.

COL. AVG. IVL. PHIL. IVSSV. AVG. *Caput Augusti laur.* ☧ *Signa eadem, sed dexteriori adscriptum:* AVG. DIVI. F., *sinisteriori:* DIVO IVLIO. AE. I. (Pellerin Rec. I. p. XXVIII. Mus. Caes.)

Posterior hic numus rarissimus praecedentes obvios, in quorum explicatu varie peccatum, egregie illustrat. Docet enim primo, statuam dexteriorem paludatam esse Augusti, sinisteriorem a summo ad medium nudam Julii, nempe specie divinitatis, qui inter deos relatus jam erat. Deinde coloniam deductam ab Augusto; nam in statuarum sede locus dexterior, ceu honorificentior Augusto tanquam fundatori datus, quam legem videmus etiam in inscriptione servatam; nam cum in aliarum coloniarum numis legatur: COL. IVL. AVG., in hac una COL. AVG. IVL.

Docemur praeterea, has statuas revera exstitisse Philippis, et jam sub Augusto dedicatas, et harum typum, ut revera erant, in numos translatum; nam nisi fuissent opus perpetuum, in numis sequentium imperatorum statua quoque Augusti, qui deorum item chorum auxit, efficta fuisset seminuda. Denique verba IVSSV. AVG. vel notare, easdem has statuas Augusti jussu dedicatas, haud dubie in memoriam victoriae ad Philippos relatae, et sumptae de Julii interfectoribus vindictae, vel ejus jussu deductam coloniam. Ad monetam ea referri non possunt, cum tum scribi solitam fuerit: PERMISSV. AVG.

Videntur haec signa magno fuisse apud Philippenses in honore, et quadam religione sacra, cum in eorum moneta non compareat alius typus dempto numo Commodi, in quo lupa gemellos lactans. (Vaill.) *AE. R.*

PYDNA.

In Pieria ad sinum Thermaicum clade Persei nobilitata.

Autonomi.

Caput Dianae. ☧ ΑΥΙΟΝ ΠΤΑΝ *Noctua.* AE. III. (Pellerin. Suppl. III. p. 103.)

Observanda in hoc numo insolens scribendi lex, quae bustrophedon proprie dici nequit, sed parte priore recta, altera retrograda. Multum remotae vetustatis non videtur propter literam Ω jam receptam.

z) L. V. pag. 244.

Digitized by Google

Caput Herculis imberbe. Ꝟ ΠΤΔΝΑΙΟΝ. ΠΤΝΔΝΑΙΟΝ. ΠΤΔΝΑΙΩΝ. *Aquila serpentem depascens.* AE. III.

Numos hos eximie raros recenset Wildius [a]), additque, circa Thessalonicam repertos anno Christi 1685 in suum museum migrasse. Simillimi his sunt aenei sola inscriptione AMTNTA pro ΠΤΔΝΑΙΩΝ diversi.

AE. RRR.

STOBI.

Vrbs mediterranea in Pelagonia, et notum *municipium*, quod Romanorum munus numi omnes hactenus editi profitentur.

Autonomus:

Victoria globo insistens. d. coronam, s. tropaeum. Ꝟ STOBENSIVM. *Bos gradiens.* AE. III.

Numum hac una causa memorabilem, quod hactenus autonomus unicus est, olim ex museo M. Ducis vulgavi [b]).

AE. RRRR.

Imperatorii.

Obvii a Vespasiano usque ad Elagabalum.

Epigraphe in nonnullis STOBENSIVM tantum, subaudi: *municipium.* In reliquis: MVNIC. STO. STOB. STOBE. STOBEN. STOBENS. STOBENSI. STOBENSIVM. STOBENVM. STOBENIVM. Lege de hujus urbis gentili disserentem Liebeum [c]).

Typi: in numis gentis Flaviae et Trajani est *templum 4. columnarum, intra quod idolum stans.* In reliquis variant, *Victoria* pleramque aversam occupante.

AE. C.

THESSALONICA.

Olim vocata *Therma*, in intimo recessu sinus Thermaici. Nominis mutati causa varie proditur, alii a victis ibi a Philippo Amyntae Thessalis, quos inter Julianus Aug. [d]), alii a Thessalonica Cassandri uxore Philippi II. filia repetunt, in qua sententia fuit Strabo. Constantinus Porphyrog. narrat, Philippum Amyntae victis ibi Thessalis idem nomen et filiae et urbi dedisse [e]). Straboni consentit Zonaras, addito, olim Emathiam fuisse dictam [f]). Fuit urbs illustris, et caput Macedoniae II. Hujus urbis historiam enarravit Velleyus [g]).

Autonomi.

Epigraphe: ΘΕ. (Pellerin.) ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ. ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ.

ΚΑΒΕΙΡΟΣ. *Caput juvenile laur.* Ꝟ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Aquila, omnia intra quernam.* AE. II. (Pellerin.)

ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. *Caput muliebre velatum turritum.* Ꝟ ΚΑΒΕΙΡΟC. vel ΚΑΒΙΡΟC. *Cabirus habitu curto stans d. clavam, aut quid simile, s. malleum attollit, in nonnullis pro pedibus incus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. Ꝟ ΚΑΒΕΙΡΕΙΑ. ΠΤΘΙΑ. ΘΙ. *Vtua prominente palmae ramo.* AE. II. (Pellerin.)

a) Sel. num. p. 4. b) Num. vet. p. 67. c) Goth. num. p. 320. d) Orat. III. p. 107. e) Themat. L. II. §. 4. f) L. XII. c. 26. g) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 121.

Digitized by Google

In numis Gordiani aut nulla ejus mentio, aut tantum simplicis: ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. ΝΕΩΚΟΡΟC. (Mus. Caes.) vel, quod singulare: ΝΕΩΚΟΡΑ. (Pellerin Mel. II. p. 202.) In numis Philippborum neocoratus quoque simplex. In numo Herennii duplex: ΜΗΤ. Β. ΝΕΩΚ. (Pellerin.) In numo Valeriani alio neocoratus nullus, (Arigoni) in alio musei Caesarei duplex, sic: ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. Β. Ν. In numis Gallieni, sed coloniae nomine, partim Β. ΝΕ., partim Γ. ΝΕ., ut dicetur.

Secundum Vaillantium [m]) Thessalonica primum neocoratum accepit a Gordiano, alterum a Valeriano. Duplex peccatum, quorum alterum viro erudito ignoscimus, quoniam Herennii numus serius fuit detectus. Alterum minus venia dignum, cum ipse sub Alexandro numos binos citaverit neocoratu II. notatos.

* * *

Metropolis: hanc dignitatem urbi concessam a Valeriano censuit Vaillantius [n]). At jam sub Decio hoc fuisse honore insignem docet numus Herennii in neocoratu citatus. Metropolis mentionem etiam supra in autonomo vidimus. Metropolim Macedoniae testatus est etiam Julianus [o]), aliique inferioris aevi scriptores. Quin etiam saltem honoris causa jam Augusti aetate dicta est μητης πασης Μακεδονιης ab Antipatro Thessalonicensi [p]).

AE. C.

Colonia dicitur in numis Valeriani ejusque familiae. Cum exstent ejusdem imperatoris numi absque mentione coloniae, dubium non est, deductam eam Valeriano imperante. Refert Zosimus [q]), sub hoc Thessalonicam a Scythis gravi obsidione pressam periculum suorum virtute civium evasisse. Vnde verisimile est, coloniae jura sibi promeritam.

Epigraphe Graeca, qua lingua haec una colonia, et Philippopolis Thraciae usae sunt, cum reliquae Graeciae Europaeae coloniae Latina constanter uterentur.

ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤ. ΚΟΛΩ. Valeriani. (Vaill.)

ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤΡ. ΚΟ. Β. ΝΕ. Gallieni. (Vaillant. Pellerin Suppl. IV. p. 12.)

ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗ. ΚΟ. Γ. ΝΕ. Gallieni. (Pellerin.)

ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗ. vel ΜΗΤΡ. ΚΟ. Β. ΝΕ. vel Γ. ΝΕ. Saloninae. (Vaill. Pellerin.)

Typus illustrior: *Vir nudus*, in aliis *mulier capite intulato stans d. sigillum Cabiri tenet.* (Pellerin. Suppl. IV. p. 12.)

Ludi ΠΥΘΙΑ inscripti urnae, Gallieni et Saloninae, de quo, ut et de *Metropoli* actum supra.

Litera solitaria Δ in numis Gallieni et Saloninae, (Pellerin.) nullo certo sensu ut in numis urbium Thraciae.

AE. RR.

TORONE.

Ejus numus soli Goltzio cognitus.

---

m) Num. Graec. p. 218. n) in Colon. sub Valeriano. o) Orat. III. p. 110. p) Brunck Anal. T. II. p. 112. q) l. I.

Digitized by Google

TRAELIVM.

Exstant numuli:

Caput Mercurii petaso tectum. ℞ ΠΑΙ-ΛΙΤΝΟ. *Balaustium.* AE. III. (Pellerin, et Hunter in numis Rhodi.)

Primus Pellerinius numum similem Rhodum, quippe causa balaustii, vocavit, cujus deinde judicium secutus est auctor musei Hunteriani. Dubium movit cl. Cousineryus nationis Gallicae Thessalonicae procurator, qui datis ad me literis, missoque similium numorum exemplari uno festatus est, eorum complures repertos juxta Amphipolin, ceterum non sibi constare de urbe adfinis nominis per hunc tractum, cui numi hi tribui possent. Istud ipsum cum a Cousineryo edoceretur abbas Sestinus, sic statuit: epigraphen numi non esse legendam ΠΑΙ-ΛΙΤΝΟ, sed ΤΡΑΙΛΙΟΝ. Jam vero d'Anvillium juxta Amphipolin constituisse oppidum *Triullum*, quod nomen cum satis adfine sit nomini ΤΡΑΙΛΙΟΝ in numo expresso, videri pro Triullum scribi oportere *Traelium*, vel *Traillium*, hosque numos huic tribuendos. Haec ille [r]). Quas causas qui idoneas arbitrabitur, is sibi persuadeat quoque, stetisse in hoc tractu urbem dictam Triullum, veteribus omnibus ignotam, si tabulam Peutingerianam demas, numosque adeo similes huic tribuendos. Idem vir eruditus etiam numos inscriptos TRIA. huc refert, de quibus egimus in numis Serdicae Thraciae. Mihi hactenus omnes id genus numi in incertis putandi videntur.

VRANOPOLIS.

In cacumine montis Athus teste Plinio [s]), cujus conditorem Athenaeus prodit Alexandrum Cassandri fratrem [t]), qui, quod norim, soli hujus urbis meminere.

Autonomi.

ΟΥΡΑΝΙΑΣ. ΠΟΛΕΩΣ. *Mulier capite tutulato globo insidens d. hastam.* ℞ *Sine epigraphe. Astrum.* AE. III.

Numum integerrimum edidi ex museo ill. Com. Vitzai [u]). Ejus similem jam protulit Pellerinius, sed cum in eo legere sibi videretur ΛΟΚΡΩΝ, eum perperam Locris Ozolis adjudicavit. Mulierem partis anticae conjecto esse Venerem Vraniam, a qua videtur urbi nomen inditum, de quo plura disserui loco laudato. Dixi, etiam astrum partis aversae ad eandem Vraniam referendum, quod etiam confirmat Sozomenus, cum narrat [x]), in Aphacis certo die ignem per quandam invocationem e vertice montis Libani decurrentem instar stellae in vicinum amnem sese immersisse, et hunc ignem ajebant esse Vraniam, ita enim ipsi Venerem appellant. Ceterum fieri poterat, ut urbs per situm coelo admota Vranopolis a conditore vocaretur.

AE. RRR.

---

[r]) Lettere p. 123. [s]) L. IV. c. 10. [t]) L. III. p. 98. [u]) Num. vet. p. 70. [x]) Hist. eccl. L. II. c. 5.

Digitized by Google

REGES MACEDONIAE.

Longam horum regum seriem a vetustissimis temporibus deductam memoriae prodiderunt scriptores veteres, ex quorum testimoniis, etsi saepe dissonis et fluctuantibus, praecipue quae ad temporum rationem pertinent, eorum historiam et successionis legem descripsere Reinerus Reineccius, Petavius, Spanhemius, Froelichius, aliique, quorum nos insignes conatus in judicium non vocamus, quoniam non in historiam, sed numos crisin intendimus, a numis vero neque chronologiae, neque successionis ratio, sicubi luxata est, sanari potest, quia notis epochae, aliisque indiciis fere destituuntur.

Juvat Macedoniae reges ab ejus regni exordio secundum Froelichii catalogum y) compendio commemorare. Horum primi aut pecunia signata caruere, aut haec ad nostram aetatem non pervenit. Alii numi huic illive perperam sunt tributi, conficti alii, ut in singulis docebimus.

* * *

CARANVS Argivus ex Herculis stirpe, et ab hoc sextus decimus ex oraculi Delphici monitu novas sedes quaerere jussus huc commigrat, occupatam Edessam Aegas appellat, quod capras domum remeantes per nebulam secutus custodes fefellit, et una cum his receptus urbe potitus est z). Factum illud creditur circa annum ante V. C. 16. ante Christum 768. Moritur V. C. 14. fundata stirpe in Alexandri M. liberis desitura, quod sic in vulgus fuit creditum, ut non dubitaret Isocrates in sua ad Philippum II. oratione perpetuo hunc ejus cum Hercule sanguinis nexum praedicare, ut nunc mittam testimonia alia, quae suis locis commemorabuntur. Hinc toties in regum Macedoniae numis caput Herculis occurrit.

COENVS. TYRIMAS. PERDICCAS. I. fere nomine tantum cogniti.

ARGAEVS. Hujus numum APΓEIOT. BAΣIΛEΩΣ, quem ex Scaligero citat Harduinus a), commentitium puta. Alium magis eruditum, nimirum magis ad leges artis numariae exactum, sed palam spurium, Constantinopoli ante annos aliquot missum servat museum Caesareum: APΓAIOT. *(retrograde) Equus gradiens, infra quem clava.* ℞ *Quadratum incusum quadripartitum.* AR. II.

PHILIPPVS I. mortuus creditur V. C. 172. Huic Froelichius tribuendos conjicit argenteos nonnihil barbaros: *Caput Jovis.* ℞ *Eques adstituta barbara Philippi epigraphe* b). Perperam, nam esse Philippi II., in hoc docebimus.

AEROPAS, vel EVROPVS.

AMYNTAS. I. mortuus circiter V. C. 265. Commemorandus hoc loco numus:

y) Notit. elem. p. 128. z) Justin. L. VII. c. 1. a) Opp. sel. p. 27. b) Notit. elem. pag. 128.

Digitized by Google

Pagurus. ☿ BAME *sine typo.* AE. III.
MTΠT
M

De numo hoc scite disserit Cl. Wise c): editum esse a Begero et Spanhemio, ab utroque tribui Amyntae I., quia tam typo, quam literarum forma differt a numis Amyntae II. Hos minus confidenter secutum Montfauconium d). Sed ab his male lectam epigraphen, nempe BAMIMTΠTM, cum tamen in praesente numo, cujus similes duos possidet David Bosanquet mercator Londinensis, legatur sic, ut supra descripsimus. Ergo Amyntae I. tribui non posse, praesertim cum dubitari queat, an tunc temporis permissum fuerit Macedoniae regibus, inscribere nomen suum monetae, cum teste Polybio e) Macedones ab antiquo aequalem cum regibus suis habuerint potestatem. Dubium augere praefixum B pro Βασιλεως, qui titulus ante Philippum II. in Macedoniae regum moneta non occurrit. Ipsum numi opus tam remotam aetatem non olere. Elementum O quadratae formae, quod ad demonstrandam tantam antiquitatem maximi momenti putant, etiam serius fuisse usurpatum, nam comparere in simulacris Hermacis Phocionis, Speusippi, in numis Arsacidarum &c. Haec praeclare vir eruditus contra Begerum et Spanhemium, etsi ipse denique, cui vere tribuendi sint, ignoret. Aliquanto serius idem dubium occupavit Froelichium, qui recte adserit f), numis Macedonicis aliam esse speciem, aliam epigraphen, nempe: AMTNTA. Vtrum vero, quod timide suspicatur, tribuendus sit Amyntae Galatae, dubitari potest.

ALEXANDER I.

Amyntae I. F. cognomento *Dives*, vir multis virtutum ornamentis praeditus. Fratrem habuit MENELAVM, qui et *Tharraleos* dictus, sororem GYGAEAM. Mortuus secundum alios V. C. 309, secundum alios serius, at secundum Chronicon Parium V. C. 291.

Numi.

Vir pileatus eques lento gressu d. binas hastas. ☿ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤ *intra quadratum incusum.* AR. I. (Mem. B. L. T. XXIV. p. 48.)

Vir pileatus s. duo jacula gestans equum frenatum gradientem comitatur. ☿ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ. *scriptum circa quadratum quadrifariam divisum.* AR. m. m. et I. (Pellerin, le Bret.)

Forma literarum, terminatio plerumque in O, quadratum incusum, omnia, longum horum numorum aevum testantur, neque cogniti alii regum Macedoniae numi his antiquiores. Nihil obstat, quo minus equitem partis anticae ipsum regem statuamus, nam pileo usus est etiam Gentius vicini Illyrici rex, nimirum nondum recepto tum diademate, et veteres Macedonas gestasse pileos, tradit Dio Chrysostomus g). ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ gignendi casus est pro ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤ, ut et ΑΡΧΕΛΑΟ, de quo proxime. O positum pro OT archaismus purus putus est, cujus exempla obvia sunt in mar-

c) Mus. Bodl. p. 112. d) Palaeogr. Graec. p. 121. e) L. V. c. 27. f) Not. elem. p. 139. g) Orat. 71. de cultu corp.

Digitized by Google

moribus vetustissimis omnium Graeciae nationum, Amyclaeis Fourmontii, Sigeo, et in vetustissimis Atheniensium, quae edidere Sponius h), Chandlerus i), et Taylor k). Ejusdem legis sunt ΜΑΤΣΣΟΛΛΟ, ΠΙΞΟΔΑΡΟ in numis regum Cariae. Hanc regulam confirmat Athenaeus l), qui agens de poculo literato, in quo scriptum ΔΙΟΝΤΣΟ, addit, in hac voce desiderari elementum Τ, quoniam Achaei utebantur litera Ο non solum ea facultate, qua nunc pollet, sed etiam cum diphthongum significabat, Ο tantum pingentes. Eodem modo Philoxenus a Dionysio ex Italia in Siciliam revocatus rescripsit Ο, *non*, pro ΟΤ. Vide Suidam in Φιλοξενη γραμματιον, aliosque proverbiorum scriptores. Hunc, quem dixi, archaismum retinuere Dores et Aeoles, sic tamen ut ΟΤ mutarent in Ω serius inductum. Sic in marmore Cretensi apud Reinesium m): ΤΩΣ. ΚΩΡΗΤΑΣ pro ΤΟΤΣ. ΚΟΤΡΗΤΑΣ. et passim Dores: μωσα, ὡρανος, pro μυσα, ὐρανος. Alias tamen Dores etiam ΟΤ in Ο breve mutavere; sic obvium in numis ΣΤΡΑΚΟΣΙΩΝ pro ΣΤΡΑΚΟΤΣΙΩΝ. Quadratum partis aversae Begerus n) et Froelichius o) temere de figura Macedoniae quadrata capiunt. Sin istud, etiam quadratae fuere Abdera, Maronea, Thasus, Amphipolis, Acanthus &c. Alia de hoc quadrato, remotae antiquitatis indice, alibi docuimus. (Prolegom. gen. Vol. I. p. LXIV.)

Ab hoc Alexandro incipiunt illustria tetradrachma regum Macedoniae. Testatur vero etiam Herodotus, eidem huic regi ex vicina Macedoniae fodina in singulos dies singula argenti talenta venisse p). Vnde reor, *Divitis* ei cognomen fuisse inditum.

AR. RRRR.

PERDICCAS II.

Alexandri F. moritur secundum Chronicon Parium V. C. 334.

Numus.

Equus Ϟ ΠΕΡΔΙΚ. *Galea in areola quadrata.* AR. Ex museo Cary. (Maffei Ant. Gall. p. 113.)

Rarissimum hunc numum jure huic Perdiccae tribuemus, quoniam simillimum alium mox videbimus in moneta filii Archelai. Numos aeneos alios, quos Froelichius eidem obtulit, esse Perdiccae III., in hoc docebo.

AR. RRRR.

ARCHELAVS I.

Perdiccae II. filius, caede fratris ad regnum designati imperat. Rebus in Macedonia praeclare constitutis obit V. C. 354.

Numi:

Eques pileatus binas hastas tenens. Ϟ ΑΡΧΕΛΑΟ. *(in aliis sine epigraphe.) Caper dimidius intra quadratum.* AR. I. (Froelich. Reg. vet. p. 1. Pembrock.)

---

h) Misc. pag. 315. i) Inscript. ant. pag. 37—42. k) Marm. Sanvdic. l) L. XI. p. m. 466. m) Syntagm. T. I. pag. 501. n) Thes. Br. T. I. p. 220. o) Not. elem. pag 129. p) L. V. §. 17.

Digitized by Google

Eadem adversa. ☧ *Sine epigraphe. Quadratum quadripartitum* AR. I. In aliis: *Leo dimidius intra quadratum.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Equus currens. ☧ ΑΡΧΕΛΑΟ. *Galea, omnia intra quadratum.* AR. III. (Pellerin.)

Caput imberbe tenui filo redimitum. ☧ ΑΡΧΕΛΑΟ. *Equus gradiens pendentibus habenis.* AR. I. (Mus. Caes.)

Protome barbata diademata. ☧ - - - ΕΛΑΟΤ. *Equus gradiens intra quadratum incusum.* AE. III. (Haym. T. II. p. m. 11.)

Numi loco I. descripti tam typo partis anticae, quam fabrica simillimi sunt numis Alexandri I. avi. Capri rationem supra in Carano dedimus.

Quos altero loco vides anepigraphos, Pellerinius eidem Archelao tribuit propterea, quod similis antica est in certis ejus numis. At juxta hanc legem possunt etiam esse Alexandri I.

Tertio similes sunt numi alii argentei III. formae; nisi quod omnis in his epigraphe abest, quorum similem edidit Neumannus noster [q]), et propter hanc typorum et fabricae concordiam eidem Archelao tribuere non dubitavit. De his redibit mentio in numis Metropolis Thessaliae.

Quartus et quintus postremus non leves objiciunt difficultates. Suntne unius ejusdemque Archelai, an diversorum? Sin illud, cur in priore est imberbis, in altero prolixe barbatus? Cur tantopere abludunt vultus lineamenta? Atque hanc unam fuisse rationem existimo, cur mentem mutaret Froelichius, numumque Haymii cum vultu barbato tribueret Archelao I., reliquos Archelao II. Verum an satis conspirat fabrica, quam exhibet numus IV., cum aetate Archelai II., qui fuit Philippi II. frater? Jam ad barbam quod attinet, ut de typis judicari recte possit, nosse primum oporteret, utrum hac aetate Macedones barbam aluerint, an eam abjecerint? Sed in hoc video discordia veterum testimonia. Ante Alexandrum M. inusitatam in Graecia rem fuisse novaculam, ac hujus primum aetate radendae barbae inolevisse consuetudinem, pluribus Chrysippi testimoniis comprobat Athenaeus [r]). Suffragatur et Plutarchus, perhibens [s]), Alexandrum militum suorum radi barbas jussisse, ut difficilius in praelio ab hostibus capi possent. Atqui et Synesius citat Ptolemaeum Lagi, quem, ait, quia rei gestae interfuit, rem non ignoravisse, et quia rex fuit, non mentitum, haec scilicet scribentem: Alexandrum cum videret, suos a Persis barba comaque prehensos retineri ac trucidari, ante praelium ad Arbela omnes Macedonas missis tonsoribus novacula radendos curasse [t]). Et alio loco refert Plutarchus de Philippo Amyntae, patre Alexandri M., Antipatri quemdam amicum, inquit, in judicum collegium cooptaverat, sentiens autem, eum barbam caputque tingere, removit eum [u]). Contra Plutarchus de eodem no-

---

q) Num. pop. T. I. p. 147. r) L. XIII. p. m. 565. s) in Theseo p. m. 3.
t) Encom. calvit. p. 79. u) Αποφθεγμ. βασιλ. p. m. 178.

Digitized by Google

stro Archelao x): Archelaus rex garrulo tonsori, cum humeris linteum circumdaret, quaerenti: quomodo te tondebo? (πως σε κειρω;) respondit: tacens. Ergo ex his testimoniis habemus Graecos, et privatim Macedonas ante Alexandrum M. partim barbatos, partim imberbes, aut saltem tonsos. In numis, quos hactenus citavimus, virorum Macedonum vultus tam sunt imberbes, quam esse solent, quos novacula pervasit, in solo aeneo Haymiano Archelai caput amplam barbam promittit, ut adeo in hac barbae causa neque numi inter se, neque veterum dictata conspirent. Ad diadema quod attinet, communis est antiquorum scriptorum doctrina, quam jam attigi in numis Gelonis et Hieronis I. Syracusarum regum, ab Alexandro M. demum diadematis usum fuisse invectum. At quo pacto haec vera esse potest, cum jam capita Archelai, Pausaniae, et Amyntae II., qui omnes Alexandrum M. praecessere, in numis diademata conspiciamus? Juvat animadvertere, diadema, quod reges post Alexandrum M. gestare sunt soliti, latius fuisse ligamen in occipite in nodum collectum, cujus extremitates in humeros longius defluxere, a quo longe differt diadema conspicuum in numis argenteis regum Macedoniae, qui Alexandrum praecessere, quod tenue tantum filum est circulo finitum nullo in humeros exitu. At ab his rursum differt laudatus saepe aeneus Haymianus, in quo diadema est ejus formae, cujus sunt illa, quae comparent in numis regum, qui post Alexandrum regna tenuerunt. Adde, quod in eodem hoc numo non caput tantum regis proponitur, ceu in argenteis horum regum aliis, sed protome. Qui tantus ac tot in causis a reliquis dissensus posset de ejus numi fide dubium injicere, praecipue cum alter similis nondum promulgatus sit, nisi eum adcurati Haymii auctoritas tueretur. Ceterum proposuisse haec dubia satis esto, relicta aliis judicandi cura, sitne filum illud, quo in argenteis caput regis redimitur, vere diadema regium putandum, et fortasse verisimile, caput sic revinctum et imberbe esse potius numinis cujuspiam, quam regis.

AR. RRR. AE. RRRR.

PAVSANIAS.

Filius Aeropi, qui exstincta Archelai stirpe regnum occupavit. A morte patris annum unum regnat dejectus ab Amynta II., quod factum V. C. 360 tradit Diodorus y). Amynta mortuo regnum iterum invadit z).

Numus:

Caput imberbe diadematum. Σ ΠΑΥ-ΣΑΝΙΑ. *Equus gradiens intra quadratum.* AR. 1.

Praestantem hunc numum in Macedonia haud ita pridem effossum in museum suum intulit eruditus, mihique amicissimus Cousineryus vicarius Galliae consul Thessalonicae, postea museo regis Gallarum cessit.

AR. RRRR.

x) l. c. p. 177. et de Garrulitate. y) L. XIV. c. 84. 89. z) Aeschines de fals. legat. p. 399.

Digitized by Google

* * *

AMYNTAS II.

Menelai, secundum alios Philippi Tharralei filius. Exstincta in Oreste Archelai filio linea recta, et everso Pausania, qui partem tenuit, Macedoniam totam sibi subjicit. Variam primum fortunam expertus regnum subinde quiete tenuit, mortuus V. C. 385.

Numi:

Caput imberbe diadematum. ℞ AMTNTA. *Equus gradiens defluo ad terram freno.* AR. I. (Maffei Ver. ill. P. III. p. 262.)

Caput Herculis barbatum leonis exuviis tectum. ℞ AMTNTA. *Equus in quadrato.* AR. I. (Mus. Caes. Pembrock.)

Caput idem, sed imberbe. ℞ AMTNTA. *Aquila stans intra quadratum.* AR. I. (Beger.)

Caput idem imberbe. ℞ AMTNTA. *Aquila serpentem depascens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Constans in his numis lectio AMTNTA, nempe Dorice pro AMTNTOT. Quare jure Harduinus Goltzii numum suspectum vocat, in quo posterior hic modus praetenditur [a]). Quod Harduini judicium inique infringere tentat Spanhemius commemorando numos varios, in quibus certa lectio BAΣIΛEΩΣ. AMTNTOT [b]). Nam numos omnes sic inscriptos esse Amyntae Galatae, suo loco docebimus, quos in plerisque catalogis passim cum Macedoniae regum numis temere mixtos videmus.

Quod ad typos attinet, proponitur Hercules, quia ab hoc reges genus duxere ut diximus in Carano. Equus in quadrato typus vetus. At novus aquila serpenti inimica, quam offert etiam Chalcis Euboeae, et numi urbium Siciliae, tum et Pydnae urbis Macedoniae. Eundem typum habuit annulus Arei Spartanorum regis teste Josepho [c]).

AR. RR. AE. R.

* * *

Habuit Amyntas II. ex variis uxoribus filios VII.

Amyntae II. filii ex EVRYDICE.

ALEXANDER II. post patrem annum unum regnat.

PERDICCAS III.

Post fratris mortem regnat. Moritur in pugna V. C. 394.

Numi:

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ℞ ΠEPΔIKKA. *Equus gradiens, infra clava.* AR. I. (le Blond ex mus. Pellerin. p. 4.)

Eadem adversa. ℞ ΠEPΔIKKA. *Leo gradiens*, rarius: *Bos cornupeta.* AE. III. (Pellerin., Mus. Caes.)

Numos similes aeneos Froelichius tribuit Perdiccae II. aut saltem inter hunc et tertium anceps fuit, confidenter Pellerinius tertio largitus est, quam viri praeclari sententiam invicto argumento confirmo. Fuit Venetiis in museo illustris patricii Jacobi Gradenigo numus AE. III.

---

a) Chron. vet. test. b) T. I. p. 377. c) Ant L. XII. c. 5.

Digitized by Google

bis percussus. In hoc ex vetere matrice superant literae AMYNT. scriptae in orbem. Reliquum totum est opus matricis recentioris, nimirum: ΠΕΡΔΙΚ - - *Leo gradiens*, ut in numo citato. Certum igitur, praecessisse Amyntam, secutum Perdiccam. Ergo si numus hic esset Perdiccae II., necesse foret, nomine AMYNT. intelligi Amyntam I., sed cujus non exstant numi. Cum ergo nomen illud certo sit Amyntae II., posteriorem, atque adeo tertium.

Praetereo numos Goltzii inscriptos ΠΕΡΔΙΚΚΟΥ. vel ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΕΡΔΙΚΚΟΥ, in quibus non modo epigraphe ΠΕΡΔΙΚΚΟΥ pro ΠΕΡΔΙΚΚΑ, sed et titulus ΒΑΣΙΛΕΩΣ offendunt.
AR. RRRR. AE. R.

* * *

PHILIPPVS II. tertius Amyntae II. filius, de quo infra.

Amyntae II. filii ex GYGAEA.

ARCHELAVS II., ARCHIDEVS, MENELAVS, omnes a fratre Philippo II. eversi.

Amyntae II. filius ex concubina.

PTOLEMAEVS dictus *Alorites*, quia apud Alorum oppidum natus. Sub Alexandro II. fratre regnum aliquamdiu administrat, illudque hoc mortuo ipsum triennium retinet. A fratre Perdicca III. e medio tollitur.

Ejus numum Goltzius, sed unicus, totum moris Macedonici, vulgavit: *Caput Herculis.* Σ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΑΛΩΡΙΤ. *Equus intra quadratum.* AR. Esse confictum, vel inde satis patet, quia cognomina, nisi honorifica, addi regibus nunquam consuevere.

PHILIPPVS II.

Tertius, ut dictum, Amyntae II. filius. Obses a Thebanis juvenis detentus, sed quod ipsum illi ad futuram gloriam profuit, quod tum ab Epaminonda ad virtutes et belli scientiam informatus fuit. Mortuo fratre Perdicca regnum adit V. C. 395, illudque victis vicinis populis seu stabilit, seu amplificat. Dum incautius in Methones Thraciae obsidione versatur, oculum amittit sagitta ab Astere quodam excussum. Majora subinde agitans urbes Chalcidicas invadit, captamque Olynthum evertit. Bello sacro contra Phocenses templi Delphici praedones feliciter confecto magnam et pietatis et fortitudinis laudem ab omni Graecia aufert, in sanctius propterea Amphictyonum concilium admissus. Tam subita ex vicino incrementa, et Graecorum libertati inimica ut reprimerent, ad se pertinere rati Athenienses, hortatore cumprimis Demosthene arma sumunt, sed victi ad Chaeroneam gratiam tamen a victore obtinent. Consentiente Graecia dux adversum Persas Corinthi creatus praemissis jam in Asiam copiis in medio victoriarum et felicitatis cursu in nuptiis Cleopatrae filiae a Pausania satellite occiditur V. C. 418. IX. Kal. Febr. anno regni XXV. aetatis XLVII. Haec compendio ex Reineccio.

Fuit princeps omnibus belli pacisque artibus summus, tum eloquentia, artibusque elegantibus eximie praestans, atque inter omnes Macedoniae reges uno

Digitized by Google

filio minor habitus. Gloriae supra modum cupidus, cujus desiderio perinde habuit, sive aestu et cuniculis, sive aperto Marte vinceret, jam mansuetudine, jam duritie, ut res postulare visa, in hostes aeque ac socios usus. Neque ferreis magis, quam aureis armis opportune nixus dictante nimirum oraculo, quod consulenti datum refert Suidas:

Αργυρεαις λογχαισι μαχυ, και παντα κρατησεις.

Argenteis hastis pugna, et omnia subiges

in eumque dictum est illud Horatii [d]:

diffidit urbium
Portas vir Macedo, et subruit aemulos
Reges muneribus.

Quare et Valerio Maximo magis Graeciae mercator, quam victor dictus [e]. Atque his artibus potentis regni fundamenta jecit pater, filio propediem operis totius gloriam absoluturo. Vide de hoc plura apud Justinum [f].

Vxor I. OLYMPIAS Neoptolemi Molossorum regis filia, ex qua nati ALEXANDER III. MAGNVS: et *Cleopatra* nupta avunculo Alexandro Epiri regi, quo in Bruttiis caeso, cum Ptolemaei nuptias ambiret, jussu Antigoni Sardibus interficitur. Ipsa Olympias apud filium gratiosa, hoc mortuo a Cassandro Pydnae obsessa, et ad mortem adacta. Ejus vitia abnormia ac virtutes collectas vide a Reinero Reineccio [g].

Olympiadi numum inconsulto tribuit Wildius [h], in cujus utraque facie omnis epigraphe extrita. Videtur is verius esse Titianae Pertinacis. Praetereo ejus reginae numos alios cognitae fraudis. Tamen ejus exstat numus, sed aevi multo serioris, quia contorniatus, cum epigraphe: OLIMPIAS. REGINA, quem descriptum dabimus in tractatu de numis contorniatis.

Ex concubinis proles illustriores: ARIDAEVS, *qui Philippi* nomine successit fratri Alexandro. Ei mater *Philinna* saltatrix Larissaea. *Thessalonica* nata e Nicasipoli Pheraea, subinde Cassandri matrimonio juncta, a proprio filio Antipatro caesa.

Numi:

Praecedentium Macedoniae regum inopiae succedunt ingentes Philippi II. opes copiosis aureis argenteisque numis comprobatae, ut adeo ab his quoque affatim doceamur, Macedoniam antehac obscuram hoc demum imperante coepisse illustrari. Cum regnum adiret, tam rara fuit aurea ejus supellex, ut ea omnis constaret exigua aurea phiala, quam ipse cubans pulvinari semper subdidit, ut testatur Athenaeus [i]. Tantorum causa incrementorum non modo fuit tracta ex captis urbibus praeda, quae tum plus abundabant auro, ex quo ingentes Apollinis Delphici thesauri a Phocensibus direpti sunt, quam ipsam adfluentis tum largius auri causam adfert Athenaeus [k], verum etiam fodinae nobilis metalli feraces bello acquisitae. Occupasse eum *au-*

d) Carm. L. III. Od. 16. e) L. VII. c. 2. f) L. VII. c. 8. g) Pag 552. h) Sel. num. tab. II. n. 11. i) L. VI. p. m. 231. k) l. c.

Digitized by Google

raria in Thessalia, *argenti metalla in Thracia*, narrat Justinus [l]). Plura ad rem opportuna memorat Diodorus [m]), nimirum ad Crenidas profectum Philippum urbem habitatorum frequentia amplificatam de se *Philippos* appellasse, quin et auri fodinas, quae per regionem illam erant, perquam tenues hactenus, operum structuris eo provexisse, ut reditum plus mille talentorum funderent. Addit continuo, cusum a Philippo ex hoc auro νομισμα χρυσουν, το προσαγορευθεν απ' εκεινου Φιλιππειον, *numum aureum, a se* Philippicum *dictum.* Romani quoque numos hos passim cognitos dixere *Philippos*, cujus exempla, ut alios mittam, passim habes apud Plautum.

Quanta horum Philippi numorum olim exstiterit copia, vel ex una praeda metiri licet, quam per intervalla Romani post suas in Graecia victorias collegere. Vno Livio teste Quinctius in urbem intulit, et in triumpho ostentavit Philippeos 14514 [n]). Scipio Asiaticus 140000 [o]). M. Fulvius 12422 [p]). Cn. Manlius 16320 [q]). Adde incredibilem eorum numerum, qui jam olim in alios usus fusi fuere. Refert idem Livius [r]), a legatis Pamphyliae populo R. oblatam coronam auream ex viginti millibus Philippeorum factam. Ex tam immensa numorum sic appellatorum copia suspicari jure licet, etiam aureos Alexandri M. et Philippi Aridaei Philippeorum nomine venisse, quod retentum fuit etiam in successoribus ab institutore Philippo II., qui eos primus flavit, quae opinio firmatur eo, quod aureorum Alexandrinorum rarius fiat mentio, etsi aureorum Alexandri M. ingens perinde exstet copia. Quare cum Horatius ineptam in Choerilum poetam Alexandri M. liberalitatem narrat, ab hoc non Alexandrinos, sed Philippos datos refert [s]):

Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Choerilus, incultis qui versibus et male natis
Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos.

Eodem modo hodieque in Hispania numi quidam dicuntur Philippi a primo institutore, quocunque nomine sit rex, cujus imperio feriuntur. Horum Philippeorum adhuc inclinante imperio R. fit mentio. Audi sancientem Vlpianum [t]): *Si autem aurum et argentum signatum legatum est, id paterfamilias videtur testamento legasse, quod ejus aliqua forma est expressum, veluti quae* Philippi *sunt, itemque numismata, et similia.* Et fecit incredibilis haec Philippeorum copia, ut passim antiquitus quicunque aurei cujuscunque vel aevi, vel principis dicerentur Philippei. Narrat Lactantius [u]), Sybillam a Tarquinio Prisco pro libris suis petiisse C. Philippeos. Nemo tam rudem faciet Lactantium, ut ignoraret, Tarquinii aetate existere nondum potuisse numos a Philippo Amyntae cusos. Teste Trebellio [x]) scripsit Valerianus

l) L. VIII. c. 3. m) L. XVI. c. 8. n) L. XXXIV. c. 52. o) L. XXXVII. c. 59.
p) L. XXXIX. c. 5. q) L. XXXIX. c. 7. r) L. XLIV. c. 14. s) L. II. ep. 1. v. 232.
t) Digg. L. XXXIV. Tit. II. §. 27. u) de falsa relig. c. VI. x) in Claudio.

Digitized by Google

Aug. procuratori Syriae: *dabis Claudio Philippeos nostri vultus annuos CL.*, id est, numos aureos Valeriani imagine insignes.

Verum in tanta numorum copia, qui ΦΙΛΙΠΠΟΥ vel ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ inscriptum offerunt, oritur duplex quaestio implicata admodum, I. suntne numi omnes sic inscripti hujus Philippi II., et an non horum pars vindicanda Philippo III. Aridaeo? II. sin istud, quod habemus κριτηριον, quo utriusque regis numi distinguantur? Vtraque quaestio a plerisque antiquariis in examen vocata et varie disputata, cujus dissidii summa capita et nos in judicium vocabimus.

Harduinus [y]), eumque secutus Froelichius [z]) censuere, numos inscriptos simplice ΦΙΛΙΠΠΟΥ esse tribuendos Philippo II., at inscriptos ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ Philippo Aridaeo, atque istud propterea, quod primus videatur fuisse Alexander M., qui regis titulo propalam esset usus. Necesse non est, refutandae causae allatae immorari. Etenim Philippus II., qui angustum hactenus Macedoniae regnum in eam majestatem evexit, quemadmodum amplificare illud novis incrementis, ita addere sibi titulum potuit a majoribus propter opum tenuitatem in monumentis publicis omissum, praecipue cum regis appellatio ei a nemine scriptorum veterum, et ne quidem a coaevo et inimico Demosthene negaretur, ipse praeterea Philippus palam regio nomine utatur in literis publicis ad Athenienses datis, quibus praefigitur: Βασιλευς Μακεδονων Φιλιππος Αθηναιων τη βυλη και τω δημω χαιρειν [a]), quin et ipse Archelaus, qui annos complures Philippum nostrum praecessit, ab Euripide synchrono in epistolis, quae ei vulgo tribuuntur, dicatur βασιλευς. Verum haec quomodocunque habebunt, productum a viris eruditis discrimen petitum ab inscriptione ΦΙΛΙΠΠΟΥ et ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ obtinere non potest propterea, quoniam utroque modo promiscue inscribuntur numi usque eo fabrica, et pondere sibi similes, ut necesse sit, eos unius ejusdemque regis numos habendos, nisi malis etiam distinguere aureos, argenteosque Alexandri M. numos, quorum alii simpliciter ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, alii ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ inscribuntur, et eadem lege binos Alexandros circumspicere.

Aliorum judicia si spectes, hi adeo fuere in Aridaeum liberales, ut, quod jure queritur Pellerinius, qui quaestionem hanc prolixius agitavit [b]), vix habiturus sit Philippus II. numos aureos, si numi ii omnes, quos eruditi per varias conjecturas Aridaeo vindicant, essent revera ejus regis, cum tamen, vt supra docuimus, satis constet, Philippum Amyntae ingente copia numos aureos feriundos curasse. Horum fallacia judicia satis sese ipsa evertunt.

Dum injurios in Philippum II. antiquarios queritur Pellerinius, ipse rursum injurius est in Aridaeum, cum nullum videtur agnoscere velle numum ejus

y) in Chron. vet. test. p. 574. z) Not. elem. p. 140. a) Demosth. de Corona. b) Rois. p. 7.

Digitized by Google

nomine signatum. Causam adfert, quod imperantibus Philippo II. et Alexandro M. tanto numero signata fuit moneta, ut necesse non fuerit eam ferire nomine Aridaei. Verum isthoc pacto difficultatem denique effugimus, non expedimus, et laborabit magnopere Pellerinius, si, quod intendit, volet eruditis persuadere. Enimvero ut certum est, fuisse Aridaeum regem nomine magis, quam re, et omnem penes duces potestatem, tamen vel ideo, quod post Alexandri mortem annis sex et amplius rex agnitus fuit, in monetam jus habuit, neque istud tum adhuc negatum, nondum ausis ducibus palam in regium nomen involare, quod interea animo ac spe conceperant.

Inter haec ambigua quae denique tenenda sententia, paucis explicatum eo. Adfirmare non dubito, ut patris, ita et filii Aridaei nomine cusam pecuniam, et utriusque discriminandae rationem non esse desperatam. Hanc antequam expedio, necesse est, commemorare primum compendio numos Philippi II. certos, quibus semotis confidentius de incertis liceat judicare.

Caput Apollinis laur. Ϫ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Figura in citis bigis.* AV.

Caput Jovis laur. Ϫ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Eques vario cultu.* AR. 1.

Aureos hos argenteosque numos absque dubio esse Philippi II., patebit ex iis, quae infra in eorum explicatu monebo. Eorum tantus est numerus, ut, etsi reliquos omnes demas, qui alios typos exhibent, tamen per se soli satis comprobent, quaecunque de ejus regis opibus, et numis aureis, dictis *Philippis* memoriae prodita, et supra commemorata sunt. Magnas principis opes non comprobat varietas typorum, sed copia numorum superstes. Erant, qui inde ab adito regno non variarent typos, cujus exemplum in aurea et argentea moneta suppeditant Lysimachus, et Tiberius Augustus. Sed jam ad incertos convertamur.

Caput Palladis galeatum. Ϫ ΦΙΛΙΠΠΟΥ., *vel* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Victoria stans d. lauream, s. tridentem.* AV.

Caput Herculis imberbe. Ϫ ΦΙΛΙΠΠΟΥ., *vel* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Juppiter aetophorus sedens*, AR. I. III.

En tibi, si inscriptionem demas, luculentos Alexandri M. numos. Esse unius ejusdemque Philippi, seu το ΒΑΣΙΛΕΩΣ addatur, seu omittatur, propter aequabilem prorsus fabricae rationem indubitatum, ut agnovit etiam Pellerinius. Sed enim utri hos Philippo largiemur? Cum certa ratio desit, pugnandum conjecturis. Eccas! Certum est, hos typos aut adhiberi coeptos sub Philippo II. et deinceps sub Alexandro continuatos, aut inductos ab Alexandro, et continuatos sub Philippo Aridaeo. Sin primum, citati numi erunt Philippi II., sin alterum, Aridaei. Huc igitur universa quaestio redit, sitne magis verisimile, a Philippo II., an filio Alexandro invectos. Ajo vero, magis probabile, id ab Alexandro factum. I. Pronum est credere, juvenem hunc regem, cui patris res non magnopere adrisere, in moneta mutasse typos patrios, et bigis substituisse Victoriam, qualem descriptus modo numus aureus exhibet. Si typus hic jam fuisset a patre constitutus, et retentus ab Alexandro, mirum

Digitized by Google

sane videatur, non etiam ab eodem retentum alterum typum bigarum. At lectum semel ab Alexandro thema perseverasse sub Aridaeo plane credibile, cui neque innovare multa per animi imbecillitatem libuit, neque perque praepotentes duces licuit. Eodem modo verisimile etiam, ab eodem Alexandro ex moneta argentea ejectum solitum Philippi II. equitem, huic suffectum Jovem aetophorum, et eadem lege, ut de aurea moneta diximus, ab Aridaeo retentum. II. Constat de eximio Alexandri in Palladem adfectu, ut in ejus numis dicetur; ex quo verisimile, Palladis caput ab hoc, non patre lectum. III. Citati Philippi numi cum Jove aetophoro non modo typo, sed et nitore fabricae et pondere cum obviis Alexandrinis prorsus conspirant, unde manifeste arguere licet, monetae modum sub Alexandro inchoatum in fratre durasse. At quos supra citavi certos Philippi II. numos, praesentibus et operis perfectione et pondere multum sunt inferiores. IV. Constat, Seleucum I. Syriae, Lysimachum Thraciae, Demetrium Macedoniae, Areum Spartae reges etc. Alexandri M. numos aureos et argenteos proxime esse imitatos signando in his caput Palladis et Victoriam, tum caput Herculis et Jovem aetophorum addito suo ipsorum nomine. Eodem ergo modo verisimile quoque est, Aridaeum monetam suam ad exemplar monetae fraternae cudere perrexisse. V. Insigne argumentum, hos numos ad Aridaeum pertinere, proponam infra in ejus moneta ex numo a Lyciis signato, quo loco et plura alia producentur, quae sententiam hanc illustrant, sed quae hic brevitatis causa praetereo.

Apparet ex his, quae dixi, in numis Philippi II. certis omitti constanter titulum ΒΑΣΙΛΕΩΣ, in numis, quos esse Aridaei dixi, perinde ac in Alexandri numis jam addi, jam omitti. Ex quo patet, nondum certo constare, sitne Philippus II. in moneta publica regio titulo usus, etsi, ut supra monui, rex palam dictus est. Ejus in numis dissimulati ratio obscura, tamen non citra exemplum. Hiero II. rex a suis palam agnitus regis tamen nomine in moneta sua constanter abstinuit. Agathocles Siculus regis nomen aperte in numis professus est, at diademate, quod regis est insigne, uti ausus non fuit. Contra in Macedoniae regibus usque ad Alexandrum M. major in efferendo regis nomine reverentia. Ejus ratio ut nobis ignota, ita haud dubie ex varia subjectorum populorum opinione, et ab his metu repetenda. A vero non abhorret, fuisse Philippum in jactando frequentius superbiusque regis titulo circumspectiorem, quod conciliare sibi Graecos huic nomini inimicos volebat, sive ut hos quoque incautiores opprimeret, sive ut sibi bellum in Persas meditanti promptius servirent. At captum semel ab Alexandro titulum Aridaeus, qui in fratris jura omnia successit, nulla invidia retinuit, etsi, ut diximus, fratris exemplo non semper in numis addidit.

Secundum has conjecturas, de quibus eruditi, ut lubet, judicabunt, alios hoc loco numos Philippo II. non dabo, nisi

Digitized by Google

qui illi ex certis indiciis sunt tribuendi. Cui secus visum fuerit, numos reliquos Philippi nomine notatos ex Philippi Aridaei moneta capiat.

Numi Philippi II. aurei.

Caput Apollinis laur. Σ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Figura in citis bigis d. porrecta scuticam tenet, in arca serpens, vel fulmen, diota, galea, apis, tridens etc.* AV. III. AR. II. (Mus. Caes.)

Ex aureis Philippi hi maxime obvii, argentei similes rari. Ingens eorum numerus dubitare non sinit, Philippo II. tribuendos, et esse eos ipsos, quos fuisse appellatos *Philippos* supra diximus. Huc accedit insignis auctoritas Plutarchi haec docentis [c]: Φιλιππος τας ἐν Ολυμπια νικας των ἁρματων ἐνεχαραττε τοις νομισμασιν, *Philippus victorias in Olympicis curru relatas numis insculpsit.* Quo die natus Alexander, eodem Philippus pater nuncium accepit victoriae certaminis Olympici, ad quod quadrigarum currus miserat, ut narrant Justinus [d], et Plutarchus [e]. Frustra igitur sunt, qui citas aversae bigas ad victoriam Phocensem referunt.

Fuere, qui hos numos esse Philippi Aridaei censerent, quoniam caput anticae propter juventutis modum magis huic, quam patri competit. Verum non reflexere animum, Philippum quoque secundum annos natum fere XXII. regnare coepisse, et nescio, cur eo capite nolint Apollinem agnoscere, praecipue cum videamus, Macedoniae reges plerumque deorum effigies, non suas, nummis intulisse. Perperam nonnullos capilli curti ab Apolline avertunt, cum eum hoc cultu conspiciamus in numis obviis Syracusarum. Istud si apud animum suum reputasset Begerus, necesse non fuerat solicitare Justinum narrantem, Philippo in Methones obsidione oculum dexterum sagitta ejectum, idque factum saltem propter oculum dexterum in dubium vocare propterea, quod hic oculus in his numis illaesus compareat [f]. Quod si daremus etiam, veram in his exhiberi Philippi effigiem, an non credibile, contractum istud oculi vitium ab artificibus dissimulatum potius, quam patefactum?

Exstant etiam id genus aurei frequentes, sed opere barbaro, nimirum a barbaris ad elegantium imitationem efficti, cujus mercis deinceps quoque fiet mentio.

Si quos numos alios aureos voles huic Philippo applicare, eos inter numos Philippi Aridaei quaere.

Numi Philippi II. argentei.

Caput Jovis laur. Σ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Vir pileatus eques lento gressu d. elata.* In aliis: *Vir diadematus eques lento gressu d. oblongum ramum. In utrisque per aream varia monogrammata, et sigilla.* AR. I.

Horum numorum non copia, sed elu-vies. Esse Philippi II., dubitare non sinit typus equitis. In numis praecedentium regum obvii sunt equi, et equites,

c) In Alex. p. m. 666. d) L. XII. 16. e) l. c. f) Th. Br. T. I. p. 238.

Digitized by Google

et quidem etiam pileati, quos adeo typos Philippus noster illis proximus adhuc retinuit. Ex hujus generis numis multi sunt operè nonnihil barbaro, perturbatis etiam et male consutis epigraphes literis; in quibus legas: ΦΛΠΠ. ΦΙΛΠΤ. ΙΛΠΟΤ. ΙΛΙΛ. et similia absurda. Eos verisimile est in montanis Illyrici, et mediterraneis Thraciae urbibus Philippo obnoxiis percussos. Minus commode Froelichius hos numos propter opus rudius Philippo I. tribuendos censet g). In vetustissima Graeciae moneta labor nequaquam rudis est, aut barbarus, qualis apparet in his, de quibus agimus, numis, sed rigidus et ingratus. At sunt alii cum eodem utrinque typo extreme barbari, quos in eorum classem reponimus, qui a vicinis barbaris, quales fuere Daci, secundum monetae Philippeae exemplar signati haud dubie sunt.

Argenteos alios, si quos forte huic Philippo tribuendos putas, ut et aeneos, vide in moneta a me Philippo Aridaeo adjudicata.

ALEXANDER III. MAGNVS.

Regnum a patre omnibus copiis praeclare stabilitum, et exercitum longo bellorum usu ac victoriis illustrem nactus non minus virtute, consilio, felicitate quam temeritate et hostium socordia incredibili eo pervasit, quo vix credibile videatur posse humanam conditionem pertingere. Natus V. C. 398 post annos XX. ad regnum patris morte vacuum vocatus quo minus statim in Persas moveret, Thebanorum et Atheniensium motibus retentus, his in gratiam revocatis, illis urbis excidio multatis, cum modico exercitu in Asiam trajicit, et famigeratis tribus ad Granicum, Issum, Arbela victoriis Persarum imperium, et quidquid a mari Caspio ad Oceanum porrigitur, sive armis, sive nominis terrore sibi subjicit. Redux Babylonem sive intemperantia, sive propinato ab Antipatro veneno extinguitur V. C. 430, die XXVIII. Junii, aetatis anno XXXIII. regni XII. mense VI., cum antea detractum digito annulum Perdiccae, velut ex ducibus dignissimo tradidisset. Alium de anno mortis calculum vide in Corsinii Agonisticis h). Corpus etsi in Ammonis templo condi vivus praecepisset, delatum primum Memphim, subinde a Ptolemaeo Philadelpho Alexandriam reductum amplissimo sepulcro illatum est. Princeps erat omnibus seu naturae, seu fortunae subsidiis ad maxima quaeque destinatus. Praeterquam enim quod ingenium attulit maximarum rerum capax, nobilibus insuper Aristotelis praeceptis ad res cognoscendas, praeclaris patris domi militiaeque exemplis ad eas perficiendas mature est imbutus. Tam praeclaram indolem et instituta incredibilis quidam felicitatis nusquam interruptae cursus evertit denique, cujus infausti partus fuere ambitio supra, quam credi potest, immoderata, qua mortalem genituram erubuit, Jovisque se filium professus est, animus adversum sana consilia obstina-

g) Not. elem. p. 128. h) Diss. III. §. 9.

Digitized by Google

tus, ira praeceps, saepe iis quoque, quos amicissimos habuit, fatalis, mores denique ex Macedonica duritie et frugalitate in Persicam mollitiem luxumque versi, ut adeo et hoc in fortunae beneficiis putari debeat, quod citius ex hac vita migravit, quam, quod evenire pronum fuit, alteram fortunam potuit experiri. Reliquit regnum ut subitis atque inconsultis incrementis tumidum, ita in exitium suapte praeceps, nullo certo designato herede, aut iis, qui heredes natura fuere, seu per aetatem immaturis, seu per imbecillitatem imparibus. Ergo effrenata ducum cupiditas in nobilissimae hereditatis rapinam concitata civilibus deinceps bellis tres orbis partes involvit, Graecorum libertati, cujus tuendae causa arma sumpta, multo magis funestis, quam si Persa incolumis stetisset.

Vxores quatuor habuit, ex quarum binis factus pater, quae cum sufficere non viderentur, concubinas aluit omnino CCCLX., si fides Curtio [i]), et Diodoro [k]).

Vxor I. *Barsine* Artabazi F., ex qua natus HERCVLES, qui evocatus a Polysperchonte, ut repeteret paternum regnum, quod vi Cassander retinuerat, Macedoniam validis copiis invadit, verum ipso, qui evocaverat, Polysperchonte magnis promissis corrupto in convivio interficitur annos natus XVII.

Vxor II. *Roxane* Oxyartae Persae F., mater ALEXANDRI postumi, qui captus a Cassandro cum matre et avia Olympiade Amphipolin in custodiam datus, ejusque ibi jussu veneno sublatus est.

Vxor III. *Parysatis* Occhi F. Vxor IV. *Statira* Darii Codomani F. In uxorum catalogo aliquantum variat Arrianus [l]).

Numi:

Vt certa historicorum fides; sic et numorum superstitum copia regis hujus potentiam ingentes opes complexam depraedicat. Sed enim quo vitio laborant omnes regum numi, pro tanta hujus monetae ubertate exigua varietas, et tenue ad philologiae studia emolumentum. Soli argentei per urbium, in quibus signati fuere, typos et decurtata nomina fastidium levant. Illud in Alexandro singulare, quod non vivi modo, verum et mortui nomine, et quidem multis ab excessu saeculis pecunia signata est, quam quidem separato articulo complectar, praemissa, quae eo vivo lucem vidit.

Numi aurei.

Caput Palladis galeatum. Ꝟ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, vel: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Victoria stans d. lauream, s. tridentem, in area fulmen, serpens, trideus, vel similia, tum et monogrammata, et literae solitariae.* AV. I. et II.

En numos olim staterum Alexandrinorum nomine cognitos, et si numerum spectes, ipsis Philippi aureis viliores.

Pallas nunc primum in Macedoniae regum numis comparet. Ei Alexandrum singulari religione fuisse adfectum, do-

i) L. VI c. 6. k) L. XVII. c. 77. l) L. VII. c. 4.

Digitized by Google

cet Strabo, cum narrat, hunc regem post pugnam ad Granicum ad Minervae templum, quod apud Ilium stetit, profectum, multisque illud donariis auxisse [m]). Factum istud ante dictam pugnam perhibet Diodorus [n]). Et erat Macedoniae regibus causa vetus observandae Minervae, quod ad Herculem et Perseum genus suum retulere, quem utrumque in Palladis fuisse tutela constat. Quare et in regia urbe Pella ab iis aedificatum templum Minervae, cui cognomen Alcidae fuit, et cui a Perseo rege ante pugnam cum Romanis C. hostiis sacrificatum narrat Livius [o]). Ipse vero Alexander, ut in ejus commentariis post mortem repertum, bina ei templa magnis sumptibus exstruenda destinaverat, unum apud Ilium, alterum apud Cyrrhum Macedoniae [p]). Atque cognitus hic Alexandri in Minervam adfectus causa videtur fuisse, cur Craterus in praelio adversus Eumenem tesseram suis dederit Minervam et Alexandrum [q]). Fuere, qui caput in horum numorum antica propositum esse ipsius Alexandri putarunt, quae sententia pridem explosa hodie nonnisi apud illos perfugium reperit, quibus novissimorum artis nostrae magistrorum lucubrationes sunt ignotae. Potius tenendum videtur, non exstare certum Alexandri numum ejus effigie insignem, qui illius adhuc vivi aetate signatus sit, de quo agetur in sequentibus.

Palladis cultui impensiori sociasse alterum Victoriae, binis locis testatur Curtius, quae jam adverterunt eruditum Begerum, nimirum ante praelium ad Issum *Jovem*, *Minervam*, *Victoriamque propitiatum* [r]). Alibi *victimas Minervae ac Victoriae caesas* refert [s]). Addo insigne testimonium aliud ex Athenaeo narrante, in celebri Ptolemaei pompa traductum currum ab elephantis tractum, in quo erat aureum Alexandri signum adsistentibus utrinque Victoria et Pallade [t]). Enimvero cum inde a puero omnium primam duceret laudem bello partam, huic deae cumprimis litandum fuit. At cur eadem Victoria tridentem manu gestet, cum de Victoria ejus regis maritima alicujus momenti non constet, quaesitum. Opinor, nihil aliud perpetuo hoc typo indicari, quam victorias transmarinas ab Alexandro inde a regni aditu primum intentas, deinde quaesitas.

Minuta attributa, monogrammata, vocabulorum initia, quae horum numorum aream insident, explicare atque evolvere, conjecturarum opus est a meo instituto prorsus alienum.

Vtrum cum iisdem utrinque typis exstent numi argentei, quaeri potest. Revera horum unus tertiae formae est in museo Caesareo. Verum cum hic operis sit nonnihil maligni, et satis barbarae epigraphes literae, verisimile videtur, fuisse olim per fraudem auro obductum,

---

m) L. XIII. p. m. 886. n) L. XVII. c. 17. 18. o) L. XLII. c. 51. p) Diodor. L. XVIII. c. 4. q) Plut. in Eumene cap. 6. r) L. IV. c. 13. s) L. VIII. c. 2. t) L. V. p. m. 202.

Digitized by Google

certe reliquis hujus typi numis omnibus aureis hic unus legem dictare non potest.

Complures hujus classis aurei sunt in museo Caesareo operis canore barbari. Hos a finitimis barbaris signatos esse ad imitationem eorum, quos culta Graecia fudit, saepe alias dictum.

Iisdem utrinque typis habemus etiam numos Philippi Aridaei, (ex aliorum sententia Philippi II.) et Antigoni Asiae regis, atque hos item aureos tantum. Generatim in regum numis singula metalla certos suos habuere typos.

Quos numos Plinius *Victoriatos* dicit, et ex Illyrico mercis loco Romam advectos, esse hos ipsos Alexandri M., verisimile est, quo de argumento agam in tractatu de numis consularibus [u]).

* * *

Caput Palladis galeatum. ℞ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Arcus, clava, diota.* AV. IV. (Pembrock. P. II. tab. 51. Mus. Theup.)

Similes huic sunt numi aurei Philippi nomine notati, quos Aridaeo adscribo, suntque minuti, nonnisi grana 33. adpendentes. Rarissimi sunt numi Alexandri aurei, in quorum aversa alius est typus quam Victoriae. Praesens numus Palladis et Herculis cultum profitetur, qui fuere amica Alexandri numina.

Numi argentei.

Caput imberbe leonis exuviis tectum. ℞ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. vel: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. aquilam, s. hastam, in area varia attributa, monogrammata, vocum principia, notae numerales, magistratus.* AR. I. III.

Longum horum numorum agmen, et fere unicus typus saltem in coaevis ex argento regis hujus numis, quemadmodum aurei, ut vidimus, fere tantum hinc caput Palladis, inde Victoriam exhibent. Et placuit idem typus nonnullis quoque posteriorum regum, ut Philippo Aridaeo, Demetrio, Lysimacho, etiam exterorum, ut Seleuco I., ejusque filio Antiocho I., quin et Mithridati Pontico [x]), Areo Spartano, et Audoleonti Paeoni, quod fecere sive ex adfectu adversus tantum regem, sive quod ejus vellent etiam in monetae modo esse imitatores. Magistratus in nonnullis adduntur, sic: ΕΥΘΥΔΑΜΑΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ. ΑΘΕΝΙΚΩΝ. ΑΙΝΗΤΩΡ. ΙΑΣΩΝ. etc., cujus exempla suppeditant etiam argentei Lysimachi. Quantus eorum sit numerus, argumento esto, quod in uno museo Caesareo id genus numi exstant septuaginta plures, et diversi omnes, quamque fuerint olim per omnes late terras, et intimos etiam Asiae recessus sparsi, inde patet, quod teste Pellerinio eorum plures ex Pondichery in Galliam sunt deportati [y]). Artis elegantia jam et veteribus probata fuit, nam eos Zeno apud Diogenem Laertium vocavit εὐσφθαλμους και περιγεγραμμενους, *pulchros aspectu et nitide circumscriptos*, et rudioribus Atti-

u) Cap. III. §. 3. x) Pellerin. Mel. I. pag. 104. y) Mel. I. pag. 147.

Digitized by Google

cis opponit [z]). Sintne hujus generis aurei quoque, jure potest dubitari. Ex hoc metallo unus est in museo Pembrock [a]), de cujus fide non disputo. Aeneos aliquot vidi genuinos, sed eos olim argentea bractea fuisse vestitos licet suspicari.

Illustris haec numorum Alexandri classis non pauca offert animadversione digna, quae juvat in plures articulos dispescere. Animadvertendi I. typi, II. urbes, id quibus hi numi signati, III. notae arithmeticae, IV. numi similes barbari.

I. Typi:

Antica, ut dixi, caput imberbe leonis rictu opertum exhibet. Eo alii Herculem, alii Alexandrum ipsum cultu Herculis propositum contendunt. Posteriori sententiae adhaesit etiam Pellerinius, sed parum validis eam argumentis stabilivit [b]). Nequaquam magnae molis eam penitus evertere, et confidenter adserere, indubitatam esse Herculis effigiem. Etenim, ut praeclare jam advertit Neumannus noster [c]), caput eodem cultu, quin et eadem plane oris lineamenta offerunt numi regum, qui praecessere, puto: Amyntae II. et Perdiccae III. Quid quod idem omnino vultus est in tetradrachmis inscriptis nomine ΦΙΛΙΠΠΟΥ, quae ipse Pellerinius patri Philippo censet tribuenda. Ergo ut eadem gens, sic et facies, licet aetate dispari, fuit avo, patri, ac filio? Huc accedit, quod non modo in his regum numis, sed et in numis urbium Macedoniae, Amphipolis, Philipporum, Pydnae, ad haec in numis urbium extra Macedoniam sitarum, ceu Coorum, Leucadis quin et remotissimarum Gadium simillima occurrunt capita. An et in his non Herculem, sed Alexandrum nobis fingemus? Quare si in his numis caput leone tectum dicendum est Alexandri, neque in aliis inficiandus erit aut Amyntas, aut Perdiccas, aut Philippus. Aut si in his, quod volunt adversarii, agnoscendus Hercules stirpis per Caranum auctor, idem etiam agnoscendus erit propter eandem causam in numis Alexandri. Nolim mihi opponi numos aeneos, Caracallae, ut infra statuam, aetate signatos, in quorum nonnullis certum Alexandri caput rictu leonis obtegitur, nam in his, ut videbimus, certa etiam habemus ejus regis lineamenta. Non dissimulo testimonium Constantini Porphyrogenetae [d]), *quare*, ait: *loco diadematis, vel coronae, vel purpurae regiae leonis exuviis caput amiciunt, easque coronae, vel ornamenti loco habent, et omni gemma pretiosiores putant*, και μαρτυς ἀξιοπιστος, addit, ἀυτο το νομισμα τυ Μακεδονος Αλεξανδρυ τοιαυτῃ εἰκονι καλλωπιζομενον, *et certum ejus argumentum est ipse numus Alexandri Macedonis simili imagine insignitus.* Si vir bonus hoc Alexandri numo intellexit aeneos sub Caracalla cusos, de quibus infra, non repugno; in argenteos, de quibus hic sermo, communem certe cum Spanhemio, Pellerinio, aliisque

z) L. VII. c. 1. §. 19. a) P. I. tab. 2. b) Rois. p. 59. c) Num. pop. p. 156. d) De Them. L. II. them. 2.

Digitized by Google

errorem errat. Mihi indubitatum videtur, in numis synchronis et Philippi, et Alexandri M. non horum effigies, sed suorum numinum haberi, atque istud tanto certius in Alexandro, qui teste Horatio e):

Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellem Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera Fortis Alexandri vultum simulantia.

Idem edictum prodidit Apulejus f).

Ex eadem causa, ex qua Herculem numis intulit, nempe ut hujus sese ἀπογονον profiteretur, signavit in aversa Jovem, nam per heroem Perseum ipsum etiam superum regem in majoribus numeravit, de quo vide, quae infra in moneta Philippi V. monebo. Juppiter hic Nicephorus haud dubie est Bottiaeus ille, seu cultus in Bottiaea Macedoniae regione, in qua sita Pella, cujus honori Alexander aram etiam statuit apud Orontem, ubi deinde condita Antiochia, cujus etiam numi ex eadem causa eundem saepe Jovem Nicephorum sistunt. Ceterum Alexandri adfectum in utrumque hoc numen comprobat, quod is victis trans Istrum Getis Διι Σωτηρι, και Ηρακλει sacra fecit g), item quod in Asiam appulsus mox constituit aras Διος Αποβατηριω, και Αθηνας, και Ηρακλεους h).

II. Vrbes, in quibus hi numi signati.

In hoc argumento post infelices aliorum conatus, quos inter nominandus Panelius i), praeclare versatus est insignis Pellerinius k). Coeptam ab eo telam prosecutus novis subinde accessionibus et animadversionibus auxi l), quos modo Pellerinii meosque conatus in compendium contractos lectori ob oculos sisto.

Id genus numi in parte aversa praeter typum principem, intelligo, Jovem aetophorum, varia minuta sigilla offerunt. Horum non pauci typos singulares, et nonnisi certis urbibus proprios offerunt, ut adeo dubitari non possit, in his, eos urbibus, quarum praeferunt insignia, fuisse cusos, praecipue cum non raro juxta ipsarum urbium literae ἀρχαιωσαι una, duae, tres, quin et quatuor adstituantur. At sunt in horum numero plurimi alii, qui, quod literas solitarias et monogrammata vaga, aut typos pluribus communes urbibus offerunt, non perinde possunt figi. His omissis eas solum urbes aut populos in subjecto catalogo complectar, quarum certa aut verisimilia insignia his Alexandri numis continentur.

* * *

ACE Palaestinae. Hanc indicant literae עק Phoenicio charactere exaratae in AV. et AR. m) Vterque numus tam aureus, quam argenteus est etiam in museo Caesareo.

ACHAIA. Huc referri posset numus Goltzianus, in quo monogramma AX in Achaeorum numis obviam. At cum idem

e) L. II. ep. I. v. 239. f) In Florid. sub init. g) Arrian. Exp. Alex. L. I. pag. 11. h) Ibid. L. I. p. 24. i) Remarq. sur les. prem. vers. des Maccab. k) Rois p. 13. Mel. I. p. 109. l) Num. vet. p. 70. m) Barthelemy Lettre aux aut. du journ. des Savans. Pellerin Rois. p. 12.

Digitized by Google

in aliarum quoque urbium numis occurrat, conjecturam dubiam facit.

ALEXANDRIA TROAS. Equus pascens, typus hujus urbis solitus. Si numus hic vere huc pertinet, necesse est cusum fuisse, cum urbs adhuc Sigiae nomen obtineret, nisi forte, quod existimant aliqui, id genus numi mortuo etiam Alexandro signati sunt. Numum edidi ex museo M. Ducis in meis Numis vet.

ANTIOCHIA Syriae. Huic Pellerinius tribuit numos typo lyrae, rami, caducei [n]). At sunt hi typi nimium vagi.

APAMEA Syriae. Ambigui quoque sunt numi, quos Pellerinius propter cornucopiae et thyrsum huc vocat [o]).

ARADVS insula. In hac certe signati sunt numi, qui literas AP. in monogrammate, et juxta palmam exhibent, quos sistit Pellerinius [p]). Minus tuto huc pertinent, qui tantum apim, vel acrostolium offerunt.

ASCALON Palaestinae. AΣ scriptum in area numos ei similes vindicat. Ea urbs binis his literis plerosque suos numos inscripsit. Sunt apud Pellerinium [q]), et Pembrock. [r]).

CEA Cycladum una. Lupus dimidius [s]). Idem typus in ejus autonomis, quanquam cum idem sit quoque in numis Argorum, et Epidauri, judicium sit dubium.

CHIVS insula. Sphinx diotae insidens [t]). Typus in ejus, et tantum unius moneta tritus. Adduntur varia magistratuum nomina [u]).

CLAZOMENAE Ioniae. Aries, aut aper alatus [x]). Vtrumque animal offerunt numi ejus autonomi.

COLOPHON Ioniae. Lyra addito KOΛO. Numus eximius, quem edidi ex museo Caesareo in meis Num vet.

CORINTHVS Achaiae. Pegasus volans addito KO. Numus est Goltzianus, qui si vere exstat, Corintho adimi nequit.

COS insula. Forte huc pertinet numus musei Caesarei, in quo scriptum lege KOI., ut conjeci in meis Numis vet.

CYME Aeolidis. Vas monotum ejus formae, quae tantum in numis hujus urbis comparet [y]).

DARDANVS Troadis. Gallus, qui etiam est in ejus autonomis [z]), quanquam et Carystii Euboeae eodem typo usi fuerint.

EPHESVS Ioniae. Apis ejus typus obvius [a]). Sed Aradus litem movet eodem quoque typo usa.

ERYTHRAE Ioniae. Clava, arcus pharetrae junctus addito EPT. [b]) Haec eadem omnia habentur in autonomis. Fuere etiam aliae Erythrae Boeotiae, at verisimile, hunc numum ad Ionias potius referendum, quia pleraeque Ioniae urbes similes Alexandro numos dedicavere.

---

n) Mel. I. p. 127. o) Ibid. pag. 129. p) Ibid. pag. 125. 126. q) Mel. I. pag. 115. r) P. II. tab. 53. s) Pellerin. Mel. I. p. 132. t) Pellerin. Mel. I. pag. 111. u) Mus. Duane. x) Pellerin. Mel. I. p. 112. 132. y) Pellerin. Rois. pag. 13. Mel. I. pag. 131. z) Pellerin. Mel. I. p. 132. a) Pellerin. Mel. I. p. 126. b) Pellerin. Mel. I. p. 111.

Digitized by Google

EVBOEA. Caput bovis, et ET. in Goltziano. Eadem sunt in autonomis.

LAMPSACVS Mysiae. Equus marinus [c]). Idem typus regnat in autonomis. Praestantiorem alium edidi ex Mediceo, in quo praeter equum marinum lampas ardens, et Λ. Teste Mela *Lampsacus Phocaeis appellantibus nomen ex eo traxit, quod consulentibus, in quassam terras potissimum tenderent, responsum erat, ubi primum fulsisset, ibi sedem capesserent.* Ergo huc etiam refero copiosos alios, qui lampadem ardentem addito Λ offerunt, sed in his Pellerinius Amphipolim Macedoniae mavult [d]). Quin et testatur Cl. Cousineryus datis ad me literis, tetradrachmos similes, in quorum area est lampas, frequenter reperiri in Macedonia.

LAODICEA Syriae. Huc Pellerinium invitant scorpius et noctua [e]).

LEVCAS Acarnaniae. Acrostolium et ΛΕΤ. in Goltziano.

MAGNESIA Ioniae. Flexus Maeandri, et MA. [f]) In alio, iidem flexus, et caput equi [g]).

METHYMNA Lesbi. Lyra et ME. In alio: Arion delphino vectus [h]). Sunt hi typi in autonomis quoque.

MILETVS Ioniae. Leo retorto collo astro intentus addito monogrammate MI. [i])

MYLASA Cariae. Tridens, et MT. in monogrammate [k]).

MYRINA Aeolidis. Diota adstituto MTP. in monogrammate, aut literis solutis MTPI. [l]).

PELLA Macedoniae. Pallas d. hastam intorquet, s. fulmen. Numum huc vocat Neumannus, quia hoc habitu Pallas in Macedonia et Thessalia celebris exstitit [m]).

PRIAPVS Mysiae. Priapus Herma [n]), quanquam et Lampsaco tribui posset, quae prae Priapo hujus deastri cultu infamis fuit, ut dixi in meis Numis vet. p. 76.

PRIENE Ioniae. Tridens, et ΠΡΙ. ΒΙ., quem edidi ex museo Caesareo additis animadversionibus, quas vide in meis Num. vet. p. 76.

RHODVS insula. Balaustium additis PO. et variis magistratuum nominibus [o]).

SELEVCIA Pieriae. Similem numum propter fulmen huc refert Pellerinius [p]). Incertum.

SMYRNA Ioniae. Bos turgente gibbo Pellerinio judicium sufficit [q]), verum hic typus pluribus Asiae urbibus placuit. Certius est in museo Pembrock [r]), in quo solitum Smyrnae monogramma.

TARSVS Ciliciae. Caput juvenile tectum galea in rostrum desinente. Numum edidi ex museo Caesareo, eumque nonnullis conjecturis, quas fuse olim exposui [s]), Tarsum traduxi.

---

c) Pellerin. Mel. I. p. 132. d) Rois. p 14. e) Mel. I. p. 128. f) Pellerin. Mel. I. p. 121. g) Num. vet. p. 75. h) Pellerin. Mel. p. 113. i) Pellerin. l. c. k) Pellerin. ibid. p. 14. l) Pellerin. l. c. pag. 130. m) Pop. et urb. pag. 150. n) Pellerin. Mel. I. pag. 132. Goltz. o) Pellerin. Mel. I. p. 111. Goltz. p) Mel. I. pag. 129. q) Mel. I. pag. 112. r) P. III. tab. 53. n. 67. s) Num. vet. pag. 76.

Digitized by Google

TENEDVS insula. Mus. Similem edidi ex museo M. Ducis. Apud Tenedum cultus Apollo Sminthius, sic dictus a muribus, ut olim post alios praecepi [t]). In alio: Securis bifida [u]). Typus obvius in ejus insulae moneta.

TEOS Ioniae. Diota addito THI. Hunc certum ejus urbis numum edidi ex Caesareo [x]). Minus certus alter, quem Pellerinius propter typum gryphi huc adigit; nam is quoque in Abderae, Phocaeae, Assi, et Smyrnae moneta reperitur.

Omitto attributa alia, qualia sunt, *lunula*, *botrus*, *caduceus*, *corona*, *aratrum*, *tridens*, *galea*, et monogrammata varia, quae, quoniam cum multis urbibus fuere communia, signa sunt fallacia, nisi cum literae urbis ἀρχαιστοι suppetias veniunt, ut in nonnullis hic descriptis vidimus.

Animadversiones.

Restituo eas ipsas, quas in eodem argumento olim proposui [y]).

Hujus generis numum certae fidei in Graecia Europaea, aut ad eam adnumerata insula signatum fuisse, hactenus non constat. Ajebam, certae fidei; nam quos supra recensui, Corinthi, Euboeae, Leucadis, ii harum et literas ἀρχαιστας, et propria symbola rite praeferunt, eos tamen in nullo museo, praeterquam Golsiano, reperire licuit, cui tantum non tribuo, ut ejus unius praeconio definiri quidquam posse existimem. Dixi insuper: non constare certo. Nam etsi dubium non sit, complures in Macedonia cusos, et ad horum exemplum reliquos in urbibus Asiaticis signatos, nullum tamen vidi hactenus, quem ex certis indiciis in Macedonia percussum adserere possim. De iis tantum loquor, qui caput Herculis in una, et Jovem sedentem in altera parte exhibent, et argentei sunt. Juvat hoc loco in vulgus docere, quod me laudatus supra Cousineryus multorum in Macedonia annorum hospes, et longa adeo experientia edoctus per literas monuit, Alexandri tetradrachma, quae in Macedonia effodiuntur, crassioris esse metalli, et operis minus elegantis, at quae ex variis causis in Asia minore cusa constat, eorum ampliores esse orbiculos, et operis, quod Gratiae suum esse vellent.

Ii, de quorum natali solo constat, signati sunt in urbibus inde a Propontide legendo litus Asiae minoris, Palaestinae, forte et Syriae, comprehensis insuper aliquot adjacentibus insulis, et in urbibus quidem aut maritimis, aut a mari exiguo intervallo remotis. Earum, quae Euxino adjacent, nullus compertus, et generatim, quae Ponti, Bithyniae, et Pergami regibus paruere, uti neque urbium magis mediterranearum, quantumlibet illustrium, quales fuere Sardes, Tralles, Laodicea, et Apamea Phrygiae. In ora Asiae minoris inde ab Rhodo usque ad Tarsum id genus numi ignoti. Sed nulla regio prae Ionia Alexandri observantior, nam omnium ejus urbium, quarum habemus monetam,

t) Num. vet. p. 81. u) Dutens Explic. p. 104. x) Num. vet. p. 82. y) Num. vet. p. 83.

Digitized by Google

numi hujus regis imagine insignes detecti sunt, si Ephesum, et Phocaeam demas, quarum numismata Alexandrina dubia videri possint, et Lebedum, sed quae a Lysimacho diruta fuit [z]). Sane totum illud Asiae litus plurimis Alexandro beneficiis fuit obstrictum; frequentabatur enim coloniis Graecis, quae cum finitimis Persis bello fere semper sunt collisae, atque hae solae in causa fuere, cur bis a Persis transmisso exercitu in Europa sit belligeratum. Et cum Ionibus quidem vetus simultas, qui saepe unitis viribus Lydiam adflixerunt. Quare eae nationes, et Iones cumprimis Alexandrum tanquam servatorem suum dei instar venerabantur, et narrat Strabo [a]), supra Clazomenios esse lucum Alexandro dicatum, et ludos indici communitati Ionum, qui *Alexandrea* vocantur. Expensus hic Strabonis locus facit, ut credam, hos Alexandri numos a civitatibus Ioniae velut symbolam collatos, ut necessariis ad ea ludorum solennia sumptibus servirent. Quod tamen minime obest, quo minus in mutui commercii usum venire potuerint, nam aequati pondere et forma monetae Macedoniae, quae tum communis erat, eundem quoque valorem et fidem obtinebant.

Eodem exemplo et aenei extra Macedoniam signati sunt, quod docent aenei cum epigraphe Phoenicia, de quibus infra.

III. Notae arithmeticae.

Praeter memorata sigilla in his Alexandri numis obversantur etiam literae variae, una pluresve, quarum alias indicare urbem, in qua cusae sunt, modo dixeram. Verum sunt aliae sic conjunctae, ut arithmeticarum intuentibus speciem offerant. Tales sunt in numis Ascalonis literae: IA. IB. IΣ. K. KΓ. KE. KH., quos citat Pellerinius [b]), et museum Pembrock. [c]). In numis Magnesiae KΓ. [d]). In aliis habentur literae ΔΛ. ΛΘ. et BΣ [e]).

De similibus literis disserens Panelius in dissertatione, cui titulus: *Remarques sur les premiers versets du I. livre des Maccabées*, cum non dubitaret, iis veros regni annos indicari, ac praeterea vivo Alexandro omnes hos numos signatos, vi numi literis ΔΛ notati veritus non est adserere, Alexandrum nequaquam annos XII., quod plerisque visum historicis, sed saltem annos XXXIV. imperando exegisse. At jam praeluserat viro erudito Harduinus, qui ex ejusdem generis literis triginta annos regnantis Alexandri confidenter collegit [f]), etsi quod facile fuit viro varii ingenii, aliter rursum sentiat in chronologia veteris testamenti [g]). Panelii sententiam dum solidis argumentis impugnat Pellerinius [h]), sic de his literis opinatur: eas esse revera arithmeticas, sic tamen ut habeant naturam epochae ductae ab initio regni

---

z) Pausan. in Attic. a) L. XIV. pag. 644. b) Mel. I. pag. 116. c) P. II. tab. 53. d) Pellerin. Mel. I. tab. II. n. 9. e) Pellerin. Rois. pag. 19. Mus. Lefroyan pag. 158. f) Ad Plinii T. I. p. 673. g) pag. 575. h) Mel. I. p. 115, et Rois p. 18.

Digitized by Google

Alexandri, et continuatae etiam tum, postquam in vivis esse desiit. Satis enim constare divinos ei honores habitos, ejusque memoriam aris, templis, et ludorum solemnibus celebratam, in quorum sumptus hanc pecuniam feriri, et conferri solitam, atque hunc morem diu durasse, ut liquet ex numo, qui annum BΣ, seu CCII. offert.

In hoc dissidio mediam lubet inire viam, sic ut utriusque sententiae partem existimem tenendam, partem minus verisimilem. Facile mihi cum Pellerinio convenit, arithmeticis his notis non indicari annos regni Alexandri. At eo nequaquam mihi cum viro erudito convenit, quod eas certum statuit esse epochae iudicium, numosque hos adeo post regis nostri excessum signatos. Tot habemus in variarum urbium numis sparsas per aream literas, quae ut arithmeticae esse possunt, tamen, quod constat, epochae annos non notant. Exemplo sunt numi Cyrrhi, aliique ejus tractus, in quibus pleramque notae solitariae arithmeticae observantur, quin tamen ad epocham exigi possint, atque ut luculentiore exemplo utar, in numis Aradi passim cognitis, tam argenteis, quam aeneis praeter certos epochae numeros observantur alii ΘC. ΠC. CN. ΦΣ etc. quos hactenus certe constat, ab epocha deduci non posse, et aliud nobis hactenus incompertum indicare, forte quid adfine notis LXI. CXX. CCCVIII. etc., quales obvii sunt in numis consularibus. Quod vero plurimum persuadet, hos numeros ab epochae juribus arcendos, est, quod in iis comparent cum modici H, IA, IZ, tum aucti, ut BΣ. Nequaquam verisimile, aut institutum istud feriundae in Alexandri memoriam monetae in ea Graecorum levitate, et rerum apud eos conversione tot annos durasse, aut duorum omnino saeculorum intervallo in his numis fabricae modum (nam simillimi omnes sunt operis) et literarum formam nullas vices passam, quam constantiam nulla numorum series intra tot annorum spatium potest jactare. Accedit denique, quod similes notae arithmeticae, ut ΛΓ, leguntur etiam in numo ejus generis apud Magnesiam Ioniae signato, quem recitat Pellerinius [i]), nullo alio hactenus exemplo, urbem Ionicam epochae annum monetae suae inscripsisse dempta forte Epheso in suis cistophoris.

Ergo cum nulla nobis lex imponatur statuendi, id genus numos ultra Alexandri mortem porrigendi, malim eorum natales ipsis ejus regni annis finire, eosque ad exemplar eorum, quales in Macedonia prodiverunt, in urbibus Asiae, quae omnes ejus imperio paruerunt, perousos opinari.

IV. Numi similes barbari.

Paucis me expedio. Vt in numos patria Philippi, et ipsos etiam aureos Alexandri barbarorum artem involasse diximus, ita similem fortunam argentei hi regis nostri numi sunt experti, quorum multi extremam barbariem redolent. Non satis ad haec animum advertit Pelleri-

i) Mel. I. p. 121.

Digitized by Google

nius, quando ejus farris unum propter literarum adfinitatem Thessalonicae vel Thespiis signatum est suspicatus [k]). Alii habentur, in quibus eadem artis perfectio, at epigraphes literae seu barbarae, seu, ut mitius loquar, Graecae peregrinis mixtae, cujus generis duplex exemplar proposuit Pellerinius [l]). Eos existimo in Pamphylia, aut vicino tractu cusos, quibus in terris non quidem fuisse artis, sed linguae Graecae corruptelam, patebit ex iis, quae ad numos Aspendi et Selges disseremus.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ɪ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Hinc aquila cum sceptro transverso, illinc clava erecta, et juxta tria mala, omnia intra coronam, cujus media pars proxima aquilae est laurea, media altera juxta clavam querna.* AR. I. (Mus. Caes.)

Thema perelegantis hujus numi, ut praecedentes argentei, in Jovis et Herculis cultu occupatur. Jovis est aquila et sceptrum summi imperii insigne, Herculis clava et mala Hesperidum. Vt attributa, sic et corona in utrumque numen divisa. Jovi competere lauream, notum. Eidem ut sacra quoque quercus, sic tamen et Herculi. Sane in numis inscriptis ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΗΣ, tum et Sardium obviis aeneis Herculis clavam corona quoque querna ambit. Sacra vero et illi quercus, quod sub hac exustus flammis, positoque, quod hominis erat, deum induit, ut ait Callimachus: ὑπο δρυῖ γυια θεωθεις [m]), ac propterea insignem aram musei Capitolini, quae dedicata est *Herculi Victori*, praeter alia attributa exornat corona querna [n]).

* * *

Caput Herculis imberbe in leonis exuviis. Ɪ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Arcus et clava.* AR. IV. (Mus. com. Vitzai.)

Similis argumenti numos in aeneis continuo videbimus.

Numi aenei.

Hi quoque per copiam viles, exigua varietate. Ex his multi ambigui, et varia eruditorum judicia experti. Neque enim omnes, qui ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ inscribuntur, necessario sunt Alexandri M., nam et Alexander IV. Cassandri F. in Macedonia regnavit, ut dicetur. Enumerabo hoc loco omnes, cum eos, qui per certas causas possunt Alexandro M. tribui, tum eos, quos eruditi alii huic ipsi, alii alteri cuipiam Macedoniae regi amant largiri, sic ut eos commemorasse contentus liberum in re incerta judicandi locum cuivis relictum velim.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ɪ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, rarius: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Clava, arcus, pharetra, tum per aream varia minuta sigilla, et monogramma* ΑΡ, *aut similia.* AE. III. (Mus. Caes.)

---

k) Suppl. pag. 11. l) Rois tab. II. n. 4. 6. m) in Dian. v. 159. n) Mus. Cap. T. IV. tab. 61.

Digitized by Google

Hercules tritum in Alexandri numis argumentum. Similes numos in Macedonia fuisse cusos, dubium non est, sed non sola. Vulgavit Pellerinius horum similem, sed qui solito nomini ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Phoenicias quoque literas conjungit, quales apparent etiam in ejus aureis et argenteis, ut diximus. Qui numus insignis docet primum, aeneos quoque in urbibus externis ad exemplar Macedonicum fuisse signatos, deinde, omnes id genus numos ad Alexandrum M. jure referri, quia alteri cuidam ejusdem nominis Macedoniae regi in Phoeniciam juris nihil fuit. S. Chrysostomus in Catechesi II. ad illuminandos, quae est Tomo II. p. 243, invehitur in eos, qui per superstitionem aenea Alexandri M. numismata capitibus et pedibus illigant. Si numi similes etiam in Phoenicia et Syria signati sunt, erant in vulgus parabiles.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ☧ ΑΛΕΞΑΝΔΡ$_{\upsilon}$, vel BA. ΑΛΕΞΑΝΔΡ$_{\upsilon}$. *Clava, arcus, pharetra.* AE. III. (Wilde Sel. num. tab. III.)

Eadem fabrica, et iidem typi, quales in praecedentibus, numos hos eidem Alexandro tribuendos docent. At tum mirabor, jam Alexandri aetate valuisse υ pro ΟΥ, quae sigla tertio demum, quod sciam, post Christum saeculo coepit usurpari, ut patet ex numis imperatoriis Moesiae et Thraciae. Jure adeo quaeritur, utrum recte viderit Wildius, qui hosce edidit. Mihi videre similem non contigit. Vide simile compendium paullo infra in numis Alexandri ab hujus morte signatis.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ☧ BA. *Clava, arcus, pharetra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Cum id genus numi, quorum tres sunt in museo Caesareo, dempto epigraphes modo praecedentibus prorsus sint similes, dubitari vix potest, et hos esse Alexandri M., et divisa utraque litera legendum Βασιλεως Αλεξανδρυ. Huic geminum edidit Wildius, nisi quod epigraphen conficit solum BAΣI. °). Vereor, ne reliqua epigraphe auctoris oculum fugerit; nam vix credam, genericum tantum regis nomen in numo propositum omisso proprio.

* * *

Commemorandi denique numi alii regum Macedoniae.

Caput Palladis. ☧ BA. *Prora navis addito saepe monogrammate* AP., *bipenni etc.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Medusae inter clypeos Macedonicos ☧ BA. *Galea dependente utrinque crista.* AE. III. (Haym. T. II. tab. 2. Pellerin Additions.)

Fulmen inter clypeos Macedonicos ☧BA. *Similis galea.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile leonis exuviis tectum. ☧ BA. *Eques lento gressu, infra monogramma.* AE. III. (Mus. Caes.)

°) Tab. III. num. 17.

Digitized by Google

Omnes id genus numos hoc loco collectos proposui, ut de iis omisso meo judicio arbitrari lector pro libitu possit. Literas BA. in proxime praecedentibus verisimiliter significare Βασιλεως Αλεξανδρου mox vidimus. Vtrum literae BA. significent idem in numis praesentibus, sintque hi aut Alexandri M., aut Alexandri IV., an non potius Antipatri, vel Antigoni, examen est, nonnisi in conjecturas inutiles abiturum. Existimat Neumannus, tribui eos posse Antigono Dosoni, ne hic princeps, qui decennio Macedoniae praefuit, suis fraudetur numis, quando non suppetunt alii, quos illi jure tribuamus. Illud certissimum, nullam numorum classem tot habere ambigua, quot habet ea, quae regum est.

Numi Alexandri M. ab ejus morte signati.

Argenteos plures a Pellerinio propter adstitutas notas arithmeticas in hanc classem exigua veri specie repositos supra indicavimus. At sunt plures alii, quos certis indiciis ab ejus morte signatos potest evinci, alii, quos indiciis verisimilibus eodem referendos censeo. Sunt vero:

Caput Alexandri diadematum cum cornu arietis. Ϟ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Leo gradiens.* AR. IV. (Haym. T. II. pag. 13. item Catalogue raisonné pag. 2. quanquam in hoc posteriore abest cornu.)

Caput Alexandri nudum sursum spectans. Ϟ ΑΛΕΖΑΝΔΡυ. *Cupido in leone eques.* AR. (Schläger de numo Alexandri M.)

Numos hos operis, ut inter omnes convenit, elegantissimi Alexandro coaevos non existimo, cum quod ejus certam effigiem offerunt, quam in certis coaevis non observamus, tum quod pondere a solita ejus aetatis moneta multum differunt; nam nonnisi grana XX. aut XIII. perhibentur adpendere. Horum alter per literarum formam Z pro Ξ u pro ΟΥ Alexandri aetate sane indignus, etsi binos aeneos cum sigla u prodat Wildius, sed quam lectionem jure in dubium revoco, ut supra diximus. Vidi Romae in museo Christinae aureum his similem, et nitidissimae item fabricae, sed quem continuo, quod ponderis et laminae exilis est, et literarum forma recentioris aevi, ab Alexandri aetate removendum suspicabar. Parum ergo feliciter Schlägerus numum suum esse Alexandro ipsi synchronum edixit, sic ut etiam conjicere non vereatur, ejus matricem esse a Pyrgotele elaboratam p). Enimvero operis elegantia non semper amicam artibus aetatem probat, cum habeamus aureos Postumi, Victorini, Tetrici summae elegantiae. Neque felicius comprobare est adnisus, posse Alexandri aevo competere scriptum Z pro Ξ, et compendium u pro ΟΥ q). Sed jam typos persequamur.

Prior numus exhibet caput diadematum et arietis cornu conspicuum. Diadema obvium est in sequentibus aeneis.

p) l. c. pag. 2. q) l. c. pag. 59.

Digitized by Google

Cornu arietis vix in alio certo monumento adstituitur. Hujus causam expedit Clemens Alexandrinus [r]): *Volebat autem*, ait, *et Alexander Ammonis filius videri, et corniger a sculptoribus fingi;* verum teste Zonara [s]) tantum inter barbaros divinum suum genus est professus, non item inter Graecos. Corruptos ab eo Ammonis sacerdotes, ut Jovis se filium proclamarent, testantur omnes, qui ejus res gestas memoriae prodiderunt. Narrat vero etiam Athenaeus [t]), revera eum nonnumquam gestare solitum et vestem Ammonis purpuream, et cornua tanquam deum. At enim is, qui sese hominem negavit, quam fuit alienus a patris Philippi modestia, qui his se verbis admoneri quotidie a puero voluit: Φιλιππε, ἀνθρωπος εἰ, *Philippe, homo es!* [u]) Etiam passos et horrentes crines sistit citatus Schlägerianus, tum et aenei, quos infra describam, et tales eos fuisse indicat Aelianus [x]): *την μεν γαρ κομην ἀναστενεσθαι ἀυτῳ, arrectam ejus fuisse comam.* Qui ejus formam regis plenius nosse cupiet, legat totum hunc Aeliani locum, et adeat Solinum [y]), et Plutarchum [z]). Denique erecto in coelum vultu fingitur passim in iisdem aeneis. Hoc eum gestu fuisse a Lysippo in aere fictum, docet insigne epigramma Archelai in Analectis Brunckii [a]), cujus etiam posteriorem partem memorat Plutarchus [b]):

Τηλμων Αλεξανδρε και ὁλαν ἀπεμαξατο μορφαν
Λυσιππος. Τιν' ὁδι χαλκος ἐχει δυναμιν;
Ανδασυντι δ' ἐοικεν ὁ χαλκεος ἐς Δια λευσσων·
Γαν ὑπ' ἐμοι τιθεμαι, Ζευ· συ δ'Ολυμπον ἐχε.

Audaciam Alexandri, et totam expressit formam
Lysippus. Quemnam aes istud habet significatum?
Loquenti similis est hic aeneus Jovem suspiciens:
Terram ego mihi subjicio, Juppiter
Tu tibi Olympum habe.

Eodem suspicientis gestu Constantinum quoque Magnum, qui Alexandri similis videri voluit, fuisse in numis effictum, in ejus moneta docebimus.

Leo partis aversae Alexandri ab Hercule originem facile indicat. Eodem consilio et M. Antonius IIIvir leonem monetae suae intulit, quod ab Antone Herculis F. trahere genus videri voluit. Potest etiam leo adludere ad somnium, quo vidit Philippus pater, sese uxoris Olympiadis uterum obsignare annulo, cui insculptus leo [c]), quo de argumento vide plura in citata Schlägeri dissertatione [d]). Is, qui Cupidinis specie leone vehitur videtur esse genius Herculis, noto veteris superstitionis instituto, cuivis numini suum genium, qui alatus semper fingitur, adsignantis. Idem argumentum est in celebri gemma a Protarcho scalpta, quam vide in gemmis a Stoschio editis. Cete-

r) Protrept. pag. 47. s) L. IV. cap. 10. t) L. XII. p. m. 537. u) Aelian. V. H. L. VIII. c. 15. x) V. H. L. XII. cap. 14. y) Cap. 14. z) De Fort. Alex. Orat. II. a) Tom. II. pag. 58. b) de Fort. Alex. Orat. I. c) Plut in Alex. cap. 2. d) pag. 23.

Digitized by Google

rum speciosam magis, quam veram puto Schlägeri explicationem, qui hoc typo Alexandri cum Roxane nuptias celebrari credidit e).

* * *

ΑΛΕΖΑΝΔΡΟΣ, *rarius* ΑΛΕΖΑΝΔΡΟ.

Caput regis diadematum, et coelum suspiciens, vel:

Caput regis diadematum horrentibus capillis, vel:

Caput regis leonis exuviis tectum, vel:

Caput regis galeatum.

Epigraphe aversae: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΝΕΩ. vel ΝΕΩΚ. In aliis: Β. vel ΔΙC. ΝΕΩΚ. vel: ΝΕΩΚΟΡ. In alio apud Patinum, sed ut reor, monetarii lapsu: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Β. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. (Num. impp. p. m. 12.)

Typi:

Duo templa, in quorum medio urna ludorum. (Mus. Caes.)

Cista semiaperta, ex qua serpens emergit. (Panel.)

Alexander eques citato cursu leonem hasta impetit. (Wilde.)

Alexander adsurgentem Bucephalum domans. (Liebe.)

In aliis obviis: *Juppiter aetophorus sedens*, — *Pallas Nicephora sedens*, — — *Leo gradiens*, — *Vir eques citato cursu etc.*

ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Mensa, super qua duae ludorum urnae inscripto:* ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ., *in area annus* ΒΝC. (Spanheim T. I. pag. 382. Patin.)

ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Leo gradiens, superne clava, et annus* ΕΟC. (Hunter T. I. tab. 35.)

ΚΟΙΝ. ΜΑΚΕ. Β. ΝΕΩ. ΒΕΡΑΙΩΝ. *Vir seminudus ad aram sacrificans, juxta mensa, super qua binae ludorum urnae, retro columella, cui imposita urna, in area* ΕΟC. (Pellerin Rois p. 22. Mus. M. Ducis.)

Sunt hi numi omnes AEnei II. formae. Argenteum unus produxit Begerus, eumque praeterea anno ΚΗC notatum f), sed de cujus aut fide, aut lectione jure dubitem. Habes id genus numos apud Gessnerum g), Hunterum h), in museo Caesareo.

Numi hi multis ab Alexandri morte annis, ut inter omnes convenit, sunt signati, at quando, inquirendum. Harduinus annum ΕΟC, qui in numo postremo Berhaeorum legitur, ab anno V. C. 706, nempe pugnae Pharsalicae deducit, quo admisso consequitur, numum signatum V. C. 980 imperante Alexandro Sev. Ex quo arguit Pellerinius i), aliique, etiam reliquos id genus omnes, quos modo recitavi, quoniam fabrica, volumine, typis prorsus conspirant, eodem imperante percussos. Addunt argumenta alia, nimirum numos aliarum urbium Macedoniae cum hujus imperatoris capite simili esse fabrica, ab hoc Alexandrum M. singulari quodam modo, atque instar dei observatum, quod in ejus templo apud Arcam Phoeniciae natus esset, cujusque propterea nomen ipsum

---

e) l. c. pag. 53. f) Thes. Palat. pag. 120. g) in Regg. Maced. h) tab. 34. 35.
i) Rois p. 22, 24.

Digitized by Google

adoptasset. Quae adeo causa fuerit, cur Macedoniae urbes in Alexandri Sev. gratiam veteris sui regis imaginem in numis suis resuscitaverint.

Sed enim non vereor confidenter contra Pellerinium adserere, omnes hos numos non Alexandri Severi, sed Caracallae aevo deberi. Causam praecipuam ab inscriptionis modo repeto. Nam in solis numis Caracallae, inscriptis: ΚΟΙ-ΝΟΝ.ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ additur Β. ΝΕΩ-ΚΟΡΩΝ, perinde ac in his, de quibus agimus; at in numis cum capite Alexandri Sev. nulla amplius neocoratus fit mentio. Non autem verisimile est, monetarios omissuros fuisse ejus mentionem in numis Alexandri Sev., quam studiose addidere in numis cum capite Alexandri M., quos adserunt ejusdem imperatoris aetate signatos. Argumentum, quod Pellerinius pro Alexandro Sev. ex singulari ejus in hunc regem adfectu capit, multo acrius pro Caracalla pugnat, de cujus insano in juvenem Pellaeum amore Dio, Herodianus, Spartianus innumera congessere testimonia. Et Dio quidem perhibet [k]), ab eo Alexandrum M. appellatum fuisse orientalem Augustum, scriptumque aliquando ad senatum, hujus regis animam in sùum corpus subintrasse, quam ob causam nihil erat benevolentiae, quod non Macedonibus propter hunc regem impertiret, dictumque propterea per ludibrium fuisse Φιλαλεξανδροτατον. Narrat Victor, eum corpore Alexandri M. conspecto MAGNVM atque ALEXANDRVM se jussisse compellari, quam MAGNI appellationem confirmant etiam ejus consecrationis numi. Eodem praeterea teste adsentantium fallaciis eo est perductus, ut truci fronte, et ad laevum humerum conversa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens fidem vultus simillimi persuaderet sibi. Et quod cumprimis huc facit, narrat Herodianus, Caracallam, cum in Thraciam Macedonibus conterminam venisset, continuo Alexandrum evasisse, ejusque memoriam omni modo renovasse, statuis et imaginibus per omnes urbes erigi jussis, quas inter refert etiam nonnullas ridicule depictas, quae uno corpore duas facies praeferrent, Alexandri M. et Caracallae [l]). Tum enimvero perspicuum est, eo jubente celebrata apud Philippopolin Thraciae certamina ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ, quae toties in ejus urbis numis Caracallae capite insignibus memorantur, quorum tamen in nullo Alexandri Severi numo fieri mentionem videmus. At Macedonas cognito hoc Caracallae in Alexandrum adfectu libenter arripuisse occasionem aviti regis sui memoriam restituendi, et in aliis numis signasse hujus Augusti caput, in aliis regis, velut unum idemque esset et Caracalla, et Alexander M. Conjectura Pellerinii capta ex concordia fabricae cum numis Alexandri Sev. propterea nihil evincit, quod ea intra quinquennium, quod inter Caracallam et Alexandrum intercessit, ma-

k) L. LXXVII. §. 7, 9. l) in Carac.

Digitized by Google

gnopere variare non poterat, et si typorum concordiam spectamus, a Caracalla rursum stare oportebit, nam Alexander Bucephalum domans, qui saepe in his Alexandri numis proponitur, tantum etiam in Caracallae numis in Macedonia signatis, non alterius imperatoris occurrit.

Ex quo patet, annum ЄΟC in Berhaeae numo, quod arbitrarie constituerat Harduinus, ad aeram Pharsalicam exigi non posse. Froelichius eum cum epocha Pompejana connectit [m]), in qua quidem sententia annus ЄΟC in Caracallae imperium recte incidit, verum non satis rationis reperio, cur Berhaea aeram Pompejanam usurparet. Verisimile est, eam propria epocha ex quacunque causa usam, et forte ducta ab anno V. C. 693, aut uno ex proxime consequentibus, sic ut numus, de quo agimus, signatus sit V. C. 967, quo anno constat Caracallam in Thracia Macedoniae finitima commoratum. Praestat in his incertis non magnopere esse curiosum, nam tum indagandum etiam foret exordium aerae, quam offert annus BNC in horum uno, tum et annus KHC in numo altero, si modo sit genuinus, sed de quo difficile est quid certi statuere.

Ad inscriptionem et typos quod attinet, ipsa literarum in his forma, Z pro Ξ, et ϖ pro OT in parte antica, horum numorum seros natales arguit. Ipse vero Alexander per diadema ut rex, per exuvias leonis ut Herculis abnepos, per galeam ut heros proponitur. Alexandrum nonnunquam gestare pellem leonis, et clavam instar Herculis solitum, tradit Athenaeus [n]). Causam horrentium capillorum et vultus sursum erecti paullo supra exposui.

Occasione ludorum a communi Macedonia obitorum hos fuisse signatos numos, satis evincunt vocabulum KOINON, mentio neocoratus, et ipsorum ludorum ΟΛΥΜΠΙΑ, et qui in ejus regis honorem constituti fuere, ΑΛЄΞΑΝΔΡЄΙΑ.

Alexander cum leone ex equo pugnans, nimirum in memoriam ejus facti, quo leonem solus interemit, ut tradit Curtius [o]), quam deinde pugnam, opus Lysippi, dedicatum Delphis refert Plutarchus [p]).

Rex Bucephalum domans. De singulari hoc equo haec Gellius [q]), et Plinius [r]), fuisse patria Thessalum, emptumque talentis XIII., et sortitum nomen Bucephali sive ab aspectu torvo, sive a signo capitis bovini armo impressi. Commendatur praeclara ejus in herum fides; nam Alexandrum in India in medium hostium agmen inconsultius progressum multis jam confixus telis, et paene exsanguis perrupto globo extulit, et tum demum defectus viribus concidit. Ejus ergo honori rex in iisdem locis urbem Bucephalon condidit. Vide plura de hoc equo testimonia apud Wilde [s]). Certiorem Bucephali effigiem teneremus ex

---

[m]) Not. elem. p. 45. [n]) L. XII. p. m. 537. [o]) L. VIII. c. 1. [p]) in Alex. c. 40. [q]) L. V. c. 2. [r]) L. VIII. §. 64. [s]) Num. sel. p. 12.

Digitized by Google

numo, quem depictum edidit Gesnerus in suis regum Macedoniae numis [t]), in quo infra equitem ipsa vox BOTKE. legitur, cujus similem quoque, et pro genuino agnitum edidit Vallemontius, sed cujus fidem jure impugnavit Baudelotius, quanquam non impune. Vide utriusque acre dissidium in Memor. Trevolt. Maio 1707.

In numo Berhaeae typo duarum urnarum indicatur utrumque certamen supra memoratum, tertia vero urna columellae imposita opinor indicari urnam cinerariam ipsius regis (nam hoc modo hae in veterum monumentis fingi solebant) cujus honoribus hi ludi peragebantur.

* * *

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΜΕΓΑC. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Caput Alexandri M. radiatum*, in numo M. Aurelii. (Vaill.)

* * *

Neque in Macedonia solum honores sibi postumos meruit Alexander, sed et in urbibus Asiae. Exstant numi Nicaeae Bithyniae nomine M. Aurelii et Commodi percussi, in quorum aversa: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ. ΝΙΚΑΙΕΙC. (Vaill. Mus. Christinae.) — In aliis numis, quos in Apolloniae Cariae moneta enumero, legitur ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΚΤΙCΤ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤ., et proponitur *regis caput leonis exuviis tectum*. In numo Segalassi Pisidiae: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC.

Etiam in Contorniatis ejus duravit memoria. Horum bini sunt in musco Caesareo, in quorum uno: ALIXANDER. (sic) *Caput regis leonis exuviis tectum*. In alio: ALEXANDER MAG. MACEDON. *Ejus caput diadematum, et sursum versum*. Alios similes vide in hac numorum classe.

Denique huc etiam pertinerent numi illi, quos in ejus regis gratiam percusses ab Alexandro Severo memorat Lampridius [u]): *Alexandri habitu numos plurimos figuravit, et quidem electreos aliquantos*. Verum cum auctor parum idoneus, tum quod similes hactenus comperti non sunt, orationis fidem elevant.

AV. AR. AE. C.

PHILIPPVS III. Aridaeus.

Philippi II. ex Philinna saltatrice Larissaea filius mortuo V. C. 430 fratre Alexandro post varia dissidia praesens ab exercitu rex acclamatur adoptato tum primum *Philippi* nomine, Perdicca, cui annulum rex moriens tradiderat, regni procuratore designato, quod ipse animi angustioris, et tantarum rerum incapacis esset. Fratris funus eximia pompa et apparatu, quem late describit Diodorus [x]), in Aegyptum deduxit. Mortuo Perdicca in Macedoniam redux in Antipatri, deinde Polysperchontis, qui post hujus mortem res ibi procurabat, et uxoris Eurydices potestate fuit. Hujus machinis cum ademptus Polysperchonti exercitus traderetur Cassandro

t) Tab. V. n. 21. u) in Alex. Sev. x) L. XVIII. c. 26. seq.

Digitized by Google

Antipatri filio, iratus ille Olympiadem Alexandri M. matrem ex Epiro, in qua hactenus latuerat, una cum Alexandro postumo Alexandri M. ex Rhoxane filio in Macedoniam reducit, quae conversis in se ex pristinae fortunae recordatione omnium animis facile Philippum in potestatem suam redigit, et per impotentiam muliebrem una cum uxore inter dirissimos cruciatus enecat V. C. 437, cum regnum umbratile annos VI. menses IV. tenuisset. Haec ex Diodoro et Justino.

Numi:

Secundum ea, quae supra in Philippi II. moneta dixi, Aridaeo tribuendi videntur numi sequentes:

Caput Palladis galeatum. Ϟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, vel: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Victoria stans d. lauream, s. tridentem.* AV.

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ϟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, vel ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Juppiter aetophorus sedens, per aream varia attributa, inter quae prora navis, supra quam* ΛΥ. AR. I. et III. (Mus. Caes. et alibi.)

Literis ΛΥ. in numis saepe indicari *Lycios*, in moneta urbium Lyciae docebimus. Constat praeterea, navim esse obvium typum in numis Phaselidis Lyciae, quo verisimile fit, quemadmodum id genus Alexandri M. numos per varias urbes signatos diximus, ita praesentem Lyciis natales suos debere. Istud si verum, certum est, numum hunc Aridaeo, non Philippo II. tribuendum, cui nihil unquam in Lyciam juris fuit, quo argumento ea, quae supra in Philippo II. de numis ad Aridaeum pertinentibus disserui, non parum confirmantur.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ϟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Leo dimidius, infra fulmen.* AV. IV. (Pembrock P. I. tab. II. et P. II. tab. 51.)

Eadem adversa. Ϟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Clava, arcus, diota, in alio pro hac tridens.* AV. IV. (Pembrock P. II. tab. 51. Mus. Caes.)

Eadem adversa. Ϟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Tridens, juxta globulus.* AV. IV. (Mus. Caes. editus in mea Sylloge I. p. 83.)

Caput Apollinis laur. Ϟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Fulmen, et caput leonis.* AV. IV. (Pellerin Rois tab. I.)

Perpetui in rarissimis his numis typi attributa Jovis et Herculis, quae numina cum in Alexandri quoque moneta perpetuum typum faciant, et in hac quoque, ut supra indicavimus, exstet numus certus Alexandri, qui tam pondere, quam typo simillimus est secundo hic descripto, verisimile est, omnes hos numulos huio Philippo tribuendos, retentis nimirum in moneta fratris typis secundum ea, quae supra in Philippi II. numis disserui.

* * *

Caput juvenile diadematum Ϟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, *varius:* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Eques citato cursu variis per aream attributis, aut literis.* AR. III. AE. III. (Mus. Caes.)

Obvios hos numos propter aetatem

Digitized by Google

juvenilem, quam caput anticae praefert, Aridaeo tribuendos puto, qui revera admodum juvenis diem obiit. Si essent Philippi II., saltem in horum nonnullis provectior aetas indicaretur.

AV. R. AR. AE. RR.

CASSANDER.

Filius ejus Antipatri, qui ab Alexandro in Persas profecto rebus Macedoniae et Graeciae praepositus commissam sibi provinciam magna auctoritate rexit, eamque mortuo etiam rege retinuit, et cum annos natus LXXX. supremum sibi diem imminere sentiret, excluso filio Cassandro Polysperchontem Macedoniae et familiae regiae curandae praeposuit. Quod aegre ferens Cassander negatum sibi jus armis vindicare parat tanto majore fiducia, quod ab ipso Aridaeo adversus Polysperchontem evocatus fuit. Ergo impetratis ab Antigono copiis Macedoniam ingressus, cum interea caesum ab Olympiade, quam iratus Polysperchon ex Epiro accivit, cum familia Aridaeum reperiret, versis in hanc armis captam Pydnae interficit, Rhoxanen cum filio Alexandro postumo Amphipoli arcte custodit V. C. 438, utroque quinquennio post sublato Macedoniam securus retinet. Restabat ex Alexandri progenie unus Hercules sibi ex Barsine natus, annumque jam agens XVII., quem Pergami hactenus educatum in Macedoniam ad patris regnum recuperandum arcessit Polysperchon, verum effecit ingentibus promissis Cassander, ut juvenis ab ipso, qui evocaverat, proditus e medio tolleretur V. C. 445, cumque eo et Alexandri, et Heraclidarum stirps, quae inde a Carano Macedoniae imperavit, tumulo inferretur. Regno in hunc modum per continuatas caedes parto ac stabilito, et potentium aemulorum insidiis virtute juxta ac artibus elisis moritur ex aqua intercute V. C. 458.

Vxor *Thessalonice* Philippi II. filia, cujus miseram fortunam in proximo Antipatro intelliges. Ex ea suscepti filii Philippus IV., Antipater, Alexander IV., qui sibi ordine successere. Haec ex Diodoro, Justino, Pausania.

Numi:

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ɪ ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ. *Leo procumbens.* AE. III. (Mus. Caes.)

— ΑΣΑΝΔΡΟΥ. *Caput Palladis galeatum.* Ɪ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚ. *Equus liber currens, in area clava.* AE. II. (Pembrock P. II. tab. 53.)

Videntur signati hi numi, antequam in regium nomen involasset Cassander. Numus alter signatum se Thessalonicae profitetur, de qua urbe, dicta antea *Thermae*, haec Strabo y): κτισμα δ' ἐςιν Κασσανδρου ὁς ὑπι τῳ ὀνοματι της ἑαυτου γυναικος, παιδος δε Φιλιππου του Αμυντα ὠνομασεν. *Opus vero est Cassandri, qui eam ex nomine uxoris suae, filiae Philippi Amyntae appellavit.* Sic et Potidaeam de nomine suo Cassandream dixit.

y) L. VII. in excerpt.

Digitized by Google

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ. *Vir nudus lento equo vectus.* In aliis: *Leo gradiens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Galea. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ. *Pilum hastae.* AE. III. (Haym.)

Galea. ℞ Κ *intra quadratum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Jam sese regem profitetur, nimirum ex quo Antigonus victo navali pugna Ptolemaeo signum extulit. Tamen Cassandri moderationem collaudat Plutarchus pristino more suo scribentis epistolas, etsi ipse rex passim scriberetur et diceretur [z]). Propter typum galeae tertium quoque numum Cassandro tribuit Neumannus, sic ut το Κ partis aversae sit litera princeps vocis Κασσανδρου [a]), cujus praeclaro judicio facile subscribo.

* * *

Caput diadematum barbatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΚΑΣΑΝΔΡΟΥ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Juppiter nudus stans d. fulmen intorquet, s. extenta* - - AE. (Pembrock P. II. tab. 53.)

Mirus hic numus visus Froelichio, quoniam hac aetate barbam non aluere Macedones [b]). Similem difficultatem supra in Archelai I. numis objectam vidimus. Difficile est de numo non viso ferre judicium.

AE. C.

PHILIPPVS IV.

Cassandri filius natu maximus. Patri succedit quidem, sed paullo post tabe absumitur [c]).

Numi:

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ, *vel* ΒΑ. ΦΙ. *Vir nudus lento equo vectus, d. elata.* AE. III. (Mus. Caes. Liebe p. 104.)

Huic Philippo numos hos tribuendos puto, quia tam fabrica, quam typis cum Cassandri patris numis conspirant. Cum regnum certo capessiverit, verisimile non est, eum numis caruisse.

AE. R.

ANTIPATER.

Alter Cassandri F. fratri mortuo succedens regnum matris Thessalonicae caede auspicatur vitam etiam per ubera materna deprecantis. Causa parricidii fuit, quod in regni divisione plus fratri minori Alexandro quam sibi favisse videretur. Non multo post idem Alexander scelus caeso fratre expiat [d]). Ejectum ab Alexandro, occisum a Lysimacho socero tradit Justinus [e]).

Numi:

Numos Goltzii inscriptos: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ. tum denique recipiendos censeo, cum ab alio quopiam promulgatos intelligam.

---

z) in Demetr. p. m. 896. a) Num. pop. P. II. pag. 146. b) Not. elem. pag. 140. c) Pausan. L. IX. p. 725. Justinus. d) Pausan. e) L. XVI. c. 2.

Digitized by Google

Eidem Antipatro Liebeus Wildium secutus largitur numos, in quibus comparet monogramma ANTI., sed quos rectius Antigono Gonatae tribuendos suspicor, ut in hoc dicetur. Antipater ergo certis numis caret.

ALEXANDER IV.

Ad vindicandam matris caedem Demetrium Antigoni Asiae regis filium advocat, mox ipse ab eodem, quem socium adsciverat, e medio tollitur [f]).

Numi:

Caput juvenile diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡ. *Eques nudus citato gressu, in area bipennis.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.)

Quo minus hos Alexandro M. tribuam, causa est, quod in hujus certis numis ejus caput non reperitur. Hoc permisso alteri Alexandro opportunius adcommodari non poterat, ut jam conjecit Haymius.

AE. R.

FAMILIA ANTIGONI.

Exstincta Antipatri stirpe in Macedoniam invasit Demetrius, eamque posteris transmisit, in quorum postremo Perseo regnum istud illustre desiit. Fuit hic Demetrius filius Antigoni Asiae regis, cujus hoc loco numos, etsi Asiae debitos, lubet recensere, cum quia ipse Macedo fuit, et pater stirpis regiae, tum quia idoneum in Asiae provinciis locum non reperio, quo ejus regis numi opportune figerentur. Commode etiam sic moneta patris jungetur monetae filii, praecipue cum et utriusque typi conspirent.

ANTIGONVS Asiae rex.

Natus in Macedonia per Temenidas ab Hercule ducere originem credebatur [g]), atque ob hanc causam existimo Alexandrum M. a Seneca hujus Antigoni dici nepotem [h]). Philippo II. et Alexandro M. in omni militia socius [i]) hoc mortuo in celebri provinciarum divisione Phrygiam majorem sortitus est [k]). Inter varia bella, quae cum Alexandri ducibus gessit, illud sibi ad gloriam illustre fuit, quo Ptolemaeum cum foederatorum classe prope Citium et Salaminem Cypri V. C. 448 vicit. Quo successu elatus regem se filiumque Demetrium a populo appellari jussit, cujus mox exemplum secuti sunt Ptolemaeus, Seleucus, Cassander, et Lysimachus [l]). Post haec cum turbare non desineret, a foederatis regibus bello petitus collatis ad Ipsum Phrygiae signis victus caesusque est V. C. 453.

Numi:

Caput Palladis galeatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΤ. *Victoria stans d. tridentem.* AV. III. (Froelich Ann. Syr. p. 11. ex mus. Fawkener.)

Caput hispide comatum et barbatum,

---

f) Pausan. Justinus. g) Reinecc. in regib. Maced. pag. 99. h) de ira L. III. cap. 22. i) Justin. L. XVI. c. 1. k) Ibid. L. XIII. c. 4. l) Ibid. L. XV. c. 2.

Digitized by Google

redimitum corona incertae rationis. ℞ ΒΑ-ΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. *inscriptum prorae navis, cui insidet Apollo nudus d. arcum praetendens, in imo monogramma.* AR. I. (Mus. Caes. Dutens.)

Caput simile corona hederacea redimitum. ℞ *Eadem aversa, sed praeterea pone Apollinem tridens navi infixus, in imo delphinus.* AR. I. (Winckelmann Anmerk. in fronte operis.)

Numum primum aureum ab Antigono cusum secundum exemplar numorum aureorum Alexandri M., intuenti patet. Pluribus istud regibus placuisse, diximus in ejus regis numis.

Sequentes argentei plura offerunt observatu digna. Caput numi prioris Froelichius esse Neptuni censuit. Facile consentio cum viro erudito propter cultum capitis horridiorem, qui vulgo tribui Neptuno consuevit, nimirum apposite ad maris indomiti ferociam, cui imperavit, unde et omnis ejus soboles saeva, truculenta, inhospitalis. Rite etiam Neptunus cum aversa connectitur, cujus, ut dicetur, typus ad victoriam maritimam adludit. Confirmant istud numi filii Demetrii, similis utrinque argumenti et explicatus, nisi quod in his non caput tantum Neptuni est, sed totus ipse stans, et tridentem intorquens. Corona, qua caput redimitur, videtur esse ex herbae cujusdam marinae genere. Dutensius contextam ex corymbis putat, verum ubi corymbi, ibi hederae folia, ut passim videre est in numis cistophoris, et alibi; ad haec corymborum multo alia est forma, quam quae in id genus numis exhibetur. At enim satis apparet, virum eruditum fuisse a Winckelmanno in partes tractum. Hic in suo caput Panos vidit, sod argumenta, quae adfert, aut fallunt, aut nihil probant [m]). Novi, coronam hederaceam Pani quoque competere, ut patet ex numis Panticapaei, sed certae Panos imagines cornu capiti adstituunt, aut aures porrigunt, ut videre est in numis Arcadum, et horum urbis Megalopoleos, Antigoni I. Gonatae, Pellae Macedoniae, Panticapaei etc. Ergo cum deos sola plerumque discernant attributa, mallem dicere Bacchum propter hederam, et Indicum propter barbam, quo modo et Bacchum Indicum in numis Tarenti, et Naxi Siciliae hedera redimitum videmus. Firmat sententiam Herodianus, qui narrat [n]), hunc ipsum Antigonum Διονυσον παντα μιμημενον, και ισσον μεν περιτιθεντα τη κεφαλη ἀντι καυσιας και διαδηματος Μακεδονικου, θυρσον δε ἀντι σκηπτρου φερονται, *Bacchum in omnibus imitatum capiti pro causia et diademate Macedonico imposuisse hederam, et thyrsum pro sceptro gestasse.* Ergo cum tum nondum caput suum inserere numis auderet, quod ab Alexandri successoribus serius factum, Bacchi, quem praecipue observaverat, caput intulit, et quidem Indici, nam speravit, praecipue post insignem ad Cyprum victoriam navalem, se omnes socios reges debellaturum exemplo Bacchi a victoriis Indicis celebrati.

---

m) l. c. pag. 99. n) in Commodo.

Digitized by Google

Typus navis in parte aversa ad eandem, quam dixi, victoriam haud dubie pertinet, ut et typi similes in numis filii Demetrii. Apollinis sedentis causa obscurior. Apollinem sedentem cum arcu habemus etiam in numo Nicoclis Paphiorum regis. Et habuere Cyprii observandi Apollinis causas luculentas, ut olim disputavi o). Ipse modus Apollinis navi insidentis arguit, Antigonum huic quoque deo victoriam acceptam tulisse. Forte juxta in litore stetit templum Apollinis, qui Antigonum mari pugnantem sic respexit, ut idem serius Octavianum ad Actium desuper respexit.

AV. RRRR. AR. RR.

DEMETRIVS. I.

Filius Antigoni. Quia acer erat in capiendis urbibus, dictus πολιορκητης, *expugnator urbium*, vel, ut explicat Seneca p), *egregiam artem quassandarum urbium professus.* Patri primum in bellis omnibus egregiam operam praestitit, et relata V. C. 448 de Ptolemaeo et foederatis insigni ad Cyprum victoria navali causa fuit Antigono patri, cur is palam regium nomen usurparet, et eundem honorem filio quoque impertiret. Victus subinde una cum patre a foederatis Ptolemaeo, Seleuco, Lysimacho, Cassandro apud Ipsum Phrygiae, qua in pugna patrem amiserat, perdita Syria et magna parte Asiae Athenas transmittit, evocatusque ab Alexandro Cassandri F. Macedoniae rege, ut sibi adversus fratrem Antipatrum subsidio esset, specie ferendi auxilii Alexandrum ipsum interficit, et V. C. 461 Macedoniam rege vacuam sibi subjicit. Bello idcirco a Pyrrho Epirota petitus inita cum hoc pace recuperandae Asiae causa bellum ingens molitur, verum praeventus a regibus foederatis, ejectusque e Macedonia, quam annos VI. tenuerat, cum turbare in Asia non desisteret, captus a Seleuco, et liberali in Syria custodia detentus moritur V. C. 470. Cineres ab Antigono F. apud Demetriadem Thessaliae a se nominatam conditi.

Vxor *Phila*, ex qua natus *Antigonus*, qui post varias vices Macedonia recuperata regnum stirpi suae cum Perseo exiturae reliquit.

Vxores et familiam reliquam vide apud Plutarchum q). Illustrior *Stratonice* filia, primum Seleuci I. deinde Antiochi I. uxor. De *Lamia* famoso ejus scorto vide Aelianum r), Alciphronem s), ac praecipue Plutarchum in ejus vita.

Numi:

Mulier alata navi insistens tuba, quam d. tenet, canit, s. scipionem Σ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Pallas gradiens pendente ex utraque manu ala d. hastam intorquet, s. clypeum praetendit, in area monogramma in formam bipennis.* AV. H. (Editus in meis Num. vet. p. 84. ex museo M. Ducis.)

---

o) Num. vet. p. 241. p) de Const. sap. c. 5. q) in Demetrio. r) V. H. L. XII. c. 17. s) L. II. epist. I.

Digitized by Google

Eadem adversa. In aliis: *Victoria d. coronam, s. palmam tenet.* Σ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Neptunus nudus gradiens d. tridentem inturquet, et sinistram praetendit strophio obvolutam, cujus duae extremitates dependent, in area* A, *et monogramma circulo inclusum.* AR. I. (Pembrock) AR. III. (Mus. Caes.) In area Haymiani est ΑΘΕ. AR. III. (T. II. p. m. 97.)

Caput regis diadematum, et cornu taurino horrens. Σ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Neptunus seminudus saxo insidens d. acrostolium, s. tridentem.* In aliis: *Neptunus nudus d. pede saxo insistens s. tridentem, per aream varia monogrammata.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput regis tenui filo revinctum. Σ *Aversa ut in numo II.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Σ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Juppiter aetophorus sedens, in area clava.* AR. I. (Pellerin.)

Generatim ad hos numos praemonendum, omnes videri signatos tum, cum Macedoniam obtineret Demetrius, quod apparet ex monogrammatis, quae simili forma obvia sunt in numis tam urbium, quam regum Macedoniae.

Typi Neptuni, mulieris alatae tubam animantis, et Victoriae, praecones sunt memoratae supra victoriae maritimae, ex qua Demetrio maximum nomen, et titulus regius accessere. A cerritis Atheniensibus fuisse dictum Neptuni filium, late narrat Athenaeus [t]). Ad mulierem in his numis alatam quod attinet, video ab antiquariis passim Victoriam dici sive illam, quae lauream cum palma gerit, sive alteram, quae tubam animat. Priorem esse Victoriam, quis inficiabitur? At cur alteram, quae tuba canit, Victoriam passim dicant, ignoro. Alae certam Victoriam non faciunt, nam secus et Nemesin, Auroramque dicere Victoriam oportebit. Quid vero Victoriae cum tuba saltem secundum certa monumenta? Si ergo Auroram a Victoria sui distinguunt equi, Nemesin frenum, rota, gryphus, nescio, cur non et tuba aliam a Victoria deam eloquatur. Equidem existimo, certam nobis hoc signo Famam proponi non ignobile sane illam numen, cujus meminere poetae praestantissimi, vetustissimique. De ea Hesiodus in postremis versibus carminis, quod Opera et Dies inscribitur:

Φημη δ' ε τις πλημπαν απολλυται, ηντινα πολλοι
Λαοι φημιζουσι, θεος νυ τις εστι και αυτη.
Fama vero nulla prorsus perit, quam multi
Populi divulgant, quippe dea quaedam est et ipsa.

Atqui Famae tanquam deae stetisse Athenis aram, testis est Pausanias [u]), tum et Aeschines perhibens, a majoribus aram Athenis positam Famae, ut maximae deae [x]). Neque vero et populo orbis victori ejus ignotum numen, quando teste Plutarcho [y]) ejus aedes Romae stetit ad novam viam, regione adeo urbis XII.

t) L. VI. p. m. 253. u) L. I. c. 17. x) Orat. in Timarch. p. 279, et de Fals. leg. p. 418. y) de Fort. Rom.

Digitized by Google

Alas habuit ex eadem causa, ex qua Mercurius et Iris; nimirum ut hi nuncii, sic et nuncia Fama teste jam ipso Homero [z]).

μετα δε σφισιν Ὀσσα δεδηει,
Οτρυνες' ιεναι, Διος ἀγγελος.
interque ipsos fama accendebatur,
Incitans ire, Jovis nuncia.

Quo praeeunte passim a poetis et *nuncia*, et, quod sequitur, *pennata* dicitur. Sic aves apud Aristophanem sese extollentes inter alia crepant [a]): Φημη γ'ὑμιν ὀρνις ἐστι, *Fama vobis avis est.* Et Nonnus [b]):

Ηδη δ' ἑνδα και ἑνδα δι' ἀστεος ἱπτατο Φημη
Αγγελος ἀυτοβοητος κ. τ. λ.
Jam vero hinc et hinc per urbem volitabat Fama
Nuncia per se clamans.

Et Virgilius [c]):

Interea pavidam volitans PENNATA per urbem
NVNCIA FAMA ruit.

Nota est ejusdem Famae alatae descriptio apud eundem Maronem [d]), cui adde Nasonem [e]). Atque ut Famae, sic et Infamiae alas tribuerunt poetae. Silius Italicus [f]):

et atris
Circa te semper volitans Infamia pennis.

Famae convenire tubam, et quidem apte in causa praesente, cum vellet Demetrius suae laudes victoriae per universum orbem strepere circumferri, nemo negaverit. Alata quoque Siren in denario gentis Petroniae tuba canit, sed diversa causa, haec ut delectet, Fama, ut promulget. Addo denique, Famam eodem modo tuba canentem proponi etiam apud Pembrock [g]). Famae complura miracula lege apud Plutarchum [h]).

De Pallade numi I. hoc cultu incedente agetur in numis Thessalorum.

Numum secundo simillimum, eumque aureum edidit Goltzius, in quo praeter regis nomen praetenditur inscriptum ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ, qui si vere exstitit, apud Demetriadem Thessaliae se cusum profitetur. In area numi Haymiani dixi, legi ΑΘΕ. Constat ex Plutarcho et Athenaeo supra laudatis, fuisse Athenienses Demetrio propter praeclara in se collata beneficia jure obstrictos, praecipue quod eos a Cassandri ac Ptolemaei jugo liberavit, ac propterea immodicos illi in communi laetitia honores decrevisse, quos ibi enumerat Haymius, inter quos adeo recenset etiam numum praesentem ejus nomini dedicatum. Istud fide adcuratissimi Haymii; at in simili et integerrimo musei Caesarei legitur tantum A; juxta quidem est O, sed intus est monogramma, ut adeo pro Θ haberi non possit. Elementum E prorsus abest.

In numis III. et IV. sistitur caput regis diadematum, et tauri cornu armatum. Adoptanda videtur Spanhemii sen-

---

z) Il. B. 93. a) in Avib. v. 721. b) Dionys. L. XLVI. v. 1. c) Aen. L. IX. 473. d) Aen. IV. 173 seq. e) ex Ponto L. IV. ep. 4. v. 12. f) Punic. XV. 96. g) P. II. tab. 58. h) in Aemilio cap. 24, 25.

Digitized by Google

tentia, censentis [i]), Demetrium hujus sibi animalis cornu addidisse Bacchi causa, quem is in omnibus tam belli, quam pacis studiis proxime aemulari conatus est, ut testantur Diodorus [k]), et Plutarchus [l]). Quin ipsum ejus patrem Antigonum eodem modo fuisse in Bacchum adfectum, diserte tradit Herodianus supra in patris numis citatus. At Bacchum non minus cum cornibus arietis fuisse propositum, quemadmodum vidimus in Lysimacho, et videbimus in numis Cyrenes, sed etiam tauri, abunde dixi in dissertatione de tauro cum facie humana Campaniae numis adjecta. Quoniam Seleucus I. Demetrii gener tauri cornua in numis jactat, videri posset socerum in generi praepotentis gratiam eodem cultu usum. At verisimile dixi, hos Demetrii numos signatos tum primum, cum Macedoniam obtineret, sed tum jam inimico fuisse in Seleucum animo constat.

Etiam argenteum III. formae, in quo: ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ typo nocuae, hujus esse regis, et signatum Athenis conjicit Pellerinius [m]), sed hic verisimiliter aliorsum pertinet, et inscriptum nomen videtur esse magistratus.

AV. RRRR. AR. R.

PYRRHVS, LYSIMACHVS, SELEVCVS.

Exacto V. C. 467 Macedonia Demetrio regnum inter se partiuntur Pyrrhus Epirota et Lysimachus. Anno sequente pulso etiam Pyrrho solus illud obtinet Lysimachus. Hoc V. C. 472 in Phrygia victo caesoque Seleucus Macedonia potitur, sed paullo post a Ptolemaeo Ceraunno interficitur.

Numos Pyrrhi vide in numis regum Epiri, Lysimachi in numis regum Thraciae, Seleuci in numis regum Syriae.

PTOLEMAEVS Ceraunus.

Ptolemaei Soteris filius, a patre succedendi spe exclusus Seleuco sese adplicat, verum, ut diximus, benefactorem perfide interimit, et Macedoniam invadit. Gallis duce Belgio vicina infestantibus obviam temere progressus conserta pugna occumbit circiter V. C. 473. Propter singularem in rebus agendis celeritatem dictus Κεραυνος, *Fulmen* [n]).

* * *

Ei hactenus tributi fuere numi aenei, in quorum aversa: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ typo *fulminis*, quo credebatur, ad ejus nomen adludi. Verum praeclare evicit Pellerinius, quoniam in omnium horum area comparet monogramma ΜΑΓ., eos Ptolemaeo II. Philadelpho restituendos, signatosque ejus nomine in Cyrenaica, quo tempore frater illius uterinus *Magas* eam provinciam administravit, ut dicetur.

Alius argenteus inscriptus: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΚΕΡΑΥΝΟΥ inter Goltzii fallacias amoliendus.

---

i) T. II. p. 399. k) L. XX. cap. 92. l) in Demetr. pag. 889. m) Rec. I. pag. 144. n) Pausan. L. I. c. 16.

Digitized by Google

MELEAGER, ANTIPATER, SOSTHENES.

Meleager et Antipater in his turbidis Macedoniae reges memorantur ab uno Eusebio, quorum illum menses duos, hunc mensem cum semisse regnasse perhibet.

Sosthenes unus ex regni primoribus cum Macedonum reliquiis, qui ex postrema clade evasere, patriam adversus Gallos egregie tuetur. Oblatum a suis regis titulum aspernatur, uno ducis nomine contentus. Cum biennio rempublicam sustentasset, a Brenno cum ingente Gallorum exercitu adventante facile victus regnum victori cedere cogitur o).

* * *

Omnium horum trium, etsi aut paucorum tantum dierum, aut ne reges quidem fuere, numi tamen reperti sunt, aurei perinde, ac argentei, verum, quod caput est, ab uno tantum Goltzio, videlicet: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΛΕΑΓΡΟΥ — ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ — ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΩΣΘΕΝΟΥ.

ANTIGONVS I. Gonatas.

Demetrii Poliorcetae filius cognomento *Gonatas*, quod apud Gonatas Thessaliae educatus fuerat p), insignis a pietate in patrem nominis, quem a Seleuco captum redimere omnibus modis, semetipsum obsidem offerens, adlaboravit. Rex in Macedonia agnitus bis a Gallis, Pyrrho, ejusque filio Alexandro regno exactus turbatum ipsos XXXVI. annos habuit imperium, mortuus V. C. 512.

Vxor *Phila*, Seleuci I. filia, e qua natus *Demetrius II.* q)

Numi:

Caput virile imberbe turgentibus e fronte binis cornibus, aure acuta, pone pedum; aream ambiunt septem scuta astris insignita. Ϫ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. *Pallas gradiens pendente ex utraque manu ala d. fulmen intentat, s. clypeum praetendit, in area galea dependente utrinque crista, et variae literae.* AR. I.

Spanhemius r), et Begerus s) consentiunt, capite anticae exhiberi Antigonum ipsum, sed hoc nomine II., eumque ornatum Panos cultu. Rationem addit Begerus, data regi ejus dei attributa, quia pro Arcadibus, quibus is praesidet, adversus Cleomenem Spartanum pugnavit, quod late persequitur Polybius; quin non abhorrere a vero, numum ipsum ab Arcadibus signatum. Haec eruditi IIviri. At fallantur nimio. Etenim ut novi, addita saepe fuisse regibus, quae deorum fuere propria, tamen caput numi praesentis propter aurem manifeste acutam nequaquam regis est, sed ipsius Panos. Fuisse hujus dei cultum per Macedoniam vulgatum, docemur numis communi Macedonum nomine vulgatis, aliisque ejus regionis urbium, ceu Pellae,

o) Justinus, Eusebius. p) Euseb. in Chronico, Athenaeus L. IX. p. m. 400. q) Reineccius. r) T. I. p. 385. s) Th. Br. T. I. p. 247.

Digitized by Google

in cujus numis coloniae nomine cusis Pan sedens typus obvius, atque eodem puto pertinere capros coniscantes, qui sunt in numis Amphipolis et Thessalonicae. Notum etiam Aegas, vetustam Macedoniae urbem, a capris Pani sacris traxisse nomen, notusque in mythologia Aegipan Jovis ex Aega Panos uxore filius [t]). At cur Antigonus Gonatas ejus dei imaginem, quod neque hactenus, neque postea a regibus Macedoniae factum, tam magnifice jactet, certam reperio causam. Narrat Pausanias [u]), Brennum cum Gallorum exercitu ad diripiendum Apollinis templum Delphos profectum nulla apparente causa tanto terrore perculsum, ut conversis repente vestigiis turbatisque ordinibus cum suis omnibus ne uno quidem elapso internecione caederetur. Jam vero satis constat, omnem metum nullo certo auctore immissum *Panicum ἀπο τυ Πανος* fuisse dictum. Addit eodem loco Pausanias: *τα γαρ ἀπο αἰτιας ἀδηλιας δειματα ἐκ τυτυ* (Πανος) *φασι γινεσθαι*, *terrores enim a nulla causa ortos a Pane ajunt injici.* Idem observat scholiasta ad Euripidis *Πανος ὀργας* [x]), et Cornutus [y]). Inconsultum hunc metum teste Dionysio Hal. [z]). Romani Fauno imputavere, sive cum insolitae species oculos hominum exterrant, sive voces divinae aures eorum percellunt. Sed Faunus a Pane vix differt. Causam, cur timoris hujus auctor creditus fuerit Pan, vide apud Anonymum de Incredibilib. in Opusc. mythol. Gallei p. 89. Quin et Paua ludum sibi quaerere ait Val. Flaccus, cum injecto noctu terrore totos exercitus et armenta ruere in diversa, perque montium saltuumque avia videt [a]). Ergo cum hujus quoque Gallorum trepidationis auctor Pan vulgo crederetur, satis causae fuit, cur Antigonus ejus dei, cujus beneficio liberata Graecia, et ipse paternum regnum recuperavit, effigiem monetae imprimendam curaret. Vide huc pertinentia etiam ad numum sequentem. Hoc ex Pausania captum argumentum si valet, dubitari nequit, insignes hos numos esse Antigoni I., non, quod alios censuisse diximus, alterius.

Commodus hic locus agendi de cornibus hircinis, quae reges Macedoniae galeae inserere consuevere. Ea non solum commemorat Plutarchus, cum narrat, Pyrrhum agnitum ex *cristis illustribus et cornibus hircinis* [b]), tum et Livius perhibens [c]), Philippum V. in pugna ad Sicyonem in arborem impetu equi illatum, cornu alterum galeae praefregisse, quod ab Aetolo quodam repertum, regio hoc insigni passim cognito, famam interfecti regis vulgavit, sed eadem haec cornua oculis subjicit denarius L. Marcii Philippi, qui pictum sistit caput Philippi V. Macedoniae regis tectum galea ad mentum clausa, ex cujus vertice bina hircorum cornua protuberant. Adde galeam cornu praefixam in numis Tryphonis Syriae regis, quos vide. Verisi-

---

t) Hygin. Astron. L. II. c. 13. u) L. X. c. 23. x) Medea v. 172. y) de Nat. deor. c. 27. z) L. V. p. 290. a) Argonaut. L. III. v. 48 seq. b) in Pyrrho p. 389. c) L. XXVII. c. 33.

Digitized by Google

mile videtur, ejus rei causam petendam ab ipso Carano, qui ducibus capris Edessam cepit, cujus tam firma deinceps fuit memoria, ut reges posteri capras in exercitu constanter alendas curarent, et fuisse adoptata a regibus horum animalium insignia, quibus regnum debuere. Ex quo creverit etiam in ipsum Pana Macedonum adfectus, cui hirci caprique sacri fuere.

Numum hunc, ejusque similes cusos in Macedonia dubitari nequit; nam Pallas hoc cultu, ut dicetur in Thessalorum numis, passim sese effert in moneta Macedoniae et Thessaliae, deinde galea hujus formae jam occurrit in area tetradrachmorum Alexandri M., frequentius vero in aeneis Antigoni nostri, de quibus mox, et Philippi postremi, ut et monogramma HP. fere Macedoniae proprium dici potest.

* * *

Caput Palladis galeatum. ℞ BA. *Vir nudus imberbis et caudatus turgentibus e fronte binis cornibus tropaeum statuit, in area monogramma literis* ANT. *conflatum, plerumque adstituta galea, varius pro hoc aliae literae.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΒΑΣΙ. *Galea dependentibus utrinque cristis.* ℞ ANT. *(in monogr.) intra clypeos Macedonicos.* AE. III. (Liebe p. 104. Mus. Caes.)

Horum prior saepius editus, semper male descriptus; nam novem ejus generis, qui sunt in museo Caesareo, signum illud, quod statuendo tropaeo occupatur, per luculenta cornua et caudam certum Pana efficiunt. Monogramma ANT. ad nomen regis pertinere, eo facile colligitur, quod reliquis per aream notis variantibus illud constanter idem est, idque tanto certius, quia monogramma similis naturae in numo secundo certum regem notat. At quaeri potest, utrum literae ligatae ANT. *Antipatrum*, an *Antigonum* intelligi velint. Antipatrum Cassandri F. maluit Liebeus [d]), verum praeferendum esse Antigonum Gonatam propterea dubitari nequit, quod in superiore tetradrachmo, quod totum Antigoni nomen scriptum exhibet, ejusdem Panos imago, ut in praesente, objicitur, deinde quod sertum ex clypeis Macedonicis contextum in nullo certo superiorum, Macedoniae regum numo comparet.

Pan tropaeum statuens, nimirum ut ego explico, de Gallis Graecia et Macedonia exactis, praeclare confirmat ea, quae ad primum Antigoni numum disserueram. Incessit tamen religio a Pausania diserte testante [e]), neque Philippum, neque filium Alexandrum, neque quemquam successorum Macedoniae regum de Graecis barbarisve debellatis erexisse tropaeum. At non raro Diodorus statuti a Macedonibus tropaei meminit, ut advertit Wesselingus [f]), etsi pro Pausania stet, et Diodorum *ἀκυρως* locutum existimet. Quidquid erit, typus

d) Goth. num. p. 104. seq. e) L. IX. c. 40. f) ad Diodori L. XVI. c. 4.

Digitized by Google

numi praesentis, quoniam deus istud praestare fingitur, Macedonum verum morem, neque stabilit, neque evertit, et imago tantum est victorum barbarorum, quorum tanta fuit immanitas, et ad ferendam agendamque Graeciam cupiditas, ut potuissent sibi Macedones putare permissum, in communi gentis laetitia receptam legem infringere.

Numum alterum, ut per monogramma ANT. manifestum est, esse Antigoni, ita minus certum, sitne potius primi, an secundi. Istud certum, ad postremos Macedoniae reges pertinere numos, qui sigilla, aut monogrammata regum offerunt clypeis Macedonicis inclusa.

De galea, quam numus II. exhibet, forma aeris Campani, pendente utrinque crista, aliquid monendum. Cum ea saepe in numis regum Macedoniae occurrat, in iisque non raro typum principem faciat, necesse est, fuisse eam operimentum non ex vulgaribus unum, sed regale ac spectandum. Tamen ad illud explicandum non satis valent monumenta residua, et testimonia scriptorum. Vidimus supra, memorari a Plutarcho galeam ex cristis illustribus et cornibus hircinis, at in hac desunt cornua. Denarii L. Marcii Philippi offerunt cornua hircina, at desunt cristae; quae galeam nostram insigniunt. In numis Tryphonis Syriae regis comparet galea in apicem desinens, et hircino cornu armatum, quae conformatio ab omnibus hactenus notis abludit. Vnum adhuc proditur capitis integumentum apud Macedonas usitatum, *causia*, de qua haec Eustathius g): Καυσία κατα τον Παυσανιαν πίλος ἦν πλατυς, ὃν οἱ Μακεδονικοι, φησι, βασιλεις ἐφορουν, λευκον αὐτῳ διαδημα περισιλεντες, *causia secundum Pausaniam pileus fuit latus, quo, ait, reges Macedonum usos, candido illud diademate ambientes.* Eodem modo Plutarchus, cum narrasset, M. Antonium dedisse filio Ptolemaeo crepidas, chlamydem, et causiam diademate redimitam, addit, hunc fuisse cultum successorum Alexandri h). Athenaeus, cum solitum Alexandri M. habitum describit, ait, eum gestasse την καυσιαν ἐχουσαν το διαδημα, *causiam diademate redimitam* i). Denique et Herodianus culpat Antigonum Asiae regem, quod hedera uteretur ἀντι καυσιας και διαδηματος Μακεδονικης, *pro causia et diademate Macedonum* k). Verum non regum solum, sed et aliorum Macedonum gestamen fuisse causiam, aliorum testimoniis docemur. Eam Pollux nullo ad reges respectu vocat πιλον Μακεδονικον l). Causiae Crateri, qui fuit unus ex ducibus Alexandri, meminit Plutarchus m), et Arrianus n). Epigramma Antipatri Thessalonicensis causiam generatim vocat *habilem veterum Macedonum armaturam*, καυσιη, ἡ τοπαροιθε Μακηδοσιν ἐυκολον ὁπλον o). Quid quod Demetrius rex, ut insequentem Pyrrhum certius falleret, regium amictum causia et humili lacernula mu-

g) Ad Odyss. A. h) in Anton. pag. 941. i) L. XII. p. m. 537. k) in Commodo. l) L. X. §. 162. m) in Eumene p. 586. n) apud Photium cod. 91. p. m. 126. o) Brunck Anal. Tom. II. p. 111.

Digitized by Google

tavit p). Genium Macedoniae in notis numis Hadriani, et in denario C. Antonii Macedoniae procos. lato pileo, qualis a Pausania describitur, et haud dubie causia opertum videmus. Apud Plutarchum q) Phayllus Argivus uxorem juvenem chlamyde et causia Macedonica induit, ut esse unus ex pueris regis Antigoni ministris putaretur. Causiae a nautis gestari solitae meminit Plautus r). Ex quibus patet, fuisse causiam promiscuum inter Macedonas gestamen, sic tamen, ut regium discerneret diadema. Enimvero et causias purpureas memorat Plutarchus, easque inter praecipua regum munera refert s). Haec latius exposui, quoniam video, a nonnullis antiquariis varias galeas, quae in regum Macedoniae numis occurrunt, causias putari, ut dicemus infra in numis Philippi postremi. Certe harum nulla ejus formae est, quae causiae secundum citata testimonia tribuitur.

Ad galeam nostri numi ut redeam, credo, eam aliud non fuisse, quam illustrius regum Macedoniae gestamen. Sane galea Alexandri M., quam in ejus vita describit Plutarchus t), illi, quam hi numi offerunt, fuit simillima, nimirum illustris τῃ χαιτῃ, ἡς ἑκατερωθεν εἱστηκει πτερον λευκοτητι και μεγεθει θαυμαστον, *crista, cujus utrinque stabant pinnae candore, et magnitudine mirabiles.*

* * *

Numi: ΑΝΤΙΓΟΝΟΤ. ΓΟΝΑΤΟΤ ex Goltzii mala officina prodivere.

AR. RR. AE. C.

DEMETRIVS II.

Antigoni Gonatae ex Phila filius V. C. 512 paternum regnum adit, illudque retinet usque ad annum V. C. 523.

Vxor *Phthia* Alexandri Epirotae filia, e qua natus Philippus V.

Numi:

ΒΑΣΙ. *Galea cristata.* Ɪ *Monogramma constans, ut videtur, literis* ΔΗΜΗΤΡ. *intra scuta Macedonica.* AE. II. (Wilde tab. III. n. 19. Mus. Caes. Pellerin Addit. p. 52.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΤ. *Galea cristata.* Ɪ *Astrum inter scuta Macedonica.* AE. III. (Neumann.)

Si monogramma memoratum recte in has literas resolvitur, dubium non est, similes numos huic Demetrio esse tribuendos, quoniam, ut saepe diximus, corona ex scutis Macedonicis contexta regum posteriorum est. Eidem succurrit numus alter plene scripto regis nomine.

AE. RR.

ANTIGONVS II. Doson.

Judicio Reineccii natus Alcyoneo, qui fuit filius Antigoni Gonatae ex concubina. Philippo Demetrii II. filio adhuc impu-

---

p) Plutarch. in Pyrrho p. 389. q) in Ἐρωτικῳ p. 760. r) in Mil. glor. Act. IV. sc. IV. v. 42. s) in Eumene p. 588. t) Cap. 16.

Digitized by Google

beri datus primum tutor, subinde propter virtutis opinionem rex proclamatur. Inita cum Achaeis societate in Cleomenem Spartae regem arma movet, et quod hactenus nemini concessum, Spartam ipsam expugnat, et omissa omni vindicta libertate iterum donat. Post multa praeclare ac liberaliter facta in bello adversum barbaros ex sanguinis profluvio obit V. C. 533. Per convicium dictum Δωσωνα, tradit Plutarchus, quia, quod promiserat, non repraesentavit [u]).

Numi:

Hi vix dignoscuntur, nisi forte aliqui, quos in Antigono Gonata, aut in aeneis Alexandri M. descripseram, huc pertinent.

PHILIPPVS V.

Demetrii II. filius, quod Graecas civitates atrocius vexaverat, et cum Hannibale foedus iniverat, collisus cum Romanis a T. Quinctio Flaminino ad Cynoscephalas debellatur. Moerore exstinguitur, quod filium. Demetrium ficto crimine a fratre Perseo delatum mori jussit, V. C. 575.

Numi:

Caput regis diadematum. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Pallas gradiens d. fulmen vibrat, s. clypeum, in area monogramma.* AR. I. (Mus. Theup.)

Aversam similem mox in Antigono Gonata vidimus.

* * *

Caput regis diadematum modeste barbatum. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Clava intra coronam quernam.* AR. fere I. et II. (Mus. Caes. Pembrock P. II. tab. 54.) In alio: *Hercules stans d. cornu, s. clavam, et exuvias leonis.* AR. II. (Pellerin.)

Caput Jovis, pone signum incusum Hermam referens. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Hercules nudus gradiens d. clavam super humero, s. exuvias leonis.* AE. II. (Sestini Lettere P. II. p. 108.)

* * *

Caput juvenile tectum galea alata in volucris caput exeunte, pone harpa, intra scuta Macedonica. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Clava intra coronam* AR. I. (Pembrock l. c.)

Eadem adversa. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Galea, cui imminet astrum.* AE. III. (Pellerin Additions p. 53.)

Caput juvenile tectum galea in volucris caput exeunte. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Harpa intra coronam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile tectum galea alata. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Equus currens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile tectum galea in volucris caput exeunte, pone harpa. Ɪ ΒΑ. ΦΙ. *Aquila arboris trunco insistens.* AE. III. (Haym. T. II. p. m. 11.)

Omnes hi numi typos offerunt, qui ad Perseam Jovis et Danaes filium, ejusque

---

[u]) in Aemil. c. 8. et in Coriolano.

Digitized by Google

historiam pertinent. In eorum antica comparet ipse tectus galea, quae est Αἶδος κυνη, *Orci galea*, adstitutis praeterea alis et harpa sibi a Mercurio permissis, cum in Gorgonas proficisceretur. Simillima galea tegitur Perseus in numis Iconii Lycaoniae, Aegarum Ciliciae, et Amphipolis Macedoniae. Ad haec comprobanda nolo repetere, quae olim ad numos similes apud Sinopen Paphlagoniae et Iconium Lycaoniae signatos liberaliter sum commentatus [x]), quae omnia ad praesentes quoque numos illustrandos valent, quibus in commentariis ostendi etiam, quam longe a scopo hactenus aberraverint ii, qui hos Philippi numos explicandos sibi sumpsere. Etenim Haymius capita, quae sunt in numis III. et V., dixit esse Philippi Amyntae, galeam, qua ea teguntur, esse causiam Macedonum, de qua egi in Antigono II., harpam pro cultro victimario habuit in taurobolii sacris usitato etc. [y]). In eadem sententia fuit Froelichius [z]), utriusque viri eruditi errori praeludente Cl. de Boze [a]). Quin ipse adhuc Pellerinius in postremo suo opusculo, quod *Additions* inscripsit, caput galeatum, quod numus II. exhibet, dixit esse ipsius Philippi Demetrii II. filii. Nihil vero in his numis certius Perseum comprobat, quam harpa, ensis genus, nonnisi Perseo, atque, ut in Valeriani Aug. numis comprobabimus, Saturno proprium, cujus qui volet formam ad omnes apices descriptam nosse, adeat Achillem Tatium [b]). Aquila, quae in nonnullis aversam facit, ad Jovem utique Persei parentem refertur, quae omnia Persei attributa binis versibus complexus est Nonnus [c]):

Και κυνεην Αϊδαο φερων, και Παλλαδος ἁρπην,
Και πτερον Ερμαωνος ἐχων, και Ζηνα τοκηα.
Et galeam Orci gestans, et Palladis harpen,
Et alas Mercurii habens, et Jovem parentem.

At modo, quid Philippo cum Perseo heroe, expediendum. Reges Macedoniae voluisse videri per Caranum Argivum ab Argivis et Perseo descendere, multi tradidere. Eos sane facile cum Perseo connectemus, cum secundum Diodorum Hercules ipse, a quo genus duxere, Perseum in majoribus numeraverit [d]). Etenim mater Herculis Alcmena, hujus pater Electryon, hujus Perseus [e]). Et secundum haec jure Admetus Herculem sic appellat apud Euripidem [f]):

Χαιρ' ὦ Διος παι, Περσεως τ' ἀφ' αἱματος,
Salve, o Jovis fili, et a Persei sanguine prognate.

Atque haec causa est, cur Alcmena ab Euripide vocetur νυμφα Περσηΐς, *Virgo ex Persei genere* [g]), et a Theocrito

---

x) Num. vet. p. 172. et 271. y) Thes. Brit. T. II. p. m. 11, et 18. z) Not. elem. p. 143. a) B. L. T. II. p. 443. b) Erot. L. III. c. 7. c) Dionys. L. XXV. v. 55. d) L. IV. §. 9. e) Diodor. l. c. Schol. Euripid. in Hecuba v. 884. f) in Alcest. v. 509. g) Herc. fur. v. 801.

Digitized by Google

περσηΐδων αἱμα, *Persei sanguis* h), et Achilles Fatius Perseum et Herculem dicat Ἀργείους δυο συγγενεις, *Argivos duos consanguineos* i). Non igitur fallax Plinius, qui Perseum in Alexandri M. atavis putat k), nam et teste Arriano l) huic Macedonum regi quaedam exstitit cum Perseo et Hercule aemulatio, quod ab utroque genus duceret. Alibi narrat idem m), Alexandrum Mallensibus Ciliciae tributum remisisse, quod hi Argivorum essent coloni, ipseque ab Heraclidis Argivis oriundum se perhiberet. Neque vero recens haec fuit Pellaei juvenis ambitio; jam enim et Alexander I. Macedoniae rex, cum certaturus in Olympia prohiberetur a Graecis, quod barbarus esset, Argivum se palam professus est n). Jure igitur Philippum Amyntae sic adloquitur Isocrates o): Ἀργος μεν γαρ ἐστι σοι πατρις, ἡς δικαιον τοσαυτην σε ποιεισθαι προνοιαν, ὁσην περ των γονεων των σαυτου. *Argos quidem tibi patria est, cui eandem te curam, quam tuis ipsius parentibus, impendere aequum est.* Fuisse Perseum Argivorum regem, et apud Argos eximie cultum, quis ignorat? Quare et in Argorum numo, qui est in museo Caesareo, fingitur aquila harpae insistens; nimirum, ut in numis Philippi mox descriptis, harpa refertur ad Perseum, aquila ad ejus patrem Jovem.

Sed enim, inquies, quid haec per Caranum a Perseo petita stirps ad Philippum nostrum, quando Caranidarum genus cum Alexandri M. sobole exstinctum est? Istuc ibam. Si fides Polybio p), tanta ejus fuit arrogantia, ut non contentus nobili stirpe, quae jam inde ab Antigono Asiae rege titulo regio conspicua fuit, plurimum tamen adlaboraret, ut de Alexandri et Philippi genere videretur prognatus. Istud cum persuadere voluit, ultro genus suum cum Perseo et Argivis copulavit, atque hinc factum, ut, cum idem Philippus Argos venisset, curatio Heraeorum et Nemeorum suffragiis populi ad eum deferretur, quia, ut addit Livius, qui haec perhibet q), *se Macedonum reges ex ea civitate oriundos referunt*, quod et Argivis creditum infra commemorat r). Ac denique ne per solam ambitionem in Caranidarum se stirpem intrusisse videatur Philippus, verisimile est, Antigoni quoque genus, etsi non eadem cum Alexandro M. stirpe, ab Heraclidis Temenidis descendisse, de quo vide prolixe disputantem Reinerum Reineccium s). Ergo ne cui esset praeclarum suum genus ignotum, ceu Alexander Herculem, sic is Perseum in moneta sua proposuit, cujus nempe abnepos esset, quae insania stirpem a Perseo usque deducendi non modo hac aetate, sed multo etiam posteriore inhaesit iis, qui Argivi domo fuere. Ita enim leges in marmore, quod edidit Maffeius t): *a*

h) Idyll. XXIV. v. 72. i) Erot. L. III. c. 6. k) L. XV. §. 13. l) L. III. c. 3. m) L. II. c. 5. n) Herodot. L. V. c. 22. o) Orat. ad Philipp. p) L. V. c. 10. q) L. XXVII. c. 30. r) L. XXXII. c. 22. s) pag. 99. t) Mus. Veron. p. XLIII.

Digitized by Google

πόλις ἀ των Αργειων Τ. Στατίλιον Λαμπριου υἱον Τιμοκρατη Μεμμιανον, ΠΕΡΣΕΩΣ ΚΑΙ ΔΙΟΣΚΟΥΡΩΝ ΑΠΟΓΟΝΟΝ κ. τ. λ. *Vrbs Argivorum T. Statilium Lampriae filium Timocratem Memmianum, PERSEI ET DIOSCVRORVM ABNEPOTEM etc.* quod ante Hadriani imperium non fuisse dedicatum liquet, quia in eo mentio fit ludorum Αντινοειων ἐν Μαντινεια, *Antinoiorum Mantineae.* Denique observandum et istud, quod quemadmodum Alexander M. filium ab Hercule generis auctore Herculem, ita suum Philippus a Perseo Perseum appellavit.

In numo II. habetur hinc caput Persei, inde galea astrifera, verius pileus Dioscurorum. Nimirum ut in citato marmore Maffeiano Statilius Argivus dicitur Persei et Dioscurorum abnepos, ita eodem jure Philippus Dioscuros in majoribus ponit, et publice observat. Dioscuros quidem apud Lacones ortos vetus fama prodidit, verum fuisse Lacones Argivis cognatos alias probavi [u]).

* * *

Caput Herculis imberbe leonis rictu tectum. ℞ BA. ΦΙ. *Vir nudus eques lento gressu d. elata.* AE. III. (Mus. Caes.) In alio: *Duo capri decumbentes.* AE. II. (Mus. Caes. Theup.)

Caput Herculis barbatum eodem cultu. ℞ BA. ΦΙ. *Pallas gradiens d. hastam intorquet, s. clypeum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vide alios cum BA. Φ. in museo Caesareo.

Vidimus supra in numo hujus Philippi certo epigraphen BA. ΦΙ. Videbimus item in moneta Persei numum, qui typo simillimus est priori ex his descripto, addito etiam solo BA. ΠΕ. Quare dubium non est, numos omnes sic inscriptos esse hujus Philippi.

* * *

Caput juvenile radiatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Fulmen intra quernam, superne monogramma* ΔΙ. AE. II. (Mus. Caes.)

Numum hunc alii Philippo Syriae regi, alii huic nostro tribuunt. Auctor musei Theupoli eum Andrisco, seu Pseudo-Philippo, qui exacto Perseo Macedoniam turbavit, largitur. Istud certum, Macedoniae potius id genus numos tribuendos propter monogramma ΔΙ. in Macedonum moneta obvium, et habeo auctorem gravem Cousineryum, eos frequentes reperiri in Macedonia.

AR. RR. AE C.

PERSEVS.

Philippi V. filius, patre in fratris Demetrii caedem inducto, in quem Macedonum studia inclinaverant, regnum adeptus, quod Romanis, eorumque sociis infensum se ubique praeberet, ab his bello petitus apud Pydnam a L. Aemilio Paullo vincitur, captusque in insula Samothrace cum filiis Philippo, et Alexandro, et filia Romam in triumphum abducitur V. C. 586, cum regnum in

u) Num. vet. p. 79.

Digitized by Google

annum XI tenuisset. Macedonia in provinciam redigitur, rex Albae in libera custodia consenescit, de quo vide praecipue Diodorum x). Alii inedia vitam finivisse tradunt.

Numi:

Caput diadematum modeste barbatum. ΣΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΕΡΣΕΩΣ. *Aquila fulmini insistens intra coronam quernam, per aream varia monogrammata.* AV. I. (Mus. M. Ducis.) AR. I. (Mus. Caes.)

Caput juvenile tectum galea alata in volucris caput exeunte, pone harpa. ΣΒΑ. ΠΕΡ. *(posterior vox in monogrammate.) Aquila trunco arboris insistens.* AE. III. (Mus. Caes. Lieb. p. 107.)

Caput Herculis imberbe leonis rictu tectum. Σ BA. ΠΕ. *Vir nudus eques lento gressu d. elata.* AE. III. (Pellerin.)

Omnes hos numos in moneta patris explicatos reperies.

AV. RRRR. AR. RRR. AE. R.

THESSALIA.

Regio, ut urbium antiquae famae, ita et numorum ferax. Ex his aureus hactenus nullus compertus. Argentei prae aeneis frequentiores. Generatim moneta, quae ubivis gentium ante Philippum Amyntae feriri solebat, si Italiam mediam demas, pleraque argentea fuit. Revera argentei urbium Thessaliae satis remotam aetatem redolent. Ab eodem Philippo Thessalia Macedonibus servire coacta, ejus urbes sive per impotentiam, sive amissis per mutatam reip. formam juribus cessavere signare monetam eo tempore, quo maxime monetae aeneae usus invaluit.

Typus in ejus urbium numis frequentior *equus*. Thessalorum rei equestris studium a veteribus in paucis celebratum, et tam antiqui nominis, ut cum fabulis connectatur. His docemur, primum sonipedem in Thessalia prognatum, et ab ejus incolis Lapithis edomitum y): ex quo ortam de Centauris Thessalis fabulam conjicit Palaephatus z). Satis constat, Philippum Amyntae non ob aliam magis causam ejus regionis occupandae flagrasse cupiditate, quam ut exercitui suo robur Thessalorum equitum adjungeret a). Et vero ex monitu oraculi teste scholiasta Homeri b) primas laudes tulere.

Ιπποι Θεσσαλικοι, Λακεδαιμονιαι τε γυναικες,
Ανδρες θ', οι πινεσιν υδωρ καλης Αρεθουσης.

Equi Thessalici, et Lacedaemoniae mulieres,
Virique, qui bibunt aquam pulchrae Arethusae.

x) L. XXXI. Eclog. 2. y) Lucan. L. VI. 396. z) de Incredib. §. 1. a) Iustin. L. VII. c. 6. b) ad fl. B. V. 763.

Digitized by Google

At proprius unis Thessalis typus est: in adversa *equus*, in aversa *vir nudus pileo a tergo pendente, qui ferocientem taurum cornibus retinet*. Est hic hactenus cognitus ex numis Larissae, Pelinnae, Perrhaebiae, Pharcadonis, Pherarum, Triccae. Censuit Liebeus [c]), eo exhiberi Herculem tauri, vel Acheloi domitorem. At pileus a tergo pendens, isque Thessalicus, ut dicetur infra in numis Larissae, hominem agrestem facit rei pastoritiae vacantem, quo studio longe excelluisse Thessalos, notum, nisi quis velit typum ad veterem fabulam vocare, quam prodidere Palaephatus [d]), et Servius [e]), regnante Ixione cum ferocientes tauri omnia late vastarent, adversum eos egressos juvenes Thessalos, cum urgere feras non desisterent, dictos *Centauros*, ὁτι τες ταυρες κατεκεντεν, *quod tauros stimulis exagitassent*, unde nata Centaurorum fabula. Cum dixi, equum et taurum frequenter in Thessalorum moneta typos facere, commode occurrit, quod de iis Aegisthus apud Euripidem praedicat [f]):

Εκ των καλων κομπεσι τοισι Θεσσαλοις
Εναι τοδ', ὁστις ταυρον ἁρταμει καλως,
Ιππους τ' ὀχμαζει.'

Inter praeclara facinora jactant apud Thessalos

Hoc esse, quisquis taurum dissecat recte,
Et equos regit perite.

De Thessalorum tauros domandi, et cum iis pugnandi peritia, tum etiam de agone, qui ταυροκαθαψια appellabatur, vide doctissimum Prideaux ad marmor, quod est in Oxoniensibus XXXVII., varias vero hujus exercitii imagines offerunt numi contorniati.

Imperatorii urbium, quod mirum, saltem certi non habentur, nisi communi Thessaliae nomine.

Autonomi.

Caput equi cum freno. Ϟ ΘΕ. *Planta.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Ex hactenus editis Thessalorum nomine numus hic videtur antiquissimus. Cum simili typo exstant numi Scotussae, ex quo efficitur, numum hunc non ad Thebas, ut visum Froelichio [g]), aut aliam urbem ab his literis incipientem, sed ad Thessalos pertinere. Typus item equi nequaquam Boeoticus, sed Thessalicus est.

* * *

Caput Jovis laur., in aliis querna redimitum, addito nonnunquam magistratu. ϞΘΕΣΣΑΛΩΝ. *Pallas gradiens pendentibus ex humero alis d. hastam intorquet, s. clypeum praetendit; adstituuntur plerumque duo magistratus.* AR. II.

Obvii sunt id genus numi. De Pallade, hoc, quem descripsi, cultu incedente nonnihil commemorandum. Ea constanter in his numis fingitur dependente utrinque a collo et humero ala. Phaenomenon istud commonefecit ejus, quod praeter plures alios grammaticos veteres refert Suidas

---

c) Goth. num. p. 206. d) l. c. e) ad Georg. III. 115. f) in Electra v. 815.
g) Cimel. Vind. p. XXXVIII.

Digitized by Google

Θετταλικαι πτερυγες. Τυτο λεγεται δια το πτερυγιον εχειν τας Θετταλικας χλαμυδας, αιπερ εισιν αι εκατερωθεν γωνιαι, διατοιοικεναι πτερυξι. *Thessalicae alae. Hoc dictum, quia Thessalicae chlamydes utrinque angulos quosdam habent, qui aliis similes sunt*, visumque, angulos hos in his Thessalorum numis a Palladis humero pendentes revera esse illud, quod Suidas *alas Thessalicas* appellat, atque istud tanto magis, quod eodem cultu frequens est Pallas in numis urbium et regum Macedoniae, ut Demetrii I., Pyrrhi, ejusque filii Alexandri, qui ipse quoque Macedoniam aliquamdiu tenuit, aliorumque. Praeterea dubium non videtur, Palladem hanc in his Thessalorum et Macedonum numis esse *Itonidem*, sic dictam ab Itone Thessaliae urbe, ab ipsis Macedonum regibus eximie observatam, quod olim comprobavi h). Animadvertere tamen hoc loco juvat, fasciam a collo, ad utrumque latus dependentem non Palladi modo, sed aliis quoque diis in numis, iisque vetustissimis tribui. Simile indumentum jactat Neptunus in antiquissimis numis Posidoniae, alter item in numis Demetrii I. Macedonis, simulque obvolutam eo sinistram velut scutum objicit, quod penitius expendant ii, qui in rem vestiariam deorum inquirunt. Ceterum dum Palladem sic cultam Thessalicam appello, nequaquam intelligi volo, eam sic in solis Thessaliae numis comparere, nam et talem objiciunt numi Syracusarum, Atheniensium, et regum Syriae, sed quod sic in Thessalorum numis est frequentius obvia. Ita et clypeos certa lege in orbem dispositos vocamus Macedonicos, quamvis hi, ut in Macedonia observavimus, etiam in aliarum extra Macedoniam urbium numis compareant, et triquetram dicimus Siculam, etsi haec in Suessae, Veliae, quin et Selges numis occurrit.

* * *

OMONOIA. *Caput muliebre laur.* Ϟ ΘΕΣΣΑΛΩΝ. ΡΩΜ. *Equus liber currens.* AE. III. (Pellerin.)

Nexum cum Roma indicat numus hic et propositam Thessalis cum gente orbis principe *concordiam.* Videtur pars hujus numi antica adludere ad beneficium, quo J. Caesar post victoriam Pharsalicam Thessalis libertatem dedit i).
AR. C. AE. RR.

Imperatorii.

Ab Augusto in familiam usque Gallieni porriguntur (Mus. Caes. Pellerin, Theup.)

Epigraphe: in numis sub Augusto et Tiberio signatis est: ΘΕΣΣΑΛΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΗΩΝ, (Pellerin Rec. III. p. 200.) nempe capto honoris vocabulo ab Augusto. Fuisse Thessalos promeritos, ut illis Augusteo nomine gloriari liceret, tanto magis miror, quod imperante Augusto grave adiverunt discrimen propterea, quod Petraeum vivum cremaverant k). Insolentior formula: ΔΟΜΙΤΙΑ-

h) Num. vet. p. 104. i) Plut. in Caes. c. 48. k) Plut de praecept. reip. gerend. p. 815.

Digitized by Google

NON. KAIΣAPA, vel AΔPIANON. KAICAPA. ΘECCAΛOI, (Pellerin. Mus. princ. Waldeck.) Deinceps constanter: KOINON. ΘECCAΛΩN.

Typus potior: *Pallas hastam intorquens*, reliqui obvii. In numo Augusti: *Apollo Actius praegrandi lyra canens*, quem ex museo Caesareo alias edidi [l]).

Magistratus praetor: ΣTPATHΓOT. ANTIΓONOT, in numis Augusti et Liviae. (Mus. Caes. Pellerin l. c.) ΣTPATHΓOT. AT--KOTPOT. vel ΛTKOT. TO. B. in numis D. Augusti, et Juliae Aug. (Pellerin l. c.) Esse hunc praetorem proprium urbis magistratum, in qua numi hi cusi sunt, non propraetorem Romanum, arguunt nomina Graeca, quod jam vidit Pellerinius.

Literae solitariae A. Γ. Δ. etc. jam ab Augusto usque ad Gallienum.

AE. C.

AENIANES.

Autonomi exstant cum argentei, tum aenei, inscripti AINIANΩN, vel AINANIEΩN plerumque typo *viri seminudi hastam ejaculantis*, etiam *vasis*, quos promulgavit Pellerinius. (Rec. I. tab. XIII. et XXVI.) Populus Aenianum nomine, aut quod huic adfine est, varias Graeciae plagas inhabitavit mutatis varia aetate sedibus, quod jam advertit Plutarchus [m]). Ergo ii, aut eorum pars in Thessalia versus sinum Maliacum, in Perrhaebia, in Molosside, et Aetolia consedisse leguntur, dicti *Aenianes*, *Aeneianes*, *Aenienses*. Vtrum Pellerinius numos similes recte per Aenianes Aetoliae, vel Acarnaniae, vel Thessaliae distribuerit, dubito.

AR. RR. AE. RRR.

ARNA.

Mediobarbus, et auctor musei Theupoli huic Thessaliae urbi largiti sunt numos Treboniani, quorum aversa inscribitur ARNASI. Verum vocabulum istud sanum interpretem nactum nondum est, de quo copiosius agam in numis hujus Augusti.

ATRAX.

Mediterranea ad Peneum.

Caput muliebre. ΣATPAΓION, *Equus.* AR. III. (Pellerin, Pembrock.)

Equus currens. Σ AT. *(in monogrammate) intra lauream. AR. III.* (a me editus ex mus. Savorgnan Num. vet. p. 85.)

AR. RRR.

CRANNON.

In Pelasgiotide.

Protome juvenilis pileata. ΣKPANNΩNIΩ — *Vir pileatus in citato equo.* AE. I. (Pembrock.)

Caput Jovis laur. ΣKPA. *Similis typus.* AE. III. (Haym. T. II. p. 147.)

Vtriusque faciei typus in Thessaliam et pastoritiam et equestrem invitat. Stra-

---

l) Sylloge I. p. 26. m) Quaest. Graec. 13 et 26.

Digitized by Google

boni dicitur Κρανων, sed et nonnullis geminato N scribitur. Gentile *Cranonius* apud Livium recte cum numi scriptura conspirat.

* * *

Caput Jovis laur. Σ KPANNOT. EΦTP. *Curriculum, cui impositum vas, utrique rotae insistit avis.* AE. III. (Haym T. II. p. 147.)

Eques pileatus cito cursu. Σ KPAN-NO. *Curriculum, cui imposita diota, utrique rotae insistit avis.* AE. III. (Ibid.)

Insignes hos numos praeclare explicat Haymius ex Antigono Carystio, perhibente n), in tabulis Crannoniorum hospitalibus, cum insigne urbis subjicitur, pingi solitos δυο κορακας ἐφ' ἁμαξιᾳ χαλκῃ, *duos corvos super aereo curru*, atque istud propterea, quia duobus plures nunquam ibi conspiciuntur. Addit, cum magna est siccitas, eum currum pulsari, et sic pluvias impetrari. Singulare est etiam KPAN-NOT. EΦTP. numi prioris. Narrat Strabo, idque Homeri auctoritate confirmat, Crannonios dictos quoque fuisse *Ephyros* o). Ex his idem docent Eustathius et Stephanus.

AE. RRRR.

CTEMENAE.

Huic oppido, haesitans tamen, argenteum tribuit Pellerinius inscriptum KTH., at eum esse Sinopes Paphlagoniae, suo loco docebitur. Alium inscriptum KTI-MENOC. ANINHCIOIC., et hac perperam vocatum vide in Anineso Lydiae.

DEMETRIAS.

Maritima ad sinum Pagasaeum. Teste Strabone opus Demetrii Poliorcetae, qui Pagasarum, Iolci, aliarumque in proximo sitarum incolas in hanc contraxit.

Caput Dianae, Σ ΔHMHTPIEΩN. *Navis.* AR. III. (Pellerin.)

Fuit Demetrias navale, quin aliquamdiu et regia regum Macedoniae, ut tradit Strabo.

AR. RRRR.

Cum nomine *regis* Demetrii numum edidit Goltzius, (in Graecia.)

BAΣIΛEΩΣ. ΔHMHTPIOT. *Nepturnus nudus tridentem intorquet.* Σ ΔHMH-TPIEΩN. *Victoria super navi currens.* AV.

Simillimos ex auro et argento, nisi quod nomen populi in his abest, supra in moneta Demetrii I. recensui. Forte et in hoc vocabulum ΔHMHTPIEΩN a Goltzio his artibus adsueto additum fuit.

DEMETRIAS SACRA.

Autonomi.

Caput muliebre turritum. Σ ΔHMH-TPIEΩN. THΣ. IEPAΣ. *Victoria gradiens.* In alio: *Fortuna stans.* AE. III. (Pellerin.)

Caput virile nudum. Σ ΔHMHTPIEΩN. THΣ. IEPAΣ. *Mulier capite turrito rupi*

n) Hist mirab. c. 15. o) L. VII. p. m. 508, et L. IX. p. 674.

Digitized by Google

insidens, d. extenta, subtus fluvius emergens. AE. II. (Hunter, Pellerin.)

Caput virile laur. Σ ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Vir nudus stans d. hastam.* AE. III. (Hunter, Haym T. II. p. 124.) His addendus

Imperatorius.

ΘΕΟC. CΕΒ - - *Caput Augusti nudum.* Σ - - - ΤΡΙΕΩΝ. ΤΗC. ΙΕΡΑC. *Victoria gradiens.* (Haym T. II. p. m. 221.)

Haymius numos Demetriadis, qui ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ addunt, esse Sicyonis edixit, quae teste Diodoro causa illustrium beneficiorum a rege Demetrio se Demetriadem vocavit. Non adrisit istud Pellerinio ea potissimum de causa, quia temporarium tantum istud nomen fuit, ac paullo post abjectum p), neque adeo dubitavit, eos Thessalicae huic Demetriadi largiri. At enim multa sunt, quae me ab adsignanda his numis urbe Europaea abstinent. Nam primum epigraphes modus: ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ, Europaeus non est. Novi, Nicopolin Epiri et Epidaurum in numis dictas ΙΕΡΑΣ, verum in his legas tantum: ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ. ΙΕΡΑ, vel ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ. Quod si quis Larissam Thessaliae objiciat, cujus praetenditur numus inscriptus: ΛΑΡΙΣΣΑΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ, is noverit, etiam hunc a me ex Thessaliae finibus extorrem fieri, ad Larissaeos Seleucidis repedare jussum. Adde, scripturam sic ab Aquilone in meridiem tendentem, et in plures versus parallelos divisam, qualem hi numi aistunt, verum esse monetae Syrae, vel Ciliciae characterem. Nihil vero luculentius, esse hos numos Asiae, et quidem in Orientem vergentis, comprobat, quam typi eorumque modi. Caput muliebre hoc turrium cultu certus iterum est character Syriae et Ciliciae. At quod me praecipue permovit, ut Demetriadem Thessalicam respuerem, est urbis genius saxo insidens emergente subtus fluvio, quem modum in nullo urbis Europaeae numo reperias, at frequentissime in numis Syriae late sumptae, tum Ciliciae, et finitimi tractus. Denique nullo testimonio constat, Demetriadem Thessaliae dictam fuisse *sacram*, et quod amplius est, Demetrias haec sola esset Thessalicarum urbium, quae cum imperatoris capite numos feriisset, etsi hujus generis habeamus complures, sed communi ΘΕΣΣΑΛΩΝ nomine insignes. Atque hae, similesve rationes in causa fuerint, cur illustris Combius Demetriadem aliam a Thessalica diversam respexerit.

At vero quae haec Demetrias? Combius Demetriadem adsignat in Assyria sitam. Sed ab hac, ut verum fatear, graves me rationes absterrent. Praeterquam enim quod Assyria extra cyclum numismaticum posita est, si Parthicorum et paucorum aliorum regum numos demas, jam istud solum Demetriadem Assyriae excludit, quod in his numis habemus caput Augusti, cui Assyria nunquam paruit. Certum vero Augustum non modo habemus in citato imperatorio, sed eum agnosco etiam in citatis autonomis, in quorum antica dixi esse caput virile

p) Rec. I. p. 163.

Digitized by Google

nudum. At quam, inquies, dabis Demetriadem aliam, qui jam tres fastidis? Ajo, me istud ignorare, at non propterea, quod istud ignoro, numi hi erunt hujus, aut illius Demetriadis. Ajo etiam ex causis, quas proposui, esse Demetriadis cujuspiam in Syria vel Cilicia sitae. At nulla apud veteres mentio urbis intra hos fines sic dictae. Verum an non et hi reticuerunt, ut innumera alia exempla omittam, Nicopolin in Seleucide sitam, quam tamen numi ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΗC. CΕΛΕΥΚΙΔΟC. ΙΕΡΑC. absque dubio statuunt? Si numos inscriptos ORRA propter adjectas unciarum notas Italicos statuimus, etsi Orrae in Italia sitae nemo scriptorum meminerit, an verebimur, numos, qui aeque certa offerunt monetae Syrae criteria, urbi Syrae tribuere? Quid quod constat, multis per Syriam et Ciliciam urbibus duplex fuisse nomen, novo alio a Syromacedonibus indito, quas inter fuerit nostra quoque Demetrias, sic dicta haud dubie a Demetrio aliquo ex Syriae regibus, quae paullo post nomen adscititium abrogaverit, quo modo Sicyon Achaiae, propter Demetrii Antigoni filii beneficia Demetrias dicta, non multo post ad vetus suum nomen rediit q). Ea, quae disputavi, confirmavit nuper testimonium Sestini, narrantis, sibi horum similem ex vicinia Damasci adlatum r).

AE. RRRR.

ETHNESTAE.

Populus Thessaliae uni Stephano proditus. *Autonomum* argenteum ΕΘΝΕΣΤΑΙΩΝ edidit Goltzius, sed satis per se monet typus, esse Atheniensium numum.

GOMPHI.

In Estiaeotide.

Caput adversum Medusae passis crinibus. Ϟ ΓΟΜΦΕΩΝ. *Juppiter sedens d. fulmen, s. hastam.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRRR.

GYRTON.

In Pelasgiotide.

Numi ΓΥΡΤΩΝΙΩΝ typo *equi gradientis.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

AE. RR.

HERACLEA TRACHIN.

In Phthiotide ad sinum Maliacum.

Autonomos prodidit Goltzius:

Caput Herculis. Ϟ ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ. ΤΡΑΧΙΝΙΩΝ. *Hercules leonis exuviis insidens.* AE.

ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. *Caput Palladis.* Ϟ ΤΡΑΧ. *Pegasus volans.* AV.

Horum similes complures vidi in omni metallo et insoliti ponderis, quos esse spurios omnes deprehendi, quos inter referendum etiam censeo aureum adpéndentem grana 665, vel XII. nostrates aureos, quem editum video in opere: *Catalogue raisonné* edito Lipsiae 1774. pag. 62. Ejus auctor eruditus ac modestus etsi affabre elaboratum, et ad veterem modum plane exactum contendat, non tamen audet candide antiquum pro-

q) Diodor. Sic. L. XX. §. 102 r) Lettere p. 49.

Digitized by Google

fiteri, reclamantibus pluribus, qui videre. Similem se quoque vidisse testatur Harduinus [s]), an genuinum?

HIPPIAS.

Vide *Phalanna* ejusdem Thessaliae.

HOMOLIVM.

In Magnesia. V. Stephanum.

Caput Vulcani pileo solito tectum. ℞ ΟΜΟΛΙΕΩΝ. *Serpens in spiras contortus.* AE. III. Sunt bini in museo Caesareo.

AE. RRR.

LAMIA.

Ad fretum Euboeae et sinum Maliacum; pars Maliensium, quin secundum Scylacem Maliensium caput, quod et numis ipsis comprobatur, nam Maliensium et Lamiae numi typos habent simillimos. Ipsa Lamia celebre nomen adepta a bello Lamiaco, quod post Alexandri M. mortem adversus Antipatrum Macedoniae praefectum moverunt Graeci ad recuperandam libertatem.

ΛΑ. *Diota.* ℞ *Tripus intra quadratum incusum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Est hic Lamiae antiquissimus mihi cognitus. Diotam similis formae omnes Lamiae argentei numi, ut et Maliensium exhibent.

* * *

Caput Bacchi hedera coronatum. ℞ ΛΑΜΙΕΩΝ. *Diota adstituto vase monoto minore.* AR. III. IV. (Mus. Caes.)

* * *

In aeneis eodem modo inscriptis vel perinde est *diota*, vel: *Vir nudus flexo genu sagittam emittens.* (Pellerin.)

AR. R. AE. RRR.

LAPITHAE.

ΑΠΟΛΛΩΝ. ΣΩΤΗΡ. *Caput Apollinis laur., juxta astrum.* ℞ ΛΑΠΠΙΘΩΝ. *Lyra intra lauream, superne variae literae.* AR. I. (Pellerin Rec. I. p. 167. Theupoli.) AE. II. (Mus. Caes. Beger etc.)

Hos numos plerique tribuunt Lapithis Thessaliae populo, qui circum Pindum et Othryn sedes habuere, verum haec gens magis poetis, quam historicis cognita. Fuit tamen in eadem Thessalia teste Stephano Λαπιθη πολις, ad quam referri possent hi numi. Verum et haec urbs, et populus Lapithae constanter Π simplice scribuntur, prima etiam syllaba a poetis correpta, at numi ΠΠ geminant. Quae causa fuit, cur Lappam Cretae urbem maluerit Patinus, quod minus verisimile. Si nomine ΛΑΠΠΙΘΩΝ, quod vero propius, intelligendi sunt Lapithae Thessaliae, jure Apollinem monetae inseruere, quia is teste Diodoro fuit gentis conditor [t]). Ceterum Lapitharum numum probae antiquitatis nondum mihi videre licuit, et ejus quoque, quem ex

---

s) Num. urb. ill. t) L. IV. c 69.

Digitized by Google

museo Caesareo citavi, parum mihi probatur fides.

LARISSA.

In Pelasgiotide, urbs vetusta, et cumprimis nobilis ad Peneum fl.

Vir nudus pendente retrorsum pileo taurum ferocientem cornibus retinet. Ϟ ΛΑRI. ΛΑΡΙ. ΛΑΡΙΣΑΙ. ΛΑΡΙΣΑΙΑ. *Equus liber currens.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin, Catal. d'Ennery.)

Vtriusque partis typi obvii sunt in argenteis urbium Thessaliae, ut dixi in prolegomenis ad hujus regionis numos, quae vide. Pileus, qui viro dependet, gestamen fuit Thessalis usitatum ad arcendum solem. Narrat Dio [u]), concessum a Caligula in theatris usum pileorum Thessalicorum, ne solis ardore laborarent spectatores. Apud Sophoclem Ismenes caput tegit ἡλιοστερὴς κυνῆ Θεσσαλὶς, *solem arcens galerus Thessalicus* [x]), et ποιμενικὸν πίλημα, *pastoralem pileum* dixit Callimachus teste scholiasta Apollonii [y]).

* * *

Caput muliebre adversum passis crinibus. Ϟ ΛΑΡΙ, ΛΑΡΙΣΑΙΩΝ. *Equus pascens.* AR. II. III. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput incertum. Ϟ ΛΑΡΙ. *Aquila harpae insistens.* AE. (Arigoni.)

Argentei hic descripti omnium maxime obvii. Numi alterius typus, perfrequens in numis Philippi V. et Persei Macedoniae regum, ad heroem Perseum aeque referendus, ex quorum numis ejus explicationem pete. Fuit vero Larissaeis observandi hujus Danaes filii justa causa. Nam is in hac urbe aliquamdiu vixit, et apud hanc Acrisium avum imprudens interfecit [z]). Praeterea haec urbs vocata *Argos Pelasgicum*, ut pluribus dicemus in numis Pherarum, ex quo satis appareret, fuisse deductam Argis Argolidis coloniam, quae urbs Persei fuit patria, et in numis suis eandem typum aquilae harpae insistentis offert. Sane communionem inter utramque hanc urbem etiam illud probat, quod Pausanias templum Jovis Larissaei apud Argos Argolidis stetisse adfirmat [a]). Quin et ipsam Argivorum arcem fuisse dictam Larissam, ait Strabo [b]), et Dionysius Halic. ipsum Argos Peloponnesi dictum Larissam adserit [c]). Ex quo consequitur, caput muliebre passis crinibus, quod frequentissime in argenteis Larissae occurrit, esse Medusae, cujus caedes Perseo veteri Larissae incolae tam honorifica fuit. Arigonius numum alterum perperam Larinum Italiae revocavit.

* * *

— ΑΡΙ. *Mulier amphoram tenens a fonte revertitur.* Ϟ *Equus gradiens.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

Illustris hujus numi argumentum in moneta sequentium Pherarum explicabitur.

---

u) L. LIX. § 7. x) Oedip. Colon. v. 318. y) ad L. IV. v. 972. z) Pausan. Corinth. Apollodor. L. II. c. 4. §. 4. a) Corinth. L. II. c. 24. b) L. IX. p. m. 672. c) L. I. c. 21.

Digitized by Google

ΛΑΡΙΣΑ. *Mulier stans dexteram vultui admovet.* Ʇ ΘΕΣΣΑΛΩΝ. *Figura seminuda sedens dextera super caput posita.* AE. IV. (Mus. cels. principis de Waldeck.)

Praestantissimus est hic numulus, qui, quod hactenus in Larissae moneta non observatum, Thessaliae etiam, in qua sita fuit, mentionem adjicit, qua obtinemus, ut de hujus numi natalibus dubitare non liceat, pluribus per tres orbis partes Larissis cognitis. Typorum explicationem non facile tentavero, nimium contractis in parvo numo figuris, etsi is totus nitidus et integer est.

* * *

Numos inscriptos ΛΑΡΙΣΑΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ esse Larissae Seleucidis, in hac probabimus.

AR. C. AE. R.

MAGNESIA.

Vrbs cum regione cognomine intercepta sinu Thermaico et Pagasaeo.

Autonomi inscripti ΜΑΓΝΗΤΩΝ plures vulgati, at urget difficultas, qui tribuendi sint huic Magnesiae, qui alteri, in Ionia sitae. Ii, qui Centaurum sistunt, ad hanc, de qua agimus, possunt pertinere, quia hic typus Thessaliae urbibus propter stabulantes in ea hos bimembres proprius est, propter quam rationem huc quoque referri possent numi cum equi imagine. At fallere potest hoc judicium, quia Magnesia Ioniae fuit hujus colonia, et quod saepe factum, poterat uti iisdem cum matre typis. Magnesia Ioniae certos suos habet numos, nimirum qui Dianam Leucophrynen, vel Junonem Samiam offerunt, vel Maeandri meminere, ut ibi dicetur. Magnesia Lydiae nunquam adsitum montem Sipylum reticet. Pellerinius huc vocat argenteum, in cujus aversa figura arcum tenens navi insidet, nimirum propter similitudinem numorum Demetriadis. Quod si figura haec vere est Apollo, ut visum Cl. Neumanno, verissimile est etiam, ea navi indicari navim Argo in sidera relatam, ut vir eruditus ex Hygino acute conjicit [d]).

Imperatorii exstant cum capitibus Maximini, Gordiani, et Gallieni inscripti: ΑΡΓΩ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Navis Argo cum vectoribus Argonautis.* Hos Harduinus huic Thessaliae Magnesiae largitur, Vaillantius Ioniae. Revera ea navis in hoc Thessaliae tractu compacta fuit, et nominatim ea ab Ovidio *Magnetis* dicitur [e]), secundum quod valebit Harduini sententia. At altera Vaillantii eo fit verisimilior, quod urbium Thessalicarum nullam hactenus habemus certam monetam cum Augustorum capite, nisi communi Thessaliae nomine. Argonautarum autem typo perinde gloriari potuit Magnesia Ioniae, quia fuit Thessalicae filia.

MALIENSES.

Populus ad sinum, qui ab hoc *Malia-*

d) Num. pop. P. II. p. 30. e) Epist. Her. XII. 9.

Digitized by Google

cus dictus est, veteribus constanter dictus Μηλιεις, vel Dorice Μαλιεις, unde et Livii *ager Maliensis*. Semel Pausanias Μαλεεις [f]), quod librariorum culpae tribuo; nam idem in diversis aliis locis diserte Μαλιεις. Suspecta etiam oratio Stephani, et talis etiam ipsa visa erudito Blondio [g]), sic disserentis: ΜΑΛΙΕΤΣ πολις επωνυμος των Μαλιεων. Raro occurrit urbis nomen Graecum in ευς finiens, Μαλιευς vero dictum populum, qui tractum illum occupabat, ex plurimis habemus testimoniis, neque verisimile, idem fuisse nomen Μαλιευς et urbi, et oppidano, ut adserit Stephanus. Fuisse tamen praeter populum dictum Maliensem etiam urbem nomine adfini, praeter citatum Stephani testimonium videtur innuere Diodorus [h]). Etenim cum populos Graecos enumerat, qui post Alexandri M. excessum contra Antipatrum Macedoniae praesidem coivere, inter eos refert etiam: Μηλιεις πλην Μαλεων, *Maliensès demptis Malensibus*. Sed enim est, quod suspicer, hunc Diodori locum in mendo cubare, sanandumque legendo: Μηλιεις πλην Λαμιεων, cujus plures habeo causas. Jam enim in priore vocabulo peccavere codices, cum in iis aut Ηλιεις, aut Μιληειις legeretur, quibus sana critice suffecit, quod oportuit, Μηλιεις. Deinde cum constet, Lamiam fuisse partem Maliensium, quin et horum caput, ut supra in hujus numis dictum pronus fuit error scribendo Μαλεων pro Λαμιεων. Denique si praetensa haec Malea ausa fuit aliud tentare quam universo coetui Maliensi visum fuit, necesse est, fuisse illustriorem quandam ejus gentis urbem, actum mirum, praeteritam a Strabone, Plinio, aliisque, qui minutissima ejus tractus oppida recensuere. Negligendos ergo jure puto nonnullos grammaticos sive rudes, sive incurios, sive a librariis pariter corruptos, qui urbis cognominis meminere, v. g. scholiasten ad Sophoclis Trachinias haec monentem [i]): Μηλιεις ἐθνος Θετταλικον, Μηλια δε ἡ πολις καλειται, *Melienses gens Thessalica, Melia vero urbs vocatur*, et similiter ad Philoctetae versum 4, in quo forte pro Μηλια legendum item Λαμια. Etiam scholiasta ad Aristophanem [k]): Μηλος πολις Θεσσαλιας citato Thucydide; sed non advertit grammaticus, Thucydidem indicato loco agere de Melo insula. Quod vero rei caput est, non obscure eruitur ex eodem Diodoro, Lamiam, quam in Maliensibus sitam comprobant numi et scriptores, in eo bello a Macedonibus stetisse; nam mox infra idem narrat [l]), Antipatrum praelio victum Lamiam perfugisse, ejusque se moenibus clausisse, ex quo *Lamiaci* nomen huic bello obtigit. Quare recte dixerit Diodorus, cum Graecis se junxisse Malienses πλην Λαμιεων, *demptis Lamiensibus*. Haec prolixius proponere placuit propter controversos quosdam Maliensium numos, de quibus mox.

---

f) L. X. p. 816. g) B. L. T. XL. p. 88. h) L. XVIII. c. 11. i) v. 197. k) Aves v. 186. l) L. XVIII. § 12

Digitized by Google

* * *

Caput Bacchi hedera redimitum. Ꞩ MAΛIEΩN. *Diota adstituto vase minore monoto.* AR. III. (Pellerin.)

Numos huic pondere, metallo, et utriusque partis typis simillimos supra in Lamia vidimus, ex quo appatet, Lamiam fuisse cum Maliensibus connexam.

* * *

Caput Palladis. Ꞩ MAΛIEΩN. *Vir nudus stans sagittam emittit.* AE. III. (Mus. Caes. Pembrock.)

Sagittarii quoque typus in Lamiae moneta compertus.

* * *

Praeter certos hos Maliensium numos sunt alii, de quibus inter antiquarios non convenit, sintne his, an Melo insulae tribuendi, quo in dissensu cum eorum potius adhaeream sententiae, qui eos Melo insulae adjudicant, opportunius visum, in Meli illos moneta commemorare, quorsum lectorem remitto.

AR. AE. RR.

METROPOLIS.

In Estiaeotide.

Autonomos binos, quorum unus aureus, argenteus alter, edidit Goltzius inscriptos MHTPOΠOΛITΩN, et diverso magistratu; in singulis est *galea intra quadratum*, et in uno *Pallas adversa stans*, altero *equus gradiens*. (in Graecia tab. XX.) Harduinus eos huic Thessaliae urbi adscribit, et recte istud, si vera est lectio. Pellerinius similes numos argenteos vulgavit, sed anepigraphos, eosque Macedoniae tribuit, cum in similibus legatur APXEΛAOT, nempe regis Macedoniae. (Rec. T. I. p. 178.) Verisimile videtur, Goltzianos quoque dempto magistratu fuisse anepigraphos, eisque, quod Goltzio familiare, adfictam epigraphen MHTPOΠOΛITΩN.

MINYAE.

Populus pervetustus, a quo Argonautis *Minyarum* nomen factum [m]). Stephanus: Μινυα, πολις Θετταλιας, et Plinius: *in Thessalia Orchomenus, Minyeus antea dictus*, quem male videtur carpere Cellarius, quod Orchomenum, qui in Boeotia est, in Thessalia constituat; nam hic et Stephanus antiquam videntur legem secuti, juxta quam eadem haec Minya et Orchomenus fuere pars Thessaliae, aut saltem huic contigui. Orchomenum enim Boeotiae non inserit Homerus, sed seorsim sub Minyarum nomine recenset, ut binis locis Strabo testatur [n]). Pausanias uno loco Minyas Orchomeniis finitimos facit [o]), alio ait, Minyae filium fuisse Orchomenum, quo regnante urbs *Orchomenus*, et populus *Orchomenii* appellati, mansisse tamen Minyarum cognomen, quo ab Orchomeniis Arcadiae distinguerentur [p]).

Autonomos binos his Minyis tribuit Pellerinius.

---

m) Strabo p. m. 435. n) pag. m. 616. 635. o) L. II. p. 178. p) L. IX. p. 783.

Digitized by Google

MIN. *Equus gradiens, retro racemus.* ℞ *Quadratum incusum.* AR. III.

Caput Fauni barbatum hedera redimitum. ℞ MINT. *Diota, supra botrus.* AE. III.

AR. AE. RRRR.

MOPSIVM.

Vrbs Pelasgiotidis juxta Strabonem et Stephanum.

Caput adversum barbatum. ℞ ΜΟΨΕΙΩΝ. *Vir nudus d. gladium tenens Centaurum impetit arreptum utraque manu saxum illidere parantem.* AE. II.

Narrat Strabo, urbi nomen factum a Mopso Lapitha, qui una cum Argonautis navigavit. Quare in capite adversae ipsum video Mopsum conditorem, et in aversa non Pirithoum, vel Theseum, ut censet Pellerinius, sed ipsum rursus Mopsum, nam et hunc Ovidius inter Lapithas memorat, qui cum Centauris in Pirithoi, et Hippodamiae nuptiis manus conseruere [q]:

Nec tu credideris tantum cecinisse futura
Ampyciden Mopsum. Mopso jaculante biformis
Occubuit.

Hunc ab expeditione Argonautica reversum aedificasse Mopsuestiam Ciliciae tradit Marcellinus [r]), nisi forte hunc Mopsum Ampyci F. et Argonautam confundit cum Mopso Apollinis et Mantus filio vate, et Mopsuestiae Ciliciae conditore, qui duo ex plurium aliorum sententia diversi fuere.

Similis numus editus jam est in museo Theupoli, at ibi inique legitur: ΜΟΨΕΑΤΩΝ, et propterea altero errore tribuitur Mopsuestiae.

AE. RRRR.

OETAEI.

Oeta mons Thessaliam in meridiem finiens, et ab ortu in occasum porrectus. Vrbis etiam cognominis meminit Stephanus; quam fuisse Maliensium adserit, quod etiam variis locis innuit Sophocles [s]). Meminit et Diodorus των περι την Οιτην κατοικουντων, *qui circum Oetam habitant*, quos Lacedaemonii V. C. 355 sedibus suis exegere [t]), serius tributos Oetaeis agros Heracleensium Trachiniae a Jasone Pheraeo [u]). Iterum memorat Oetaeos, qui Alexandro M. mortuo in Macedonas conjuravere [x]). Non ignobilem fuisse gentem, eo conjicies, quod inter gentes Amphictyonidas recensita fuit teste Aeschine [y]).

* * *

Caput leonis pilum hastae ore tenens. ℞ ΟΙΤΑΙΩΝ. *Hercules nudus stans capite radiato utraque manu clavam tenet.* AR. III.

Elegantissimum hoc numisma Neumannus noster ex museo suo vulgavit additis praeclaris animadversionibus. Proponit nempe aversa Herculem, postquam

---

q) Metam. L. XII. 455. r) L. XIV. cap. 24. s) in Philoctete t) L. XIV. cap. 38. u) L. XV. c. 57. x) L. XVIII. c. 11. y) de fals. leg.

Digitized by Google

in eodem monte Oeta flammis absumptus est, ea specie, qualem deorum esse decet, exuto nimirum omni, quod mortale fuit, quod omne Callimachus binis vocabulis complectitur, cum illi Hercules dicitur γυια θεωθεις [a]). Et debuit esse grata Oetaeis ejus facti memoria, quod talis surrexit ex iis cineribus, in quos maximus orbis heros apud se resolutus fuit. Teste Livio [a]) Man. Acilius cos. victo ad Thermopylas Antiocho M. *ipse Oetam ascendit, Herculique sacrificium fecit eo loco, quem pyram, quod ibi mortale corpus ejus dei sit crematum, appellant.* Eximie hic nummus illustrat Sophoclem [b]), apud quem chorus Philocteti spem facit propediem rediturum πατερων προς δωλα Μηλιαδων Νυμφων, Σπερχειους παρ' ὀχθας, ὁ' ὁ χαλκοστις ἀνης θειος πλαθη πασι ΘΗΙΩΙ ΠΤΡΙ ΠΑΜΦΑΗΣ, Οιτας ὑπερ ὀχθων, *patrium in terram Malicensium Nympharum, et Sperchii ad ripas, ubi aereo clypeo munitus vir* (Hercules) *ad deos omnes transit DIVINO IGNE COLLVCENS in vertice Oetae.* Videtur nomine Οιτων δαιμονος, quem in proverbiis prodidere Zenobius, et Diogenianus, idem hic Hercules in Oeta consecratus intelligendus.

* * *

Caput Apollinis laur. Ł ΟΙΤΑΙΩΝ. *Venabulum, mandibula apri, bolrus, monogramma.* AE. II. (Pellerin, Pembrock.)

Duo clypei, et totidem hastae. Ł ΟΙ. *Pharetra, arcus, mandibula apri.* AE. II. (Pellerin.)

Lubet causam signatae in his numis mandibulae apri Calydonii ex mythologis inquirere. Calydon Aetoli F., a quo Aetoliae nomen inditum, filiam habuit Protogeneam, ex qua et Marte nascitur Oxylus [c]). Oxyli filius Andraemon Amphissam in Locris Ozolis condit, ut testatur Aristoteles apud Harpocrationem, Dryopenque uxorem ducit, quae jam ex Apolline gravida paullo post Amphissum enixa est, qui postea ad Oetam montem urbem huic cognominem aedificavit [d]). Egregie cum hac mythologorum doctrina conspirant numi Amphissensium et Oetaeorum, quorum simillimae aversae apri Calydonii mandibulam et venabulum objiciunt, nimirum utraque urbe hoc typo conditorem Aetolum et mutuum inter se nexum palam confitente. Oetaei praeterea Apollinem in numis signarunt, quod is Amphissi conditoris sui pater est habitus.

AR. RRRR. AE. RRR.

OTHRYTAE.

Autonomum edidi ex museo Caesareo (Num. vet. p. 89.):

Equus dimidius. Ł ΟΘ. *Typus dubius, forte ara, ex qua flammae adsurgere videntur.* AE. III.

Vt typus equi Thessalicam eloquitur, sic in hac nihil huc pertinens memorari video praeter montem Othryn, nulla

a) in Dian. v. 159. a) L. XXXVI. c. 30. b) in Philoct. v. 731. c) Apollod. L. I. c. 7. §. 7. d) Antonin. Liberal. Metam. 32.

Digitized by Google

tamen adstitutae urbis cognominis facta mentione. At verisimile est, monti adsitum fuisse oppidum, ejusque accolas dictos fuisse Othrytas, ut Oetae Oetaeos, Athus Athoitas, Aetnae Aetnaeos, Tmoli Tmolitas, Massicytis Massicytenses, quod et eximius hic numus praeclare comprobat. Mox vidimus, Oetaeos quoque suum nomen binis tantum literis OI. indicasse. *Othryoneos* prodit Plinius, sed sitos in Macedonia. Scholiastes Theocriti ad Idyll. III. v. 45: *Othrys*, inquit, *est mons Thessaliae, super quo urbs Phylace, cui imperavit Iphiclus.*

AE. RRRR.

PAGASAE.

Ad sinum cognominem.

Autonomus ΠΑΓΑΣΑΙΩΝ scriptum intra coronam hederaceam apud solum Goltzium, qui numus si verus est, est potius Parii Mysiae. (Sestini Lettere T. III. p. 28.)

PELINNA.

Secundum Stephanum in Phthiotide, sed Cellarius Estiaeotidi inserendam ducit.

Vir nudus gradiens pendente retrorsum pileo taurum cornibus retinet. Ϟ ΠΕ. *Equus liber currens.* AR. III. (Pellerin.)

Typus plane Thessalicus numum hunc absque dubio Pelinaeum facit, praecipue cum aptior alter locus a ΠΕ. incipiens in Thessalia non reperiatur, cui hic esset numus tribuendus.

* * *

Eques citato cursu. Ϟ ΠΕΛΙΝΝΑ. *Vir armatus cum hasta et clypeo irruens.* AR. AE. (Haym, Hunter.)

AR. RRRR. AE. RRR.

PERRHAEBIA.

Vir nudus taurum dimidium prehensis cornibus retinet. Ϟ ΠΕΡΑ. *Equus dimidius.* AR. III.

Praeclarum hunc numum, et hactenus unicum ex museo Em. Cardinalis Borgia vulgavi [e]). Ex typis continuo patet, esse Thessalicum, ut supra in Prolegomenis ad numos Thessaliae dictum. Epigraphe ΠΕΡΑ. eum esse regionis Perrhaebiae indicat sic dictae ab incolis Perrhaebis, quorum pars habitavit in septemtriones ad Olympum montem, pars in meridiem ad Pindum. Vide Strabonem et Scymnum Chium [f]). Scriptores veteres in exarando regionis hujus vocabulo plerumque geminant P, quod in hoc numo simplex est. At fuere etiam, quibus simplex placuit. Quid quod Homerus syllabam primam corripuit certo simplicis P argumento [g]). Vide de hoc plura in citatis meis commentariis. Compendium ΠΕΡΑ. pro ΠΕΡΑΙ. ejusdem est rationis, cujus est scriptum ETBO. pro ETBOI.

AR. RRRR.

PHACIVM.

Circa amnem Apidanum.

Caput virile incertum. Ϟ ΦΑΚΙΑΤΩΝ. *Eques.* AE. (Arigoni.)

AE. RRRR.

---

e) Sylloge I. in Parergis. f) v. 577. et 614. g) Il. B. 749.

Digitized by Google

PHALANNA.

In Pelasgiotide.

Autonomi: ΦΑΛΑΝΝΑ. ΦΑΛΑΝΝΑΙΩΝ. Typi: *Caput virile nudum.* ℞ *Caput muliebre reticulo tectum.* (Mus. Caes.) *Equus gradiens.* (Beger.) *Lupus.* (Hunter.)

Ad hanc urbem Wildius diu fluctuans tandem adegit autonomum inscriptum ΙΠΠΙΑΣ, quia ait Stephanus, Phalannam olim Hippiae nomen tulisse [h]). At hic numus est Cymes Aeolidis, ut in hac probabitur.

Numum alium Phalannae nomine inscriptum vide in Phalanna Cretae.

AE. RRR.

PHARCADON.

In Estiaeotide. Straboni scribitur *Pharycadon*, Stephano *Pharcidon*, sit tamen, Theopompo dici *Pharcadon*, cum quo postremo conspirant numi.

ΦΑRΚΑΔΙΟΝ. *Pallas stans.* ℞ *Equus gradiens.* AR. III.

Numum hunc vetustate insignem edidi ex museo M. Ducis. (Num. vet. p. 90.)

ΦΑΡΚΑΔΟ. *Equus dimidius saliens.* ℞ *Vir nudus pileo post tergum defluo dimidium taurum cornibus retinet.* AR. III. (Pellerin.)

AR. RRR.

PHARSALVS.

In Phthiotide cum campis civili Romanorum sanguine foede rigatis.

Autonomi in antica constanter *caput Palladis*, vel *ejus protomen adversam* offerunt. ℞ ΦAR. ΦAP. ΦAPΣ. Typi: *Caput equi*, vel: *eques, etiam hastam in adstantem hostem vibrans.* AR. AE. (Mus. Caes. Haym, Pembrock, Pellerin.)

* * *

Caput Palladis, pone THIΩ. ℞ ΦAP. *(retrograde.) Eques citato cursu d. hastam super humero, in imo:* TEΛEΦAN-TO. *(retrograde.)* AR. III. (Haym T. II. tab. 23.)

AR. RR. AE. RRR.

PHERAE.

Vrbs perantiqua in Pelasgiotide, ab Alexandri tyranni, qui Amyntae II. aetate urbem tenuit, crudeli dominatu cognita.

Vir nudus taurum reluctantem cornibus retinet. ℞ ΦEPAION. *Equus liber currens intra quadratum.* AR. III. (Liebe p. 206.)

Numus propter vetustatis longae indicia insignis. Typorum explicationem pete ex prolegomenis ad hujus regionis numos.

* * *

Caput muliebre adversum laureatum. ℞ ΦEPAIΩN. *Mulier equo currenti insidens praelongam facem utraque manu tenet.* AE. II. (Hunter.)

Singularis est typus partis aversae. Mulierem face instructam quam aliam statuemus, nisi Cererem, cujus propter

h) Num. sel. p. 75.

Digitized by Google

causas notas propria fax? ac tum typus commonefacit ejus, quod narrat Pausanias [i]): Neptunum Cereris amore insanientem, dum filiam amissam quaeritaret, vitium deae offere meditatum. Quod illa amantis consilium cum persentisceret, in equam sese convertit eodem cum armentis convictu usa. At deus marinus fraude intellecta, ne mulieris artibus victus videretur, equum et ipse mentitus imprudentem in retia trahit, ex quo consortio exactis mensibus natus famigeratus equus Arion. En verisimile numi argumentum, in quo exprimendo istud solum contra Pausaniae narrationem mutavit artifex, quod Cererem non equam, sed deam finxit, eo, ut videtur, consilio, ut vis deae illata certius intelligeretur. Qua ratione fabula haec, quam in Arcadia contigisse tradit Pausanias, cum Pheris connectatur, ignoro. Idem alibi narrat, fuisse apud Phigalenses Arcadiae signum Cereris capite equino [k]). Similem aversam habet numus Antonini, quem edidit Buonarrotius, qui multum laborat, ut ex hac equite Faustinam faciat Dianae specie vectam [l]).

* * *

Caput muliebre. Ϟ ΦΕΡΑΙΟΝ. *Fons ex leonis rictu promanans.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

Argumenti causa conjungo numum Lariseae:

ΛΑΡΙ. *Mulier stolata amphoram genui impositam tenens revertitur a fonte, qui ex leonis faucibus profluit.* Ϟ *Equus gradiens, supra quem parvum caput animalis.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

In praeclara haec duo M. Ducis cimelia late olim philologiae causa commentatus sum [m]), ex quo tentamine haec compendio excerpo. Vterque numus fontem sistit, quem fuisse magni apud veteres nominis vel istud testimonio est, quod numorum praeconio commendari meruit. Et vero narrat Strabo [n]), in media Pherarum urbe fluxisse fontem dictum *Hypeream*, celebratum quoque Pindari, et Sophoclis carminibus, quos ibi citavi. Sed et ejus meminit Homerus, Hectore sic Andromachen compellante [o]):

Και κεν ἐν Αργει ἐοσα προς ἀλλης ἱστον ὑφαινοις;
Και κεν ὑδωρ φορεοις Μεσσηιδος, ἠ Τπερειης;
Et Argis cum eris, cum alia telum texas?
Et aquam feras ex fonte Messeide, vel Hyperea?

Argorum cum meminerit Homerus, credidere nonnulli etiam veterum, quos inter Valerius Flaccus, et Messeiden et Hypeream in Peloponneso fluxisse, ne uno servitio cogeretur Andromache lanificium exercere Argis, altero haurire aquam ex dissita in Thessalia Hyperea. Sed enim Homerus eo versu non Argos Peloponnesi, sed quod alio loco *Pelasgi-*

---

i) L. VIII. p. m. 649. k) L. VIII. p. 686. l) Osserv. p. 42. m) Num. vet. pag. 86. n) L. IX. p. 439. o) Il. Z. v. 457.

Digitized by Google

cum vocat, intelligit, quod situm in Thessalia copiosis veterum testimoniis comprobatur. Ex quo indubitatum, hanc Homeri Hypeream esse eandem, quae ab aliis apud Pheras constituitur.

Consequitur etiam, alterum Homeri fontem Messeidem inde procul distare non potuisse. Eum et Plinius in Thessalia locat p), et Strabo ipsi Hypereae vicinum facit q). Si vera sunt aliquot veterum scholiastarum oracula, quae indicavi, Thessalicum illud Argos idem fuit cum Larissa, quibus insigne pondus addit Lucanus r):

Atque olim Larissa potens, ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant.

Cum ergo certum sit, Homericum illud Argos esse in Thessalia, verisimile est, a Poeta hanc Larissam notari, et fuisse Messeiden celebrem ejus urbis fontem, quem adeo, perinde ac Hypeream, in conjuncto Larissae numo expressum conspicimus. Facilior Homerum explicandi ratio erit, si cum Strabone statuamus s), Argos hoc Pelasgicum non fuisse urbem, sed Thessalorum campum Peneo, Thermopylis, Pindo interceptum, qua in regione cum et Pherae et Larissa steterint, verba Homeri pronum hunc explicatum habent: *Et cum in Argis Pelasgicis captiva sedebis, regione Thessaliae, et Achilli obnoxia, an volupe tibi erit, sub alienae imperio telam texere, et ferre aquam sive ex fonte Messeide, qui est Larissae, sive Hypereа, qui Pheris?* Lege etiam, quae Dionysius Halic. de Pelasgis Argivis in Thessaliam commigrantibus perhibet t).

Juvat ad propositum Larissae numum advertere, cum typus mulieris a fonte cum amphora reducis tam belle cum Homeri verbis conspiret, verisimile videri, voluisse Larissaeos ad hoc Hectoris vaticinium adludere, et signasse Andromachen istud servitium reipsa subeuntem, urbibus nimirum Graecis omnem ab Homero de se factam mentionem honorificam putantibus.

AR. AE. RRR.

PROERNA.

In Phthiotide.

Autonomum argenteum obtulit Pellerinius, ΠΡΩΑΝΩΝ. *Clava.* At haec urbs scribitur Προσερνα Straboni, *Proerna* Livio, Προαερνα Stephano, ut adeo nondum liqueat, numum huc pertinere.

PYTHIUM.

In Pelasgiotide, aliis inter Macedoniae urbes putantibus.

Autonomum aeneum produxit Pellerinius (Rec. I. tab. XXXII, n. 53.): *Caput Palladis* Σ ΠΤΘΙΕ. *Pilei Dioscurorum medio cornucopiae.* Simillimum ex Hunteriano edidit Combius, nisi quod is in suo legeret ΠΤΘΙΣ, et pro cornucopiae videret caput gryphi. Eos uterque auctor huic Thessaliae Pythio largitus est. Quoniam pilei Dioscurorum, tum et gryphus

---

p) L. IV. §. 15. q) L. IX. p. m. 660. r) L. VI. 355. s) L. V. p. m. 221, et L. IX. p. 431. t) L. I. c. 17.

Digitized by Google

obvii sunt in numis Phocaeae Ioniae, necesse erit, utrumque hunc numum procul a Thessalia habere, et Phocaeae restituere.

SCOTVSSA

In Pelasgiotide.

Equus dimidius. ℞ ΣΚΟ. *Planta mihi ignota.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Typus equi monet, hos numos ad hanc Scotussam pertinere, non ad alteram Strymoni adsitam in Macedonia adjecta, et probatur ex Thessalorum numo cum simili plantae typo a me supra memorato. Numos hujus Scotussae omnes necesse est perantiquae esse fabricae, nam eam excisam ab Alexandro Pheraeo V. C. 382 refert Pausanias [u]).

AR. RRR.

THIRROS.

Obscura urbs, et Stephano ex solo Lycophrone nota, cui Pellerinius aeneum inscriptum ΘΙΒΡΩ. typo *clavae, arcus, et pharetrae* largitur, nescio an satis tuto.

TRICCA.

In Estiaeotide.

Aries dimidius. ℞ ΤΡΙ. *intra quadratum.* AR. III.

Ex Triccae numis hactenus notis antiquissimus. Eum edidi ex museo Savorgnan. (Num. vet. p. 90.)

* * *

Vir nudus rejecto post tergum pileo taurum dimidium cornibus retinet. ℞ ΤΡΙΚΚΑΙΟΝ, *etiam retrograde. Equus dimidius saliens.* AR. III. (Mus. Caes.)

* * *

Caput muliebre. ℞ ΤΡΙΚΚΑΙΩΝ. *Aesculapius sedens d. pateram, ex qua serpentem adsurgentem pascit, s. hastam.* AE. II. (Mus. M. Ducis.)

Testibus Strabone [x]), et Themistio [y]) stetit Triccae antiquissimum Aesculapii templum, atque adeo per religionem sacrum, ut ad ejus formam, quod idem alibi narrat [z]), aliud in Gerenia Messeniae aedificaretur. Ejus ibi cultus causa exstitit, quod oppidanis natum apud se hunc deum creditum fuit [a]). Idem Aesculapius apud hanc urbem medicorum numerum auxit, natis ibi ex se Podalyrio et Machaone [b]). Vide de hoc argumento plura in meis Numis vet. p. 91, quo loco numum hunc vulgavi.

AR. RRR. AE. RRRR.

INSVLAE

juxta Macedoniam et Thessaliam.

HALONESVS.

Macedoniae adsita.

Caput muliebre velatum adversum ℞ ΑΛΟ. ΦΙΛΙΠ. *Aquila serpentem depascens.* AE. III. (Pellerin.)

Idem aversae typus est in numis Amyntae II. Macedoniae regis, et vicinae Chalcidis Euboeae. Vtrum το ΦΙΛΙΠ.

---

u) L. VI. c. 4. x) L. IX. p. m. 437. y) Orat. XXVII. p. 333. z) L. VIII. pag. 360. a) Strabo L. XIV. p. 647. b) Dictys Cret. L. I.

Digitized by Google

proprium urbis magistratum, an Philippum II. notet, incertum. Istud ex Stephano constat, Athenienses et Philippum hujus insulae causa collisos fuisse. Impugnatam a Khellio lectionem ΑΛΟ. pro ΧΑΛ. iterato tuetur Pellerinius [c]).

IRRHESIA.

De numis huic tributis vide Irenem insulam Argolidis.

PEPARETHVS.

Juxta montem Atho.

Autonomi:

Epigraphe: ΠΕ. ΠΕΠΑ. ΠΕΠΑΡΗ. ΠΕΠΑΡΗΘΙ. Typi: *Pallas hastam vibrans.* Ϫ *Noctua.* — *Caput Bacchi* vel *Jovis* Ϫ *Diota.* AE. III. (Pellerin, Hunter, Mus. Caes.)

Peparethum Sophocles vocat εὐβοτεύν, *feracem uvarum* [d]), et Peparethi vinum laudibus effert Plinius [e]). De eadem Ovidius [f]): *nitidaeque ferax Peparethus olivae.* Habes hinc explicatos typos Bacchi et Palladis.

Similem Arigonius perperam *Pegis* tribuit.

* * *

Caput Apollinis Ϫ ΠΕ. *(in monogr.) Caput arietis, omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Combius in catalogo musei Hunteriani similem Peparetho tribuit, sed vereor, ut numus hic, aliique omnes solo ΠΕ. inscripti, quos huic insulae largiuntur antiquarii, huc vere pertineant.

* * *

Numus Goltzii ΠΕΠΑΡΗΘΙΩΝ cum obscoeno viri et Centaurae typo conspectus alibi non est.

AE. RR.

Imperatorii:

Cum capite Augusti editi sunt a Vaillantio et Morellio. (Thes. impp. T. I. p. 432.)

Epigraphe: ΠΕΠΑΡ. vel ΠΕΠΑΡΗΘΙΩΝ. Typus: *Caput Jovis.*

AE. RRRR.

SCIATHVS.

Magnetidi Thessaliae opposita.

Caput muliebre. Ϫ ΣΚΙΑΘΙ. *Caduceus.* AE. III. (Pellerin.)

AE. RRRR.

LIBVRNIA.

ALVONA.

Autonomum dubium huc refert Pellerinius inscriptum ΘΕΙΣ. ΑΛΤΟΝ. typo *clavae.* (Rec. T. I. p. 75.) Alium inscriptum ΑΛΤ. eidem huic urbi tribuit Combius, sed quem potius credam tribuendum Alyziae Acarnaniae, quam vide.

---

c) Suppl. I. p. 63. d) Philoct. v. 555. e) L. XIV. c. 7. f) Met. L. VII. v. 470.

Digitized by Google

JADERA.

Non existimo, hujus urbis unquam extitisse monetam, etsi eam promulgarint Goltzius, Ligorius, Spanhemius. Vide Hardouinum in Numis urbium illustr. sub *Jadera*.

DALMATIA.

Communis gentis, ejusve urbium moneta non exstat. Et vero pecunia signata omnino caruisse Dalmatas, narrat Eustathius s).

Sunt tamen aenei III. formae, qui metallorum hujus regionis meminere inscripti: METAL. DELM., quos omnes recensebo et explicabo in classe monetae Romanae sub finem numorum Trajani.

ILLYRICVM.

AMANTIA.

Maritima versus Epirum.

Caput Jovis. Ʒ AMANTΩN. *Fulmen, ornata intra lauream.* AE. II. (Pellerin. Mus. Caes.) Alios vide in Theupoli.

AE. RR.

APOLLONIA.

Maritima, et ejus tractus nobilissima. Scriptores eam dixere Corinthiorum et Corcyraeorum coloniam, sed Corcyraeorum fuit proxime, quod et manifestant numi, at Corinthiorum ἀνατθεν, nam ipsi Corcyraei Corintho fuere oriundi.

Autonomi:

ΤΙΜΟΚΡΑΤΗΣ. *(vel aliter) Bos vitulum lactans.* Ʒ ΑΠΟΛ. ΦΙΛΟΚΛΕΟΣ. *(vel aliter.) Area quadrata in quatuor partes secta.* AR. III.

Numi hi drachmae pondere obvii sunt, quibus conjungimus Dyrrhachenos propterea, quod pondere, metallo, typis, inscripto duplice magistratu, quorum unus constanter in recto, alter in gigneudi casu, ut ovum ovo sunt simillimi. Solum discrimen, praeterquam quod in his ΑΠΟΛ., in illis ΔΤΡ. legatur, est, quod in Dyrrhachenis bos vitulum lactans corpus in Orientem convertit, et Occidentem respectat, quam legem constanter in his video observari, demptis nonnullis didrachmis, sed qui vetustioris sunt fabricae. At Apolloniae bos vertitur in Occidentem, et respicit in Orientem, quae tamen lex Apolloniatas minus strinxit, nam sunt nonnulli, in quibus bos Dyrrhachenorum morem sequitur. In his utriusque partis typus ex Corcyrae, quae et Apolloniae, et Dyrrhachii mater exstitit, ingenio est, in

s) ad Dionys. Perieg. v. 98.

Digitized by Google

cujus numis utrumque videas argumentum, quod in hujus insulae numis pertractabitur.

Disserendum etiam, quam habeat significationem in utriusque urbis numis magistratus notatus hinc in recto, inde in obliquo. Erant, qui more in Graecis recepto adstitutam patris mentionem opinabantur, quos inter video Froelichium[b]) sic ut hinc ΤΙΜΟΚΡΑΤΗΣ, illinc ΦΙΛΟΚΛΕΟΣ indicet Timocratem Philoclis filium. At istud verisimile non est; nam in solo museo Caesareo extant numi Dyrrhacheni VIII., in quorum antica legitur ΑΛΚΑΙΟΣ variantibus in aversa nominibus in gignendi casu, quae in hac sententia indicarent totidem patres, quorum quivis *Alcaeum* aliquem habuisset filium reipublicae munijs admotum. Idem valeat de Menisco, Xenone, Perigene, Stephano, Sostrione, Philone, quorum quivis alia habet in aversa sociata nomina. Accedit, rara esse in numis exempla additae patris mentionis, praecipue ut filius in una facie memoretur, patre in aliam trajecto. In Patrarum Achaiae, et Erythrarum Ioniae numis pater et filius eadem facie exarantur. Sed quid externa commemoro, quando adsunt domestica? Est in museo Theupoli argenteus hujus Apolloniae, in cujus antica: ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΟΥ. ΒΑΡΧΙΔΟΥ. (forte ΒΑΚΧΙΔΟΥ.) Repudiata igitur jure hac sententia sic ea vocabula explicanda censeo, ut utrumque notet urbis magistratum diversa auctoritate praeditum, et in eo, qui in gignendi casu effertur, subaudire oporteat praepositionem ΕΠΙ. Nam si certum est, eandem subaudiri debere in ejusdem Apolloniae numis, in quibus unius tantum magistratus fit mentio, ceu in argenteo proxime sequente ΑΙΝΕΑ, aut in aeneis inscriptis: ΕΤΠΟΛΕΜΟΣΧΟΥ, aliisque variis Dyrrhachenis, nescio, cur istud adplicari non possit, ac debeat in his, de quibus agimus, numis, etsi aliud quoddam alterius viri nomen in altera numi parte existat. Plenam huic sententiae lucem adfundunt numi Smyrnae, in quorum una parte est v. c. ЄΠΙ. ΜΤΡΤΟΥ, in altera: CMTP. ΡΗΓЄΙΝΟC. Igitur το ΕΠΙ, quod in Smyrnae numis propalam est, in Apolloniae et Dyrrhachii numis subaudiri debet.

* * *

ΑΙΒΑΤΙΟΣ. *Bos vitulum lactans.* Ϫ ΑΠΟΛ. ΧΑΙΡΗΝΟΣ. *Quadratum, intra quod monticulus ignivomus, et pedum.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. *Pedum.* Ϫ ΑΙΝΕΑ. *Monticulus ignivomus.* AR. III. (Mus. M. Ducis.)

ΔΩΡΙΟΝΟΣ *(vel aliter.) Caput Apollinis laur.* Ϫ ΑΠΟΛ. ΑΝΔΡΟΜΑΧΟΣ. *(vel aliter.) Tres virgines stolatae junctis manibus chorum ducentes medio monticulo ignivomo.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Mons ignivomus intra lauream. ΣΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. *Lyra.* AE. (Arigoni.)

---

b) Not. elem. pag. 30.

Digitized by Google

Illustres duo numi priores a me primum reperti atque editi [i]) simul, cujas esset tertius jam pridem cognitus, docuere. Ex iis, quae ibi fuse disserui, pauca excerpo. Monticulum ignivomum, quem hi numi sistunt, esse collem Apolloniae vicinum, visum saepe flammis collucere, ac propter miraculum istud per religionem sacrum, ex copiosis certisque veterum testimoniis comprobavi. Simile prodigium observari prope Phaselidem Lyciae narrat Ctesias in Indicis teste Photio [k]). De Argaeo Cappadociae idem testantur numi et scriptores. Commode in numo III. adstant tres virgines, quae quoniam chorum ducunt, certae sunt Nymphae. Et vero ex iisdem auctoribus constat, eum locum dictum *Nymphaeum*, id est: *fanum, seu delubrum Nympharum*. ut explicat Suidas [l]). Quam inique aut Pellerinius numum hunc Apolloniae Thraciae adscripserit, aut Winckelmannus pro Nymphis tres Horas dixerit, abunde ibi, tum et in mea Sylloge I. demonstravi. Ea, quae dixi, etiam a numis imperatoriis comprobari mox intelliges.

Male is, qui postremum Arigonianum pinxit, arbores putavit, quod reipsa flammae sunt ex collis superficie promicantes.

* * *

Numi Apolloniae reliqui fere omnes sunt aenei. Epigraphe constans: ΑΠΟΛ-ΛΩΝΙΑΤΑΝ, Dorica pro more ejus tractus, et fuere Apolloniatae per Corcyraeos Corinthii, et quod sequitur, Dores. Vix aberraveris, si numos omnes sic Dorice inscriptos huic Apolloniae tribues, ut dicetur mox in imperatoriis. Typi: *Caput Apollinis*, *Dianae*, *Bacchi*, *Jovis*, in aversa *attributa varia*. Magistratus in his quoque, sed tantum simplex, ut ΕΤΙΠΟΛΕΜΟΣΧΟΥ. (Mus. Caes.)

AR. C. AE. R.

Imperatorii.

Cum plures numero Apolloniae extiterint, huc referendos omnes censeo, qui Doricum ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ inscribunt, neque enim alias Apollonias, quotquot numos signasse constat, dialecto Dorica usas novimus, etsi Vaillantius eundem Dorismum in numis Apolloniae ad Rhyndacum videat, in quibus multo adcuratior Pellerinius semper vidit ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. Hac lege habemus hujus urbis numos ab Augusto usque ad Moesam, quin et Gallienum, cujus numum mox dabo.

Typi illustriores sunt:

Tres Nymphae chorum ducentes, *in imo Nymphaeum ardens*, in numo Caracallae. (Pembrock P. III. tab. 81, Theupoli.)

Vtriusque musei auctor illud, quod in imo est, aram aut dixit, aut in numi imagine finxit. Ex his, quae in autonomis diximus, liquet esse Nymphaeum.

---

i) Num. vet. p. 91. k) Cod. 72. l) in Νυμφαιον.

Digitized by Google

Magistratus: ЄΠΙ.ΚΛΑΤΔΙΟΤ.ΡΟΤ-ΦΟΤ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ, in numo M. Aurelii. Vaillantius numum Apolloniae Lyciae tribuit, causam non addit. Ex lege epigraphes huc pertinet.

ΑΤΟΡΚΑ. *Scriptum infra templum 8 columnarum, in cujus aditu figura militaris stans*, in numo Gallieni m. m. (Mus. princ. Waldeck). Non dubito esse nomen magistratus in Dorico gignendi casu.

AE. R.

BYLLIS.

In litore infra Apolloniam.

Caput Palladis Ξ ΒΤΛΛΙΟΝΩΝ. *Clava intra lauream.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Jovis. Ξ ΒΤΛΛΙΟΝΩΝ. *Cornucopiae, cui implexus serpens.* AE. III. (Pembrock.)

AR. Goltzianus. AE. RRRR.

DAORSI.

Populus Illyrici dictus Plinio *Daorizi*, Straboni Δαοριζοι, Vellejo *Daorisi*, quos difficili bello perdomuit Tiberius [m]). Livio in dandi casu *Daorseis* [n]), fors ἀρχαϊκως pro *Daorsis*, ut in numo Augusti *servateis*, pro *servatis*, Appiano Δαρσοι [o]).

Caput virile imberbe pileo tectum. Ξ-ΑΟΡΣΩΝ. *Navis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Eximius hic numus a me olim editus [p]) ejusdem est fabricae et typi cum numo Gentii Illyrici regis, de quo infra, ut adeo et praesens numus absque dubio sit Illyrici, et Daorsorum, etsi non appareat litera ἀρχαικα Δ, quae excidit matrice nimis sinistrorsum aberrante. Caput etiam anticae per oris lineamenta ipsum Gentium refert. Revera Daorsos fuisse Gentio subjectos, et hoc victo immunitate donatos, tradidit Livius [q]). Numus simillimus nuper ab Exc. Comitissa Bentinck editus integrum vocabulum ΔΑΟΡΣΩΝ exhibet [r]).

AE. RRRR.

DYRRHACHIVM.

Maritima, qua proximus in Italiam trajectus. Olim dicta *Epidamnus*, serius Dyrrhachii nomen praevaluit, non tamen indita a Romanis hac appellatione, quibus *Epidamni* vocabulum velut in *damnum* ituris omen fuisset visum, etsi in hoc conspirent Plinius, Mela, Festus, et more suo nugetur Plautus [s]):

Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est,
Quia nemo ferme huc sine damno divortitur.

Si novum dare urbi nomen placuisset Romanis, dedissent ex lingua sua, quod fecere passim alibi, non Graeca, et si omen sinistrum fuisset causa mutandi nominis, non suffecissent nomen alterum aeque obscoenum *Dyrrhachii*, quod *malas cautes* notat, mali sane, si portum spectes, omimis. Istud adeo verum, ut teste Appiano [t]) e converso Corcyraei multo ante ex hac sinistri nominis causa mallent hanc urbem pro Dyrrhachio vocare Epidamnum. Plurimum autem

---

m) L. II. c. 115. n) L. XLV. 26. o) Illyric. c. 2. p) Num. vet. p. 95. q) l. c. r) Suppl. au Catal. p. 154. s) Menaechm. Act. II. sc. 1. t) bell. civ. L. II.

Digitized by Google

hanc ipsorum veterum sententiam labefactant numi fideles, quorum multi antiquissimi operis jam inscribuntur ΔΤΡ. cusi profecto ea aetate, qua fere ignota Romanis adhuc fuit Graecia.

Epidamni nomine, quod tamen vetustius fuisse perhibetur, nullam habemus monetam; numi omnes, qui superant, etiam antiquissimi Dyrrhachium vocant, cujus rationem expeditam non habeo, sed mire etiam discrepant scriptores, cum hujus urbis meminere. Plerique Epidamnum et Dyrrhachium unam eandemque urbem faciunt, addito plerumque: *Epidamnus, quae nunc Dyrrhachium.* Strabo sic vocatam dicit a peninsula, cui Dyrrhachii nomen fuit, et cui insedit. Pausanias [u]) Dyrrhachium ab Epidamno paullo remotum facit. Dio nutat, sitne urbs una, an duae [x]). Omnium explicatissime istud persequitur Appianus [y]). Narrat, Epidamnum a rege cognomine prope mare aedificatam. Ejus nepotem Dyrrhachum conditae urbi addidisse navale appellatum de nomine suo. Huic in bello opem tulisse Herculem, cultum propterea a Dyrrhachenis tanquam alterum conditorem. Fuisse serius Dyrrhachenos a finitimis barbaris urbe pulsos adscitis Corcyrensibus, a quibus ominis causa urbs dicta Epidamnus, revixisse denique veterem appellationem Dyrrhachii. Variantes has sententias nunc componere non instituo; ad me tamen pertinuit comprobare ex numis, Dyrrhachii nomen fuisse pervetustum, neque illud a Romanis inditum.

Autonomorum ingens copia. Spectandi primum:

Argentei crassiores pervetusti, inscripti ΔΤΡ, rarius ΔΤΡΑ., neque alia urbis epigraphe in numis etiam serius signatis obtinet. Typus: *Bos vitulum lactans.* ℞ *Horti Alcinoi*, qui typus cum sit Corcyra tractus, de eo in hujus insulae numis agam. Fuisse autem Dyrrhachium Corcyrensium coloniam, abunde docent veteres, et definite Strabo, eam Κερκυραιων κτισμα appellans. Quin cum a finitimis barbaris gravius vexarentur Epidamnii, hi matris Corcyrae opem implorarunt, quod multis persequitur Thucydides, et Diodorus factum prodit ad annum V. C. 315. Quae causa fuit, cur metropoleos symbolis uterentur Dyrrhacheni.

Idem utrinque typus habetur in signatis serius drachmis, quae propter copiam contemnuntur, et dempto bovis situ simillimae sunt drachmis Apolloniae, quae ex eadem matre Corcyra Dyrrhachii soror fuit. In his gemini quoque magistratus, unus in recto, alter in obliquo, quorum centum omnino diversos solum museum Caesareum habet. Quae de his observanda sunt, jam praecepi in numis Apolloniae.

* * *

Caput Jovis. ℞ ΔΤΡ. ΑΣΚΛΑΠΙΟΤ. *(aut aliter). Tripus intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput virile nudum. ℞ ΦΙΛΩΤΑ. ΔΤΡ.

u) Eliac. II. c. 10. x) L. XLI. y) l. c.

Digitized by Google

Clava caduceo juncta. AE. III. (Mus. Savorgnan.)

Prior obvius, posterior perrarus, quem olim edidi [z]). Clava, quae etiam saepe in area didrachmorum conspicitur, confirmat id, quod perhibet Appianus [a]), Dyrrhachenos Herculem conditorem ferre, *non quod Dyrrhachum abnegarent, sed ut ambitiose originem suam ad deum potius referrent.* Teste epigrammate Christodori condita fuit ab Herculis filiis [b]).

* * *

Caput Herculis. Ϟ ΔΤ. *addito constanter* I. *Pegasus volans.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Similem edidit Pellerinius, sed inscriptum ΔΤΡ [c]). In V. integerrimis musei Caesarei legitur tantum ΔΤ et I, sive littera istud est, sive aliud signum. Referendos tamen Dyrrhachium non dubito, praecipue cum testetur Pellerinius, suum sibi hodierna Ragusa adlatum. Typi fatentur Herculem conditorem, et Corinthum metropolin.

De didrachmis, in quibus hinc: ΔΤΡ. *Caput Palladis*, illinc *Pegasus volans*, agetur in Corintho.

AR et AE. C.

MONVNIVS REX.

ΒΑCΙΛЄΩC. MONOTNIOT. ΔΤΡΡΑ. *Horti Alcinoi, in area quid clavae simile.* Ϟ *Bos vitulum lactans, superne maxilla.* AR. II.

Numum hunc edidit Pellerinius [d]), sed pridem ante descripsit auctor musei Theupoli, quem ipsum serius depictum restitui [e]). In eum olim commentatus Froelichius [f]) erudite conjecit, memoratum in hoc numo regem fuisse Dardanorum principem, quem Livius et Athenaeus male videntur dicere *Honunium*, vel *Menunium*. Haec eruditi viri sententia eo magis fit verisimilis, quia non modo constat, Dyrrhachium a vicinis barbaris vexatum, ut in ejus numis diximus, sed etiam illis nonnunquam parere fuisse coactum. Sane narrat Diodorus [g]), Epidamnum a Corcyraeis Glauciae Illyricano regi permissam. Potuit ergo esse tempus, quo et Monunio Dardano paruit, ejusque nomine monetam insignivit. Verum cum videam, etiam memorari a Goltzio numum Dyrrhachenum cum typis obviis, in quo recepto more bini leguntur magistratus, hinc MONOTNIOΣ, inde ΔΑΜΗΝΟΣ, quod quidem κειμήλιον dubiae fidei non est, cum simile alterum a se in Hungaria visum testetur Neumannus noster [h]), verisimile etiam, fuisse Monunium ex popularibus Dyrrhachenis unum, solito primum in sua civitate magistratu functum, sed qui subinde, ut saepe factum, tyrannidem, quin et regium nomen arripuit, quod tanto magis est verisimile, quia narrat Aristoteles [i]), Dyrrhachenos uni totius reip. administrandae curam deferre solitos. Haec postquam scripsi, Cl. Schönwisner rei antiquariae Pestini docendae praefectus mecum communicavit numum Dyrrhachenum solitae formae et typorum, sed ae-

z) Num. vet. p. 96. a) l. c. b) Brunck Anal. T. II. p. 472. c) Lettres p. 197.
d) Rois p. 33. e) Num. vet. p. 96. f) Reg. vet. num. anecd. p. 46. g) L. XIX. c. 78
h) Num. pop. p. 164. i) de Rep. L. III. c. 16.

Digitized by Google

neum, nimirum ut suspicor, animam argentei, etsi nullum argenti appareat vestigium. In ejus una parte est MONOTNIOΣ, in altera — ΑΔΙΛ - -

AR. RRRR.

SCODRA.

Hodie *Scuttari*, nonnihil a mari remotum. Plinio dicitur oppidum civium Romanorum, cujus et meminit Ptolemaeus nomine Σκοδρα. Livius situm prolixius describit [k]), aitque, fuisse Gentii regis velut arcem totius regni. Videtur haec urbs esse eadem cum illa, quam Appianus loco, ut conjicere licet, corrupto vocat Κοδροπολιν της Ιλλυριδος εν μεσῳ τω Ιονιω μυχω [l]), quam Octavianus et Antonius statuerunt limitem imperii inter se divisi, pro quo videtur legendum Σκοδροπολιν. Sic quae Istria, eadem et Istropolis, quae Trajana, Trajanopolis, quae Soli Ciliciae, et Solopolis. In marmore Gruteri invento apud hodiernum Scuttari legitur: REIP. SCODR [m]).

Caput Jovis. Ϟ ΣΚΟΔΡΕΙΝΩΝ. ΚΑΛΛΗΝΟΣ. in alio: ΣΚΟΔΡΙΝΟΝ. - - - OPOT. *Navis.* AE. III.

Anecdotos hos numos possidet Venetiis Exc. Jacobus Gradenigo, et similes edidit Neumannus [n]). Similem aversae typum habet numus Daorsorum, quem vidimus, et sequentis Gentii.

AE. RRRR.

GENTIVS REX.

Gentius Illyrici rex saevus ac stolidus a Perseo postremo Macedoniae rege spe trecentorum talentorum ad socianda contra Romanos arma incitatus horum legatis in vincula conjectis mox violati gentium juris poenas dedit. Nam V. C. 586. victus ab Anicio praetore et ad deditionem coactus bello intra XXX. dies confecto cum tota familia Romam perductus est, quod unum bellum teste Livio prius perpetratum, quam coeptum, Romae auditum est. Haec ex Livio, Appiano, Plutarcho Froelichius, qui ejus numum primus protulit [o]).

Numus:

Caput imberbe pileo tectum. Ϟ ΒΑCΙΛΕ - - ΓΕΝΤΙΟΥ. *Navis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hactenus alter hujus regis numus detectus non est. Supra monui, Daorsorum Illyrici numum, qui unicus item exstat in museo Caesareo, fabrica, metallo, volumine, utriusque faciei typo hujus esse simillimum. Etiam in proximae Scodrae numis ejusdem formae navis comparet. Quibus mutuis testimoniis praeclare omnium horum numorum statio comprobatur.

AE. RRRR.

INSVLAE ILLYRICI.

CORCYRA PARVA.

Hodie *Curzola.* De numis a Froelichio, aliisque huic tributis vide, quae in moneta Corcyrae magnae notabo.

---

k) L. XLIV. c. 31. l) Bell. civ. L. V. m) pag. 163. 3. n) Num. pop. T. II. p. 157. o) Reg. vet. num. p. 45.

Digitized by Google

DYSCELADVS.

Insula juxta Issam sequentem, memorata Apollonio p):

Ισσατε, Δυσκελαδος τε, και ἱμερτη Πιτυεια.

Sed vide de insulae hujus nomine, et, utrum existat, dubitantem Vossium apud Cellarium. Exstant *autonomi:*

Caput Herculis juvenis. ℞ ΔΥCKΛΑ. *Victoria gradiens s. oblongum palmae ramum tenet.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Conjicit Pellerinius q), scriptum in his numis ΔΥCKΛΑ pro ΔΥCKΕΛΑ. At enim mera haec est conjectura, neque ea tanti, ut ex his numis aut liceat statuere, fuisse aliquam hoc nomine insulam, aut si fuit, eos revera huc pertinere.

AE. RR.

I S S A.

Nobilis Adriatici insula propter Illyricum teste Strabone, et Hirtio r).

Caput Palladis. ℞ IΣ. *(etiam retrograde) vel:* IC. *Caper stans:* in aliis: *Cerva stans.* AE. II. III. (Mus. Caes.)

Caput virile imberbe nudum ℞ IΣ. *Diota.* AE. III. (Neumann.)

Botrus. ℞ IΣ. *Diota.* AE. III. (Neumann P. II. tab. 5.)

IΣΣA. *Caput muliebre.* ℞ *Astrum.* AE. III. (Neumann, Mus. Vitzai.)

Numos hos per varias hactenus urbes ab IΣ incipientes pro varia antiquariorum libidine vagatos in hac tandem insula stabilire adnisus sum, vix amplius, ut reor, loco movendos s). Capri typus potior causa fuit, cur huc applicarem. Istud animal per has insulas celebre fidem faciente Plinio t): *Contra Tragurium Bavo, et capris laudata Brattia, Issa civium Romanorum.* Ipsum Tragurium a Graeco τραγος, *caper*, ei animali est synonymum, atque eadem haec insula Issae colonia fuit auctore Strabone: Τραγκριον Ισσεων κτισμα, *Tragurium ab Issensibus conditum*, ex quo verisimile fit, nomen a metropolitis Issensibus Tragurio factum, quod seu capris ea ora abundavit, seu caper ex quacunque causa Issae fuit symbolum. Vide de hoc plura in citato meo opere.

Numum postremum IΣΣA Neumannus Issae Lesbi tribuendum putavit u). A fabrica similium numorum rudior, et plane ex natura insularum hujus tractus videtur eos potius huic insulae vindicare.

* * *

Eodem loco, tum et in Catalogo musei Caesarei huic quoque Issae tribuendos putavi numos, in quorum antica est caput Jovis, in aversa seu caper, seu cervus, seu animal ex utroque mixtum, et qui inscriptum IΣ offerre visi sunt, et sunt aenei fere I. formae. Sed errorem abstergit similis alter musei Neumanni, in quo distincte pro IΣ legitur ΔI. Sunt ergo hi numi, ut certe hujus tractus suadente fabrica, ita urbis a ΔI. incipientis.

AE. R.

---

p) Argon. IV. v. 565. q) Suppl. I. p. 33. r) Bell. Alex. c. 47. s) Num. vet. p. 97.
t) L. III. c. 30. u) Num. pop. P. II. p. 28.

Digitized by Google

PHARVS.

Insula Issae adsita, hodie *Liesina.*

Caput nudum imberbe. Σ ΦA. *vel scriptura retrograda* ΦAP. *Diota.* AE. III. (Mus. Caes. III. Gradenigo.)

Caput juvenile spicis redimitum. Σ ΦA. *Caper stans.* AE. III. (Mus. Caes. Arigoni.)

Idem, quod numis Issensibus, etiam his fatum obtigit a Froelichio Phaselidem Lyciae migrare jussis x). Vt in Pharum propenderem, impulit barbarum horum numorum opus a cultioris Graeciae ingenio alienum, tum vero quod a nobilissimo amico certior factus sum, frequentius eos in hodierna Liesina reperiri. Eos in Catalogo musei Caesarei jam Phari numis inserueram, cum judicium meum a viro ornatissimo Neumanno in opere suo, quod eodem tempore lucem vidit, confirmari cum voluptate vidi y). Ergo numum alterum Arigonius injuste Psamatho Laconiae tribuit.

Cum in Issae Pharo vicinae numis saepius caper conspiciendum se praebeat, suspicabar aliquando, huc referri posse numos cum epigraphe ΠΑΡΙ. et capro stante. Auxit conjecturam, quod hanc Pharum Scymnus Chius Pariorum maris Aegaei opus dixit z), tum et Strabo eam olim vocatam Parum adserit a), de quo vide plura, quae in meis Numis veteribus p. 98. notavi. At cum videam, conjecturam hanc minus probari viris cordatis, non gravate eam omitto.

* * *

Eidem insulae Pellerinius tetradrachmum obtulit inscriptum FAPIAIΩ-typo *semivolucris, et semivirginis.* Plures id genus numi sunt etiam in museo Caesareo, et constat etiam, esse ex eorum classe, qui copiose ex Transilvania una cum inscriptis BIATEC etc.: ad nos perferuntur. Alioqui et similem mercem nequaquam reperiri in insula Liesina, testatus est vir nobilissimus, qui, quae in hoc tractu longo usu didicit, benevole mecum communicavit.
AE. RR.

EPIRVS.

Universae gentis nomine *autonomi* copiosi et insignes habentur.

Capita jugata, Jovis corona querna redimitum, Junonis corona fastigiata. Σ. ΑΠΕΙΡΩΤΑΝ. *Bos cornupeta intra quernam.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput Jovis corona querna redimitum, addito in nonnullis magistratu, ut: ΑΤΣΗΝ. ΦΟΡ. *vel* ΜΤΡΤΙΛΟΤ. *etc.:* Σ ΑΠΕΙΡΩΤΑΝ. *Aquila stans intra quernam.* AR. II. (Mus. Caes.)

Epigraphe, ut in his, sic et in omni-

x) Not. elem. p. 85. y) Num. pop. p. 173. z) Vers. 425. a) L. VII. p. m. 315.

Digitized by Google

bus aliis Dorica pro ΗΠΕΙΡΩΤΩΝ. Jovis effigies et attributa propter Dodonam in Epiro sitam in hujus regionis moneta frequentior. Typus in aversa numi primi sive adludit ad taurum Jovis victimam, sive ad boum in Epiro excellentiam. Ovidius apri Calydonii mensuram definiens ait [b]: *quanto majores herbida tauros non habet Epiros.* Mos corona numi oram claudendi generatim in Epiri urbibus valuit, propagatus etiam in adsitum Illyricum.

* * *

Duo pilei Dioscurorum. Ʒ ΑΠΕΙΡΩ-ΤΑΝ. *scriptum inter radios astri.* AR. III. (Mus. Ill. Bar. Bruckenthall.)

Videbatur numus commemorandus propter insolentiam typi in urbibus Epiroticis. Eum edidi in meis numis veteribus.

* * *

Caput Jovis Ʒ ΑΠ., *in nonnullis in monogrammate. Fulmen intra quernam.* AE. II. III. (Mus. Caes. et Neumanni.)

Similem numum Pellerinius perperam Patris Achaiae tribuit [c].

* * *

In reliquis aeneis: *Pilum hastae — Fulmen — Tripus, semper corona typum ambiente.*

* * *

Huc etiam referri solent sequentes:

ΑΡΓΕΑΔΗΣ. *Caput Jovis laur.* Ʒ ΜΕ-ΝΕΔΗΜΟΣ. ΙΕΡΕΤΣ. *Protome Dianae.* AE. I. (Mus. Caes.)

ΜΕΝΕΔΗΜΟΣ. ΙΕΡΕΤΣ. *Caput Jovis laur.* Ʒ ΑΡΓΑΛΟΗΣ. *Aquila stans intra quernam.* AE. II. (Pellerin Suppl. II. pag. 93.)

Prior numus cognitus jam fuit Pellerinio [d], et Khellio [e], at in utroque nomen ΑΡΓΕΑΔΗΣ male sanum, quod in Caesareo est integerrimum. Quare et numum serius restituendum duxi [f]. Vterque quo numum referret, non reperit. Alterum subinde nactus Pellerinius hunc et praecedentem Epiri numis propter typum aquilae corona clausae, quoniam is in hoc tractu obvius est, inserere non dubitavit. Gnaviter istud, at nondum liquido. Si merx Epirotica, cur haec sola Dorismo abstinet? Scribendum sane tum fuerat: ΑΡΓΕΑΔΑΣ. ΜΕΝΕΔΑ-ΜΟΣ.

AV. Goltziani. AR. AE. R.

AMBRACIA.

Ad sinum cognominem, urbs nobilis et Pyrrhi regia.

Caput muliebre velatum. Ʒ ΑΜ. ΑΜΒΡ. *Meta intra lauream.* AR. (Pellerin.) AE. III. (Mus. Caes.)

Meta intra lauream obvius est typus in numis urbium Epiri, quanquam ejus certam causam ignoremus. Cur maluerit Pellerinius dicere obeliscum [g], non satis video.

---

b) Metam. VIII. 282. c) Suppl. IV. p. 60. d) Rec. III. tab. CXVII. e) Adpendic. II. f) Num. vet. p. 100. g) Rec. I. p. 79.

Digitized by Google

* * *

Caput virile barbatum cum cornu et collo tauri. Ɪ AMBP. *Bos cornupeta.* AE. III. (Pellerin.)

Caput simile. Ɪ AMBP. *Pagurus, in alio tridens.* AR, AE. (Goltz.)

Miratur Pellerinius, proponi in numis Ambraciae manifestum Acheloum, cum tamen urbs non huic Acarnaniae fluvio, sed alteri adsita fuerit, qui jam Arachtus, jam Arethon veteribus dicebatur. Suspicatur istud factum propterea, quod forte, etsi dissitus, tamen ex Epiro ortum ducit. Verior ratio videtur, quoniam aliquo tempore Ambracia revera Acarnaniae urbibus accensebatur. Ita Strabo [h]): *Sunt et aliae urbes, Palaerus, Alyzia, Leucas, Argos Amphilochium, Ambracia.* Sic et Mela eam oppidis Acarnaniae miscuit [i]), ex quo apparet, quodam tempore saltem aliquam utriusque regionis urbibus fuisse communionem.

* * *

Caput Jovis. Ɪ AMBP. *Gryphus, infra* APXIAΔAΣ, *aut aliter.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Solis radiatum. Ɪ AMBP. *Juppiter nudus gradiens fulmen intorquet.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vterque numus et Jovis, et Apollinis cultum conjungit. Hunc numus alter aperte profitetur, sed neque in praecedente ambiguum, cum gryphum sacrum esse Apollini animal constet ex numis Tejorum Ioniae, Aureliopolis Lydiae, Gallieni inscriptis APOLLINI. CONS. AVG., tum Claudiano [k]), et Philostrato [l]).

* * *

Numos Ambraciae, qui una inscribunt APIΣ., vide in numis Arisbae regis Epiri.

* * *

Numos inscriptos AMBPAKIΩTAN cum symbolis Corinthi, nempe capite Palladis, et Pegasi, eosque didrachmos, vide in numis coloniarum Corinthi. In numo simili musei Borgiani Veletris legitur AMΠPAKIΩTAN, qua scriptura praeclare confirmatur oratio Stephani adfirmantis, reperiri etiam scriptum *Αμπρακιωτης* [m]), et sic etiam passim scribit Thucydides. Apertius Eustathius [n]): *το δε Αμβραξ εἰσιν οἱ ἀρχαιοτερον δια τυ π γραφουσι, και δια τυτο και την χωραν Αμπρακιαν - - - πλειων δε ἡ δια τυ β γραφη.* Sic et Κανωβος et Κανωπος Aegypti urbs.

AR. RRRR. AE. R.

AORNVS.

Situ minus certo. Numum aeneum mutilum huc vocat Pellerinius, quod in eo legere sibi visus erat AOPNIΩN.

BVTHROTVM.

Maritima in Thesprotis.

Certus cum inscriptione Graeca nondum compertus. Ex autonomis editis unus est Goltzii, alterum Pellerinius huc

---

h) L. X. p. m. 691. i) L. II. c. 3. k) de VI. cons. Honorii c. 30. l) Vit. Apoll. L. III. c. 48. m) in Αμβρακια. n) ad Dionys. v. 493.

Digitized by Google

invitum traxit, quod in eo scriptum apparebat BOTΘPO o). Verum hic est Thuriae Messeniae, ut ipse lapsum suum profitetur serius p). Alium numum cum capite Pyrrhi et epigraphe BOTΘPΩTIΩN Goltzianum novimus.

* * *

Coloniae tamen nomine supersunt numi, iique partim *autonomi*, partim cum capite *Augusti*, quos, quoniam rariores sunt, operae pretium, ut editos reperio, recensere.

Antica incerta. ℞ C. PAET. QVIN. ITER. (Harduin.)

CAESAR. AVGVST. *intra quernam.* ℞ GRAECINVS. QVINQ. TERT. BVTHR. *Globus cum lituo.* (Maffei Ant. Gall. p. 117.)

BVTHR. *Tridens.* ℞ GRAECINVS. QVIN. PER - - *Pes humanus.* AE. II. (Pellerin Rec. I. p. 80.)

Fuit ergo hic Graecinus *quinquennalis tertium*, subinde *perpetuus*, si modo vere istud docet numus Pellerinii, qui in vocabulo PER est mutilus. Male similem epigraphen explicat Harduinus: QVIN*quennalia* ITER*um*.

BVTHR. AVGVSTVS. *Caput Augusti.* ℞ P. POMPON. C. IVLI. IIVIR. Q. *Pons.* (Morelli Impp. T. I. p. 378.)

De hoc ponte Plinius: *Amnis Acheron - - - mille pedum ponte mirabilis omnia sua mirantibus.*

C. A. BVT. EX. DD. *Caput Augusti.* ℞ Q. NAEVIO. SVRA. HIP. IVL. NIGER. IIVIR. *Figura militaris stans d. adstitutum* B *majus contingere videtur.* (Morelli Impp. T. I. p. 417.)

AE. RRR.

CASSOPE.

Tres hoc nomine urbes in Epiro aut vicinia a geographis memorantur. Harum unam maritimam Ptolemaeus in Chaonia, Strabo in Thesprotia constituit, Stephanus in Molossis, cujus sententiam firmat numus mox citandus. Alteram Epiri Cassopen mediterraneam conficit Ptolemaeus, sed parum cognitam. Tertia sita in propinqua Corcyra e regione Cassopes Epiroticae maritimae. Ad quam harum trium sequentes numi pertineant, mox indagabimus.

ΜΟΛΟΣΣΩΝ *intra lauream.* ℞ ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. *intra lauream.* AE. III. (Mus. ill. Gradenigo.)

Dixi, Cassopen a variis auctoribus variis gentibus adjudicatam, quae geographorum discordia in pluribus Epiri urbibus observatur. Ex quo apparet, alia aetate aliae genti urbes fuisse contributas. Ergo quo tempore praesens numus signatus est, Molossis accensebatur.

* * *

ΣΩΔΑΜΟΣ. *Caput Jovis.* ℞ ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. *Aquila fulmini insistens, omnia intra quernam.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΚΑΣΣΩΠ - - *Caput muliebre redimitum corona fastigiata floribus distincta.* ℞ *Aquila volans intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

---

o) Rec. I. p. 80. p) Suppl. I. p. 47.

Digitized by Google

Caput simile. Ϟ ΚΑΣΣΩ -- *Bos irruens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput simile. Ϟ ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. *Serpens ab ara adsurgens intra lauream.* AR. III. (Mus. ill. Gradenigo.)

Caput juvenile incertum. Ϟ ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ. *Diota intra lauream.* AE. III. (Ibid.)

Priores tres, qui ex museo Ilgneriano in Caesareum transiere, jam vulgavit ill. Comes Cristiani q). Horum primum esse Cassopes Epiroticae, persuadet typus plane Epiroticus. De numis sequentibus minus certum, an non aeque possint referri ad alteram cognominem in opposita Corcyra sitam. Epiroticam mavelt nobilis antiquarius capto augurio ab aquila, inscripto magistratu, corona ambiente, quae omnia fuere Epirotis usitata. Vt hanc sententiam non impugno, quam et verisimiliorem puto, ita certum tamen est, haec omnia in Corcyrae quoque numis observari.

Numum secundo similem Pellerinius perperam Lappae Cretae tribuit, cujus auctoritas et mihi imposuit, cum numum similem, qui minus integer obtigerat, in Catalogo musei Caesarei eodem referrem.

AR. RRR. AE. RR.

CHAONIA.

Pars Epiri hoc nomine. Numi duo, argenteus, et aeneus, soli Goltzio conspecti, quorum ille inscribitur ΧΑΩΝΙΑΣ, pro quo, ut ex typo apparet, certo legendum ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΝ; alter ΧΑΩΝΙΤΩΝ. Notandum, tertium elementum a veteribus nunquam per Ω, constanter per O scribi, quare et secunda syllaba a poetis corripitur. Vide Stephanum in *Chaonia.*

DAMASTIVM.

Ignoraremus, quorsum pertineant sequentes argentei, nisi lucem accenderet Strabo, qui post recensitas varias Epiri gentes haec obiter: πλησιον δε πυ και τα ἀργυρεια τα ἐν Δαμαστιῳ, *alicubi in vicinia et fodinae argenti, quae sunt Damastii.* Ex hujus ergo metalli proventu signati fuere numi:

Caput Apollinis laur. Ϟ ΔΑΜΑΣΤΙΝΩΝ. *Tripus.* AR. I. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput muliebre. Ϟ ΔΑΜΑΣΤΙΝΩΝ. *Serpens ex ara, cui insculptus caduceus, exsurgens.* AR. III. (Pellerin.)

Caput muliebre laur. Ϟ ΔΑΜ. - - - *Aciculus, caduceus.* AR. III. (Mus. Caes.)

Perperam numum ex descriptis primum Damasco Coelesyriae tribuerat Froelichius r), quem errorem re melius expensa pridem abstersit ill. Comes Cristiani s). Insignis est numus III., isque hactenus anecdotus, quia typo partis aversae comprobat id, quod de argenti fodinis apud Damastium sitis ex Strabone docui. Offert is malleum, qui altera parte in cuspidem abit, cujusque in latomiis, et metallis usus fuit. *Aciculum* dixere Latini, ut docebunt denarii

q) Adpendic. I. ad Gessn. r) Cimel. Vindob. s) Adpendic. I. ad Gessner.

Digitized by Google

Valerii Acisculi, qui causa adlusionis ad nomen instrumentum simile offerunt. Auctor anonymus in paraphrasi ad Dionysii Periegetae v. 1107, quae est apud Hudsonum t): μαχελλα δε και δικελλα, και ἀμαρα, και σκαπανη ὀρυκτικα εἰσιν ἐργαλεια.

AR. RRR.

HORREVM.

Exstant autonomi elegantis fabricae.

Caput Herculis laur., pone clava, intra coronam. Ꜩ OPPI. *Centaurus citato cursu singulis manibus singulos ramos bacciferos jactat.* AE. III. (Mds. Caes. alibi.)

Pellerinius in simili legit OPPE., at ego in omnibus, quorum plures integerrimos vidi, constanter OPPI. Cui urbi suus tribuendus esset, verebatur decidere Pellerinius u). Neque ego hoc fortunatior. Conjeceram olim, cum simile numisma vulgarem x), posse competere Horreo Epiri oppido bis a Livio memorato, juvante judicium istud etiam corona, quae more Epirotico numi oram ambit, et Centauro forte ex vicina patria Thessalia huc aberrante. Accepi, id genus numos frequentius reperiri in magna Graecia. Si huc pertinent, quam in hac habemus urbem ab OPPI incipientem?

AE. RR.

MOLOSSI.

Hi Epiri partem constituerunt, suntque habiti ejus gens nobilissima teste Strabone y). Fuere enim ex illustri gente Aeacidarum, cujus auctor Pyrrhus Achillis filius, et fuit apud eos Dodonae oraculum vetus, et fama late inclytum.

Autonomos cum mentione hujus gentis binos primus vulgavi, quorum unum videre est in meis Numis vet. p. 101.

ΜΟΛΟΣΣΩΝ. *Fulmen.* Ꜩ *Fulmen intra coronam.* AE. III. (Ex museo Savorgnan.)

Fulmen Jovi Dodonaeo sacrum, ut modo indicavi.

Alterum numum, in quo Molossorum nomen legitur, vide supra in numis Cassopes.

AE. RRRR.

NICOPOLIS.

Condita ab Augusto ad sinum Ambracium, monumentum victoriae de M. Antonio et Cleopatra ad vicinum Actium, deductis eo vicinarum urbium fere desertarum incolis, ut testantur Strabo et Pausanias z). Eas enumerat Antipater coaevus, Leucadem, Ambraciam, Thyrreum, Anactorium, Argos Amphilochium a).

Autonomi:

ΝΙΚΟΠΟΛΕΩϹ. *Caput muliebre turritum.* Ꜩ ΙЄΡΑϹ. *Pharus, aut meta.* AE. III. (Pellerin.)

Priorem numum alias edidi b). Sive pharus in hoc est, sive meta, utrumque Nicopoli proprium, cum quod urbs fuit

---

t) Geogr. min. P. IV. u) Rec. III. p. 109. x) Num. vet. p. 100. y) L. VII. p. 324.
z) Eliac. I. c. 23. a) Brunck Anal. T. II. p. 117. b) Num. vet. p. 102.

Digitized by Google

maritima, tum quod in hujus suburbio singulis quinquenniis ludi Actiaci ab Augusto ejus victoriae ergo constituti magna religione acti fuere, de quibus vide Strabonem. Certius hos ludos indicat numus alter. De epitheto ΙΕΡΑC vide numos imperatorum.

* * *

Notandum, numum argenteum, quem Pellerinius ob monogramma NK, quod is in NIK. resolvit, ad hanc Nicopolin refert [c]), esse potius Cyrenes, aut certé non hujus urbis. Praeter fabricae elegantiam in id genus numis, quorum plures exstant in museo Caesareo, obest etiam, quod paucissimae fuere Graeciae urbes, et praecipue Europaeae, quae Augustorum aetate monetam argenteam signassent. Aeneum, qui eadem tab. XII. n. 13. exhibetur, esse Epidauri Argolidis, in hac dicetur.

AE. RRR.

Imperatorii.

Copiosi sunt ab Augusto usque ad Saloninam.

Epigraphe: ΝΙΚΟΠΟΛΙC, vel ΝΙΚΟΠΟΛΕΩC, addito plerumque ΙΕΡΑC, de quo infra.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΤΙΣΤΗΣ., vel: ΑΥΓΟΥCΤΟC. ΚΤΙCΤΗC. nempe: *Augustus conditor* urbis saepius occurrit. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΚΤΙΣΜΑ. *(Augusti opus.)*

Caput Augusti nudum. ΥΝΙΚΟΠΟΛΙΣ. ΙΕΡΑ. *Victoria stans.* AE. fere II. Numus integerrimus. (Mus. Caes.)

ΙΕΡΑ. ΝΙΚΟΠΟ. *Caput muliebre turritum.* Υ CEBACTOY. KTICMA. *(Augusti opus.) Augustus fere nudus sedens d. Victoriam, s. hastam.* (Mus. Caes. Arigoni.)

Typi: *Victoria* frequentius, nimirum ex nomine urbis ΝΙΚΗΣ ΠΟΛΙΣ. — *Triremis*, ex memoria victoriae navalis. — *Porta urbis* etc. In nonnullis: *Apri caput telo transfixum*, quod forte mandibulam apri Calydonii notat, quam Augustus post victoriam Actiacam ex Tegea Arcadiae Romam transtulit, ut narrat Pausanias [d]). Incerti sensus est: *Mulier sedens d. spicas, infra quam tres figurae nudae se complexae expansis manibus natantium more*, in numis Philippi. (Arigoni, Theup.)

ΙΕΡΑ, sic dicta propter religionem ludorum Actiacorum, de quibus actum. Hoc addito discernit sese ab aliis hoc nomine urbibus quatuor, quae numismaticae fuere. Antipatro supra laudato dicitur Θειη πολις.

ΝΑΥΑΡΧΙΔΟC nomine compellatur in numo Antonini (Mus. Caes.), et Alexandri Sev. (Vaill.)

ΑCΥΛΟΥ in numo Plautillae (Vaill.), cui tamen lectioni diffido, nam is titulus in nullo alio hujus urbis comparet, etsi horum copiosos vulgatos habeamus ex museis Theupoli et Arigoni, et ipse Vaillantius, qui numum promulgavit, eam reticet in catalogo urbium asylo gaudentium. Quod amplius est, titulum asyli nulli urbium Europaearum in numis datum video.

---

c) Tab. XII. n. 11. d) L. VIII. pag. 694.

Digitized by Google

* * *

Ad hanc Nicopolin videntur revocandi numi, qui sine urbis mentione inscriptum habent AKTIA intra coronam. Idem videtur significare A solitarium intra coronam in numis L. Aelii et Antonini, atque etiam hos esse hujus urbis, docent numi Treboniani et Gallieni apud Arigonium, in quibus praeterea scriptum IЄPAC. NIKOΠOΛЄΩC, etsi non dissimulem, posse numos similes Argos pertinere; ut in hac monebo. Fuere, qui το A legerent *Αρτιοσια*. Similium numorum catalogum exhibet Neumannus e).

AE. C.

OMPHALE.

Autonomus ΩMΦAΛITΩN apud solum Goltzium.

ORICVS.

In Chaonia ad fines Illyrici, cui a nonnullis inseritur.

Caput Apollinis. ℞ ΩPIKIΩN. *Meta, omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Singularem hunc numum alias vulgavi f). Fuisse Oricum Apollini devotam, et dictam *vicum Apollinarem*, praesens numus, et inscriptio Gruteri a me ibi proposita comprobant.

Froelichius ex inscriptione dubia numi autonomi exsculpere nomen Orici conabatur g), at nunc constat, numum illum esse Mileti, qui etiam est in museo Caesareo.

AE. RRRR.

PHOENICE vel PHOENICAPE.

Caput Dianae. ℞ ΦOINIKAΠEΩN. *(contractis* Π *et* E.) *Pilum hastae intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes. et Gradenigo.)

Caput Jovis. ℞ *Eadem epigraphe. Fulmen intra lauream.* AE. III. (Mus. Gradenigo.)

Numi hi non solum typo sese Epirorotas profitentur, verum et in eadem Epiro repertos esse satis constat. Quare etsi urbis *Phoenicapes* nullus veterum meminerit, tamen Livius, Strabo, Ptolemaeus, Tabula *Phoenicen* in Epiro locant, et quidem in Chaonia alii, alii in Thesprotia. Quare dubium non videtur, numos hos ad hanc urbem, ut apparet, binominem, pertinere.

AE. RRR.

Imperatorii:

Exstant aenei III. formae.

ΦOINEIKAIΩN. *Bacchus d. poculum, s. thyrsum*, in numis Neronis. (Vaill. Theup.) In alio simili: *Caput imberbe nudum.* (Theup.)

ΦOINEIKAIEΩN. ΠE. *in alio:* ΠET, *Caput virile incertum*, Neronis. (Panel Mem. Trev. Octob. 1737. Catal. d'Ennery p. 585.)

ΦOINEIKEΩN. *Trajanus in equo currente.* AE. II. (Vaill.)

Hos numos Vaillantius a Phoeniciis communi gentis nomine signatos dixit. At mihi nimium insolens visum gentile sive Φοινικαιος, sive Φοινικευς, quod

e) Num. pop. P. II. p. 146. f) Num. vet. pag. 102. g) Not. elem. p. 105.

Digitized by Google

utrumque in numis suis reperit vir eruditus, cum verum Phoeniciae gentile fuerit Φοινιξ, vel etiam Φοινικος. Accedit, numos hos nihil ostentare ex ingenio numorum Phoeniciae. Quod si eodem referamus numos secundi loci, habebimus tertium gentile Φοινικαιευς. At vel ex his ipsis secundi loci numis videri possit, in similibus omnibus legendum ΦΟΙΝΕΙΚΑΠΕΩΝ, Π et E contractis, perinde atque in autonomis mox descriptis legitur. In numis non satis integris fieri facile potest, ut non facile appareat subtilis tractus lineae, quae Π et E conjungit. Quidquid erit, rem iis magis expendendam relinquo, quibus numi similes praesto sunt.

AE. RRR.

THESPROTIA.

Pars Epiri. Nomen ΘΕΣΠΡΩΤΙΩΝ reperitur tantum in numis regis Pyrrhi a Goltzio editis.

REGES EPIRI.

Vt Macedoniae reges Perseum et Herculem, ita Epiri principes Achillem, ejusque filium Pyrrhum Neoptolemum gentis suae auctorem ferebant. Ex quo adsidua in his nomina Aeacidis, Pyrrhi, Neoptolemi. Omitto vetustos illos, qui ex hac stirpe mox inde a Trojae excidio imperavere, quorum seriem videsis apud Reineccium, persecuturus solum reges numis insignes.

Fuere regi Aleetae filii Neoptolemus et Arisbas. Neoptolemus fratrem regni consortem facit, et eundem moriens tutorem liberorum, inter quos praecipui *Alexander*, de quo infra, et *Olympias* Philippi Amyntae uxor, Alexandri M. mater.

ARISBAS.

A veteribus dictus Arymbas, Arysba, Arybas. Fratri Neoptolemo partem Epiri extorquet, subinde ejus liberorum tutelam sancte procurat, et Olympiadem Philippo Amyntae collocat.

Ex uxore Troade natus *Aeacides*, de quo infra.

Numi:

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ɪ APIΣ. *Clava et pharetra.* AE. III. (Pellerin Rois pag. 29. Mus. Caes.)

Caput Herculis simile, Ɪ APIΣ. AMBPA. *Apollo nudus sedens d. arcum praetendit.* AE. III. (Pellerin Rec. I. p. 79.)

Horum priorem Pellerinius, quoniam simillimus est numis Macedonicis circum Philippi II. aetatem signatis, ac praeterea ex vetere Illyrico adlatus, huic Arisbae tribuere non dubitat. Sin jure istud, habemus verum regis nomen *Arisbae*, quem varie a veteribus proditum diximus. Haec cum alias constitueret vir eruditus, mirum, ab eodem eo APIΣ. numi alterius magistratum potius, et non etiam hunc

Digitized by Google

ipsum regem agnosci, cum nequaquam obstet addi nomen Ambraciae, in qua numus cusus, ut vidimus in numo Dyrrhachenorum scriptum regem Monunium.

Typus numi secundi offert hinc Herculem, inde Apollinem. Antoninus Liberalis narrat [h]), utroque deo inter se colliso, quod singuli Ambraciam suam vellent, judice denique Cragaleo oppidum Herculi tributum. Agnoscere ergo Ambraciotas, urbem esse Herculis, sic tamen, ut etiam Apollini, quem jam antea ob causas, quas ibidem refert, Σωτηρα dixere, sacrificia publice peragant.

AE. RRR.

ALEXANDER I.

Neoptolemi F. Mortuo tutore patruo Ariaba juvenis regnum adit favente Philippo II. Macedone, qui ejus sororem Olympiam uxorem duxerat, cujus et factus est gener ducta ejus filia Cleopatra nuptiis fatalibus, inter quarum solennia socerum Philippum, dum ejus latus stipabat, a Pausania interimi cominus conspexit. Alexandrum M. sobrinum imitari gestiens versis in Occidentem studiis ducem esse Tarentinis in bello adversum Lucanos ac Bruttios praebuit, tanto cupidius externum istud bellum amplexus, quod consulenti responderat oraculum patrium Dodonaeum, caveret Acherusiam aquam, Pandosiamque urbem, nimirum ut quam maxime procul abesset Pandosia Epiri urbe, et Acheronte amni [i]). Multis praeliis victor, factusque inde elatior plus sibi ipso Alexandro aggressus videbatur, cum adserere non dubitaret, se, qui adversum Romanos iret, quasi in ἀνδρωνιτιν, Macedonem in Persas quasi in γυναικωνιτιν ivisse [k]). Barbaris bellum omni vi instaurantibus apud Acherontem fl. et Pandosiam in Bruttiis caesus, non quidem oraculum mendax, sed ineptum sese Oedipum comprobavit V. C. 428. Vide plura apud Froelichium dubia quaedam chronologica conciliare conantem [l]), et Cl. Nicolaum hujus regis vitam copiose enarrantem [m]).

Numi:

Caput Jovis corona quercea redimitum. Ϟ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΤΟΥ. ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΥ. *Fulmen intra astrum et pilum hastae.* AV. III. (Seguin Sel. num. p. 68.)

Caput adversum Solis radiatum crispis crinibus. Ϟ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.--ΟΠΤΟ-- *Fulmen.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput barbatum diadematum. Ϟ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΤΟΥ. ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΥ. *Fulmen, juxta aquila.* AR. I. (Theup.)

Aquila stans, juxta tripus. Ϟ ΑΛΕΞΑ. ΤΟΥ. ΝΕ. *Fulmen intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

En numos hujus Alexandri omnes, quotquot innotuere. Aurei et argentei operis sunt perelegantis et delicati. Jovis Dodonaei honores eloquuntur aquila et fulmen saepe repetitum. Singularis elegantiae est caput Solis, quod sistit numus secundus, quem princeps Waldecklus studiis nostris

h) Met. c. 4. i) Livius L. VIII. c. 24. k) Gellius L. XVII. c. 21. l) Regg. vet. num. p. 52. m) B. L. Mem. T. XII. p. 332.

Digitized by Google

impense deditus museo Caesareo cesserat. Caput numi III., quod diadematum dicitur, ipsius regis videri potest, et tum unicum hoc esset exemplum capitis regii Epirotarum numis inserti. Merebatur sane insignis hic numus musei Theupoliani, ut plures ejus alii, aeri incisus proponi, ut certius conspecta capitis effigie possemus judicium ferre. Verisimile magis, caput illud non esse regis, sed Jovis, suadente istud aversae fulmine, cujus rationis sunt etiam typi in numo Pyrrhi sequentis.

AV. RRRR. AR. RRR. AE. R.

* * *

AEACIDES Arisbae F. post patruelis Alexandri mortem regno praeficitur, illustrius nomen ex filio Pyrrho, quam ex se adeptus. In bellis occumbit.

PHTHIA.

Cononis Thessali filia, Aeacidis uxor. Liberos habuit *Pyrrhum*, et *Deidamiam* desponsatam primum Alexandro postumo Alexandri M. filio, deinde Demetrio Poliorcetae conjunctam.

Numi:

ΦΘΙΑΣ. *Caput reginae velatum et corona revinctum.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Fulmen.* AE. II. (Seguin Sel. num. p. 65. Mus. Caes.)

Cum nulli exstent mariti Aeacidis numi, habet suos uxor Phthia tribuente honorem filio Pyrrho, ut aversae inscriptio docet. Corona querna in integerrimo musei Caesarei manifeste apparet, quam placuisse causa Jovis Dodonaei existimo.

AE. RR.

PYRRHVS.

Mirabilis, si quis alius, fati, sive initia spectes, sive exitum. Bimus ab hostibus ad necem quaesitus in Illyrico educatur, post duodennis ad patrium regnum vocatus, cum illud quinquennio teneret, Cassandri Macedonis artibus ejicitur. Quare ad Demetrium Poliorcetem, sororis suae, Deidamiae virum profectus celebri ad Ipsum praelio, quo Antigonus occubuit, interest, delatusque ad Ptolemaeum Lagi F. favente palam Berenice hujus filiam Antigonam uxorem ducit, tum milite, pecunia, elephantis adjutus V. C. 459 Epirum recuperat. Ducta Lanassa Agathoclis Siculi filia Corcyram in dotem accipit, ac paullo post amittit Lanassa ipsa Demetrium ad connubium, et praeripiendam Corcyram evocante, quod sese a marito negligi doleret. Ergo vindictae studio Macedoniam intrat, eamque Demetrio extorquet, mox ipse a Lysimacho Thraciae rege pellitur. Eadem tempestate orto Romanos inter ac Tarentinos bello ab his summus belli imperator electus V. C. 474 in Italiam trajicit, de Laevino consule Heracleam inter et Pandosiam elephantorum ope insignem victoriam refert. Altero deinde ad Asculum praelio incertam belli aleam expertus Siculorum rogatu omissis rebus praesentibus in Siciliam abit, Carthaginienses vincit, et tota insula, si Lilybaeum demas, ejicit. Paullatim urbibus a se deficientibus, quod asperius cum iis ageret, resumpta Tarentinorum causa a Curio cos. ad Maleventum victus V. C. 479 his turpiter desertis Epirum repetit, Antigono Gonatae Macedoniam eripit usus adjutoribus Gal-

Digitized by Google

lis, qui ne quidem ab ipsa regii apud Aegas mausolei rapina manus abstinuere. Peloponneso rerum novarum spem eminus offerente huc repente profectus Spartam ipsam paene obruit, mox in mediis Argis conserta pugna, maximo elephanto ex vulnere collapso angustos aditus impediente, a muliere lapidis dejectu graviter vulneratus, suis opem ferre non valentibus obtruncatur V. C. 482. Nihil in Pyrrho mediocre, virtutes summae, moderatio, facilitas in amicos, in referenda gratia studium, animus in adversa etiam fortuna infractus, corporis robur incredibile. Quae fuerit in eo rei militaris peritia, experti sunt orbis victores Romani, et memorabile est dictum Hannibalis apud Plutarchum, Pyrrhum primo, Scipionem secundo, se tertio loco designantis. At idem perpetuum cupiditatis et inconstantiae argumentum, qui omissa praesente fortuna semper remotam dubiamque sectaretur, et eandem nactus accedente ejus fastidio alteri rursum intenderet. Dictum adeo verissime Ennio, ut est apud Ciceronem [n]):

stolidum genus Aeacidarum,
Bellipotentes sunt magi' quam sapientipotentes.

Liberos habuit ex Antigona Berenises F. *Ptolemaeum* in obsidione Spartae caesum, ex Lanassa Agathoclis F. *Alexandrum II.*, et juxta Justinum novissimum *Helenum*, sed juxta Plutarchum ex Bircenna Illyride.

Numi:

Vna fere est eruditorum sententia, eos Pyrrhi numos, qui sive operis elegantia, qua plerique in paucis spectabiles sunt, sese commendant, sive typos in Siculis numis obvios continent, in Sicilia signatos eo biennio, quo imperium in insula obtinuit. Vnicum est, quod huic obesse sententiae videtur, quod in his Pyrrhi numis constanter scribitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ, cum tamen in regum Siciliae moneta, sive qui praecessere, sive qui secuti sunt, perpetuo legatur ΒΑΣΙΛΕΟΣ, neque sit verisimile, Siculos in feriundis huic regi numis ab instituto discessisse. Numum Parutae, in quo scriptum: ΒΑΣΙΛΕΟΣ [o]), non moror, nam in simili, quem correctius edidit Pellerinius [p]), obtinet ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

1. *Caput Palladis galeatum, pone aquila expansis alis.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Victoria gradiens d. coronam, s. tropaeum.* AV. m. m. (Dorville Sicula tab. 16.)

2. *Caput Dianae prominente pharetra.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Idem typus, in area fulmen.* AV. III. (Mus. Caes.)

3. *Caput Proserpinae spicis coronatum.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Pallas gradiens d. hastam intorquens, s. clypeum praetendens, in nonnullorum area fulmen.* AV. III. (Pembrock. tab. I.) AR. II. III. (Mus. Caes.)

4. ΠΥΡΡΟΥ. *Caput Proserpinae simile.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Mulier sedens d. cornucopiae, s. hastam.* AE. II. (Dorville l. c.)

n) de Divinat. L. II. c. 56. o) Tab. CLV. p) Rois Tab. III.

Digitized by Google

5. *Caput juvenile diadematum oblongis crinibus, pone scepitrum.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΡΡΟΤ. Typus similis. AE. II. (Pellerin.)

6. *Caput barbatum diadematum.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΡΡΟΤ. *Fulmen.* AE. II. (Theup.)

7. *Caput Palladis galeatum.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΡΡΟΤ. *Ferrum hastae intra quernam.* AE. II. (Pellerin.)

8. ΠΤΡ. *(in monogr.) inter scuta Macedonica.* Ϟ ΒΑΣΙ. *Meta, infra quam monogramma, omnia intra quernam.* AE. III. (Mus. Caes.)

9. *Caput Palladis galeatum.* Ϟ Β. ΠΤΡ. *(in monogr.) Elephas.* AE. III. (in meis Num. vet. p. 103.)

10. *Caput Palladis galeatum.* Ϟ ΠΤΡΡΟΤ. *Cupido delphino vectus.* AR. II. (Pembrock P. II. tab. 50.)

11. *Caput Pyrrhi diadematum.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΡΡΟΤ. ΗΠΕΙΡΩΤ. *Currus tractus a duobus elephantis, super collum ductores, in curru Victoria stans d. palmam, s. coronam, pone tropaeum.* AR. m. m. (Sic numus describitur in museo Theupoli.)

Capita Palladis, Dianae, Proserpinae, typi Syracusanis familiares, tum et labor in his delicatus persuasere viris in palaestra nostra exercitatis, ut patriam his numis Siciliam adsignarent. Enimvero caput Proserpinae, quod numi loco III. positi exhibent, adeo secundum omnes apices simile est capiti ejusdem deae, quod sistant numi Agathoclis, ut fere cogant profiteri, idem utrisque esse solum natale. Si Dianae et Proserpinae cultus Pyrrho fuit externus, Palladis fuit domesticus, nam eam praecipue sibi demereri studuit, sive cum Athenas ingressus conscensa arce publice Palladi sacra faceret [q]), sive cum spolia victis a se Gallis detracta Palladi Itonidi in Thessalia dedicaret addito epigrammate, quod servavit Plutarchus [r]). Eundem cultum propagatum etiam a filio Alexandro, ex hujus numis patebit. Aquila numi I. pone Palladis caput adludere videtur ad cognomen *aquilae* Pyrrho inditum, quod referunt Plutarchus [s]), et Aelianus [t]).

Numum VII. deberi Epiro, colligimus ex modo partis aversae prorsus Epirotico. At numus VIII. ex Macedonico et Epirotico participat. Nomen regis monogrammate ligatum, trajectum in aversam ΒΑΣΙ., corona ex scutis contexta Macedoniam olent, cui et his praefuit; meta intra quernam ad patrium Epiri regnum pertinet. Numus IX. elephantem sistit, quod animal ut saepe Pyrrho ad victorias profuit, sic et in praelio apud Argos exitii causam fuisse, supra narravimus. Quare et in monumento, quod illi statuerunt Argivi, sculpti erant elephanti [u]).

Vereor, ut omnis fides habenda sit numo XI., quem ex museo Theupoli descripsi. Caput regis in numis Epiri insolens, (nam Goltzianos aspernamur) et

---

q) Plut. in Pyrrho p. 398. r) l. c. p. 400. s) in Pyrrho. t) de Nat. anim. L. VII. c. 45. u) Pausan. L. II. c. 21.

Digitized by Google

molestum est scriptum ΗΠΕΙΡΩΤ. pro ΑΠΕΙΡΩΤΑΝ, praeterea typus aversae pro Pyrrhi aevo nimium locuplex, et Romanum modum redolens.

Locus postulat, ut et de Pyrrhi effigie, si quam numi exhibent, disseramus, cum de ea copiosus sermo fuerit iis, qui statuas et gemmas veteres descripsere. Illustre signum ex marmore Pario, quod nunc est in Capitolio, capite galeato et prolixe barbato, cetera paludatum, sinistra clypeum humi attinens, sed qui est moderni operis, ut et pedes turpiter crassi, jam ante annum a nato Christo MDLXII. appellationem Pyrrhi tulit. Reperio enim in opusculo Venetiis eodem anno vulgato, cui titulus: *Le antichità della città di Roma per M. Ulisse Androandi opera - - - in questa quarta impressione ricorretta*, jam tum Pyrrho illud tributum, et a nobili viro Maximo duobus scutatorum millibus emptum (Pag. 168). Ejus credo appellationis praecipua causa fuerit, quod in paludamento sculpta sunt elephantorum capita; verum in eodem aliorum etiam animalium capita reperias, ut arietis etc. Non multo post grave huic sententiae monumentum attulit Goltzius edito numo, in quo: *Caput galeatum barbatum*. ΧΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΡΡΟΤ. *Victoria tropaeum statuens* x). Ita fieri consuevit, ut opinio semel concepta per communem adsensum sic evadat praejudicata, ut etiam sine ratione satis per se sola valeat auctoritas, eamque secuti posteri aut admittant facile, aut non audeant impugnare. Haec una in causa fuit, cur ne magnus quidem Spanhemius permissum sibi putaret exturbare e Campaniae numis creditum diu Minotaurum, etsi huic certa veterum testimonia palam inficiarentur. Praeeunte igitur Capitolina hac statua, quotiescunque antiquarii caput galeatum barbatum, et adfinia oris lineamenta sive in marmore, sive gemma conspexere, manifestus continuo Pyrrhus evasit, ut vel ex uno Sponii judicio satis potest colligi y). Quo factum, ut musea omnia credita hac Pyrrhi effigie abundarent. Inveteratam hanc opinionem, quam non multis abhinc annis adhuc Bottarius in catalogo statuarum Capitolinarum certam tenuit, primus, ut puto, solicitare coepit Winckelmannus provocando ad ipsos numos velut certos controversiae judices z), et secutus argumenta, quae jam Cúpero scrupulos injecere a). Vniversa igitur causa cum ex numis pendeat, in hos anquiramus.

Jam primum ad definiendam Pyrrhi effigiem nihil confert numus ex Goltzio citatus, qui caput galeatum barbatum exhibet non absimile illi, quod est in statua Capitolina. Esto, numum esse genuinum, quis caput illud esse potius Pyrrhi, quam Martis poterit praestare, praecipue cum videamus, in antica numorum ejus regis, quos descripsimus, variorum exhiberi numinum capita? Simile

x) in Graecia Tab. IV. y) Miscell. p. 138. z) Descript. des pierr. grav. p. 413 et Geschichte der Kunst S. 355. Dresd. Ausg a) de Elephant. exerc. II. c. 1.

Digitized by Google

Martis caput frequenter conspicimus in numis Bruttiorum, aliorumque populorum, quin et in Romanis adscripto insuper MARS. VLTOR. Ad haec dubia cum adverteret Cuperus, verior Pyrrhi effigies videbatur ea, quam exhibent numi quidam argentei, in quibus hinc est caput virile imberbe laureatum, illinc elephas stans. Verum hos numos esse Punicos, et caput illud Herculis Tyrii, alio loco demonstrabimus. Denique Winckelmannus et Cuperus alium numum respexere, in quo: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΥΡΡΟΥ. *Caput virile imberbe diadematum.* Ϟ ΒΟΥΘΡΩΤΙΩΝ. *Victoria procumbentem taurum feriens.* Adde binos alios cum epigraphe ΘΕΣΠΡΩΤΙΩΝ. Numi hi uni Goltzio visi. Si genuini, tenemus Pyrrhum Capitolinum large barbatum per duo et amplius saecula impostorem, sin, quod verisimile, ficti, nihil hactenus de Pyrrhi effigie comperimus.

Verum an inde a Cupero nihilo plus lucis adfulsit? Oportebat istud aucto subsidiorum numero. Verum iterum perturbata omnia. Auctor musei Theupoli binos numos recitat, in quorum uno, quem loco VI. proposui, est caput barbatum diadematum. En, si fideliter descriptus numus, Pyrrhum barba iterum vestitum. Litem forte dirimeret numus ejusdem musei, quem postremum proposui, cum feratur argenteus maximi moduli, sed genarum peristasin neglexit auctor, et monui supra, numum hunc videri suspectum. Et ne quid, quod huc facere possit, indictum sit, ejus regis effigies forte petenda ex numo V., in quo habetur caput juvenile diadematum; verum crines oblongi, et uniones, quibus collum superbit, certam feminam faciunt, et ut videtur, Proserpinam, qualis est in numo IV. ceteris partibus simili. Denique ex iis, quae disputavi, istud saltem tenemus, nihil nobis hactenus certi de Pyrrhi effigie constare, omnium vero minime capita barbata galeata, quae vulgo Pyrrhi dicuntur, ejus esse regis, praecipue cum nullus ejus aevi rex Europaeus barbam usque eo promittere, ut dicta capita exhibent, consueverit. Lepidum factum, quod perhibet Lucianus [b]), praesentem causam eximie illustrat. Creditum, ait, Pyrrho, esse se Alexandro M. simillimum, et cum forte Larissae esset, ostendisse hospitae suae imagines Philippi, Alexandri, Perdiccae, Cassandri, aliorumque regum, sciscitatumque ex ea, cuinam horum similis esset, plane persuasum, fore ut Alexandrum innueret. At mulierem simplicem pernegasse, horum uni cum esse similem, quin potius Batrachioni coco, qui fuit Larissae. Ergo qui Pyrrhum fuisse barbatum contendunt, comprobent etiam, Alexandrum quoque barbam aluisse.

AV. AR. AE. R.

ALEXANDER II.

Pyrrhi ex Lanassa Agathoclis filia filius. Fratre seniore Ptolemaeo apud Spartam interempto, patre Argis caeso paternum regnum adit ducta sorore Olympiade, Macedoniae regno pulso Antigo-

b) advers. indoct.

Digitized by Google

no Gonata potitus, cum illud aliquamdiu usurpasset, ab ejus filio Demetrio non modo ejectus inde est, sed ipsa etiam Epiro spoliatus. Apud Acarnanas exul, cum Epirotas Aeacidarum stirpis desiderium teneret, ab his regno restituitur.

Ex Olympiade filium habuit *Ptolemaeum*, de quo infra.

Numi:

Caput muliebre elephanti exuviis tectum. Ɪ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Pallas gradiens d. hastam intorquet, s. scutum praetendit, in area aquila fulmini insistens, et varia monogrammata.* AR. I. (Mus. Caes.) AR. III. IV. (Pembrock P. II. Tab. 54.)

Variam fortunam experti sunt hi numi, secundum varia antiquariorum judicia jam Alexandro M., jam ejus nominis Cassandri filio, jam Alexandro Syro, jam Ptolemaeo IX. Alexandro tributi. Eos meliore consilio Pellerinius Alexandro Pyrrhi F. quanquam timide tribuit [c]). Viri eruditi conjecturam commemoratis et refutatis aliorum sententiis stabilire amplius conatus sum in meis Numis veteribus [d]). Ajebam, praeclare Alexandro nostro competere caput muliebre elephanti spoliis tectum; adludi enim sive ad partas Pyrrho patri ope ejus ferae victorias, sive ad res ab Agathocle avo materno in Africa, cujus symbolum id caput haberi solet, praeclare gestas, ut sane aureum habemus Agathoclis numum, in cujus parte adversa caput muliebre simillimo cultu comparet. Pallas eodem gestu ac habitu perfrequens est in numis patris Pyrrhi, tum regum Macedoniae, cui aliquamdiu praefuit. Suffragatur etiam aquila obvium ac tritum Epiri symbolum, nisi forte adludit ad patrem Pyrrhum, quem a popularibus suis dictum *aquilam* supra ex Plutarcho docuimus. Denique et monogrammata in numis similibus comparere dicebam, quae frequenter in numis regum Macedoniae, Lysimachi, Antigoni, Demetrii occurrant. Vide istud totum latius expensum in citato meo opere.

* * *

Caput muliebre elephanti exuviis tectum. Ɪ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Victoria stans d. coronam, s. tridentem, juxta aucora.* AE. III. (Pellerin Rois tab. VI.)

Caput Herculis imberbe leonis rictu tectum. Ɪ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Fulmen, infra corona.* AR. IV. (Pellerin Additions p. 12.)

Caput Herculis simile. Ɪ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Aquila fulmini insistens, et respiciens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Pellerinio post multas conjecturarum ambages numus ex praesentibus primus tribuendus Ptolemaeo IX. videbatur. Ejus causae utrum valere possint, examinabimus in numis hujus Aegypti regis. Cur potius Alexandro nostro tribuendum putem, in causa est, quia caput cum elephanti exuviis etiam est in argenteis praecedente articulo descriptis. Si ergo hi vere sunt hujus Alexandri, verisimile est, etiam hunc, de quo agimus, ejusdem esse

c) Rois p. 31. d) pag. 104.

Digitized by Google

regis. Deinde idem nonnulle jure uti in numis potuit typo, quo in suis usus est Alexander M., videlicet Victoria tridentem gestante, sive quia Macedoniae aliquamdiu praefuit, sive quia idem cum Magno nomen habuit. Numum alterum Pellerinius Epiroticum quidem statuit, sed Alexandro I. largitur omissa omni judicii sui causa. Malim tribuere alteri, quia certi Alexandri I. numi patris Neoptolemi mentionem addunt. Tertio similem Vaillantius esse Ptolemaei X. sanxit, sed causis omnino infirmis, ut dicetur in hujus moneta. Quis vero propiora dixerit, eruditi lectoris arbitrium esto.

AR. et AE. RR.

PTOLEMAEVS.

Alexandri II. ex Olympiade filius, primum sub matris tutela, deinde sui rex arbitrii contracto non multo post per iter morbo mortuus est, relicto filio et regni haerede Pyrrho. Haec ex Justino [e]), et Pausania [f]).

Numi:

Caput muliebre cum corona fastigiata floribus distincta. Ꝟ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟ. *Aquila stans, in area corona, in alio astrum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum hunc alias vulgavi explicuique [g]). Binos huic similes edidit Pellerinius, nisi quod in suis tantum legerat ΠΤΟΛΕΜΑΙ., eosque, etsi diffidenter, tribuit Ptolemaidi Cyrenaicae [h]). At cum in numo praesente viderem, epigraphen ΠΤΟΛΕΜΑΙ consequi literam O vix dubiam, procul sane habenda fuit quaecunque Ptolemais, et explenda epigraphe legendo ΠΤΟΛΕΜΑΙΟυ. At cujus Ptolemaei hic erit numus putandus? Duos id genus numos olim in agmine incertorum Ptolemaeorum Aegypti regum recensui [i]). Serius cum expenderem, certam Aegypti regum monetam omnibus modis a praesente differre, neque enim in illius antica unquam caput sic cultum reperias, aut nomen regis aliter, quam in orbem scriptum, cum in hoc nostro sit linea recta, aut omissum titulum ΒΑΣΙΛΕΩΣ, coepi alterius regionis Ptolemaeum investigare. Et erant causae plures, quae persuasere, ut in hoc Ptolemaeo acquiescerem. Caput muliebre cum corona hujus formae habemus in numis Cassopaeorum Epiri, aquila propter Jovem Dodonaeum perpetuus monetae Epiroticae incola, omissum semper in Epiri regibus nomen ΒΑΣΙΛΕΩΣ, si Pyrrhi numos demas, sed quos plerosque eruditi foris signatos putant, neque in his unquam scriptura in orbem, sed lineis rectis ducta. Haec si recte sunt disputata, numi similes haud dubie erunt hujus Ptolemaei; neque enim alius hoc nomine rex Epiro praefuit; nam filius Pyrrhi Ptolemaeus patre adhuc vivo Spartae interiit, ut in Pyrrho diximus.

AE. R.

---

e) L. XXVIII. c. 1. 3. f) L. IV. c. 35. g) Sylloge I. p. 85. h) Rec. III. p. 13.
i) Catal. mus. Caes. P. I. p. 264. n. 35. 36.

Digitized by Google

MOSTIS.

Capita jugata, Jovis laureatum et Junonis. Σ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΟΣΤΙΔΟΣ. *Aquila fulmini insistens, in area monogramma* ΠΑΡ. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput barbatum galeatum. Σ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΟΣΤΙΔΟΣ. *Thorax, in area simile monogramma.* AE. III. (Pellerin. Rois p. 31.)

Caput regis diadematum. Σ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΟΣΤΙΔΟΣ. ΕΠΙ. ΣΑΔΑΛΟΥ. ΕΤΟΥΣ. ΛΗ. *Pallas sedens d. Palladium, s. hastam, in area monogramma* ΚΜ. AR. I. (Sestini Lettere T. IV. p. 81.)

Priorem primus vulgavit Froelichius k), qui tamen peccavit legendo ΜΟΣΤΙΔΟΥ, cum in numo illo integerrimo, perinde ac in Pelleriniano luculentum sit ΜΟΣΤΙΔΟΣ. Cum nemo veterum regis Mostidis meminerit, ad conjecturas versus vir egregius, quoniam in numis communi Epirotarum nomine signatis similia habentur capita jugata, et aquila perpetuus est Epiri typus, verisimile visum, cimelium istud in Epirum aut vicinum Illyrioum vocandum. Pellerinius Froelichii quidem conjecturam collaudavit, tamen magis in Dalmatiam inclinavit animus, quia in numis inscriptis: METAL. DELM. thorax quoque expressus est. Res hactenus incerta. An scalptoris factum imprudentia, ut in numo Pellerinii expressum sit caput galeatum barbatum, cum tamen auctor diserte profiteatur, in parte adversa exhiberi caput regis diadematum? Credam potius erratum ab auctore, nam thorax cum capite Martis probe componitur.

Hactenus haec unica fuere hujus regis indicia, cum nuper accessit aliud ex illustri argenteo, quem tertium posuimus. Sed neque istud indicium desideratam lucem adfert. Ait Sestinus praeco, remotissimae eum esse antiquitatis, *(della più grande antichità)* quod quidem mirum videatur, cum in eo legatur annus regni, et magistratus *Sadales*, at ex vetustissimis regum numis similia abesse soleant, quos constat cultus fuisse simplicissimi. Cum Sadalis nomen fuerit proprium nonnullis Thraciae regibus, suspicatur leviter Sestinus, fuisse hunc Mostidem partis Thraciae regem. Verum haec omnia incerta, neque suis carent difficultatibus, et mirum sane, regis, cujus imperium in annum XXXVIII. teste hoc numo porrectum fuit, nisi annus epochae potius est, omnem interiisse memoriam.

AR. et AE. RRRR.

CORCYRA.

Dicta *magna*, ut discerneretur a minore altera magis latus in sinu Adriatico posita, de qua infra. Insula nobilis Epiro opposita, et numismatica penu in-

k) Reg. vet. numi p. 51.

Digitized by Google

clyta. Olim dicta *Scheria*, et habitata a Phaeacibus Homerica poesi celebratis, dicta subinde *Corcyra*, hodie *Corfù*, fuitque una ex Corinthi coloniis, ut dicetur.

Autonomi.

Bos vitulum lactans, superne astrum, prora navis etc. ☧ KOP. *Area linea transversa et globulis in quatuor partes secta, foris varia attributa.* AR. II. (Mus. Caes. alibi.)

Bos vitulum lactans. ☧ *Sine epigraphe. Astrum.* AR. II. (Pellerin Rec. I. tab. XI. n. 8.)

Diota, in aliis juxta hanc diota minor alterius formae, et vas monotum, adscripto KI. ☧ KOP. *in aliis* KOPKTPAI. *scriptum intra radios astri.* AR. III. (Mus. Caes.)

KOPKYPAI. *Bos dimidius.* ☧ *Binae areae quadratae, in quarum medio astrum, in area hinc botrus, inde diota, et* KI. AR. II. (Mus. Caes.)

Primus atque alter ex citatis in antiquioribus Corcyrae numis habendi. Alterum anepigraphum Pellerinius Dyrrhachenis inseruit, sed satis apparet ex numo I., ac praecipue III. et IV., fuisse astrum quoque in solitis Corcyrae symbolis.

Typus uterque numi I. in numos quoque Apolloniae et Dyrrhachii fluxit, quas constat fuisse Corcyrae colonias. Quare in hujus insulae moneta, velut patriae, typi sententia investiganda. Antica haud dubie laeta insulae pascua, et armentorum copiam praedicat. Nobilior aversa, quae ex Begeri sententia celebratos ab Homero Alcinoi hortos, qui hanc insulam, olim Phaeacum dictam, celebrem reddidere, proponit, quod judicium antiquarii sequentes amplexi sunt. At Barthelemyus quadratum illud reliquias veteris et informis quadrati, in area vetustissimorum numorum hiantis putat [l]). Praeplacet vetus opinio, quam alibi etiam stabilire adnisus sum [m]). Nam I. quadratum illud satis commode cum hortorum imagine, quam nobis pinxit Homerus, conspirat. II. Non videtur credibile, Apolloniatas, et Dyrrhachenos, quo se colonos Corcyrae profiterentur, symbolum sterile ac jejunum, quale esset ornamentum illud nullo sensu, voluisse monetae suae inferre. III. Si quadratum istud demus successisse in locum veteris informis quadrati, nihil obest, quo minus idem sentiamus de quadrato, quod exstat in numis Cnossi, quod ab omnibus pro decantato labyrintho habetur. Vt ergo haec Cretae urbs honorificum sibi duxit, vetere hoc urbis suae monumento in publica moneta gloriari, sic et Corcyrensibus decorum visum, veteris sui regis memoriam, et culta ab eo pomaria resuscitare. IV. Ex pluribus exemplis aliis satis constat, urbes Graecas summo id sibi honori duxisse, si quid rerum suarum Homeri versibus celebratum erat, atque id ipsum studiose monetae suae inserere ambivisse. Quod ipsum adeo placuisse Corcyrensibus certum videatur, praecipue cum non semel in oculis Grae-

l) Mem. B. L. T. XXIV. p. 30. m) Num. vet. p. 106.

Digitized by Google

ciae eos gloriatos norimus, se ab Alcinoo et Phaeacibus genus suum derivare, de quo pluribus agam infra in numis coloniarum Corinthi. At quadratum istud, ajunt, qui a Barthelemyo stant, in numis aliis, ceu in II. ex citatis, est formae rotundae, et instar astri, et multum abludens a descriptione Homerica. Ajo ego, eam imaginem non esse instar astri, sed esse astrum ipsum, unumque ex symbolis certis, quae sibi adscivere Corcyrenses, ut supra dixi, atque etiam ut forma in aliquibus foret rotunda, an non et Cnosi labyrinthum jam quadrata, jam rotunda, jam tortuosa in numis forma pictum habemus? At numus Apolloniae Nymphaeum ardens quadrato huic includit. Quis vero artificem tam ineptum sibi persuadeat, qui montem ignivomum Alcinoi hortis imposuerit? Nimirum, ajo, et ineptus is artifex, qui totum montem Argaeum capiti genii Caesareae Cappadociae imposuit. Si quid video, monetarius Apolloniates voluit conjungere et symbolum urbis proprium Nymphaeum, et alterum Corcyra metropoli tractum, eodem modo, quo videmus, in numo ex citatis IV. pleraque Corcyrae symbola in unum congesta, hortos Alcinoi, astrum, botrum, diotam, quo modo monetarius ille, qui in denario M. Caecilii Metelli caput elephanti clypeis Macedonicis clausum proposuit, duplex conjunxit gentis Caeciliae decus, elephanto victoriam de Asdrubale, clypeis victoriam de Pseudophilippo indicantibus. In symbolorum vero compositione tam parum veritati intendit antiquitas, quam parum istud praestat nostrum aevum, cum nobilium insignia ex rebus, quae sibi saepe maxime adversantur, componit.

Epigraphe in Corcyrae numis multum variat. Videas in his K. KO. KOP. KOPK. KOPKTPA. KOPKTPAI. KOPKTPAIΩN. In multis nomen urbis manifestat monogramma (ℙ𝕂, ℙ𝕂 aut similiter. At Graecis scriptoribus fere constanter dicitur Κερκυρα.

Illustriores numi alii sunt.

ΑΓΡΕΤC. *Vir togatus stans d. serpentem tenet; nonnunquam stat inter duas columnas.* ℞ ZΕTC. KACIOC. *Juppiter sedens in templo distylo d. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

KOPKTPA. *Caput Corcyrae laur.* ℞ ZΕTC. KACIOC. *Idem typus.* AE. II.

Numus prior ab antiquariorum libidine multum vexatus. Mazzochius, cum in eo legeret ATPΕTC, Hadriae Piceni tribuit n) adplaudente Paschale Magnonio o). Jacobus de Barry Petrae Arabiae, quae *Agra* olim vocabatur p). Satis non hodie solum, sed jam inde ab Andrea Marmora q) constat, numos hos esse Corcyrenses, etsi insulae nomen non addatur, atque etsi istud aliunde non constaret, docerent tum numus ex propositis alter, tum numi imperatorii inde ab Antonino, in quibus frequenter idem *Agreus* et *Jupiter Casius* recurrunt, et dubi-

n) Tab. Heracl. p. 528. o) Diss. de Paesti Origin. p) Reland. Palaest. illustr. p. 689. q) Hist. Corc.

Digitized by Google

tari nequit, autonomos hos eidem aetati deberi. Explicanda jam utraque numi facies.

ΑΓΡΕΤC. Sponius hoc typo exhiberi Pana arbitratus est, qui teste Hesychio ab Atheniensibus dicebatur Αγρευς [r]). Ego alibi conjectavi, hoc nomine intelligi Aristaeum Apollinis et Cyrenes filium repertorem mellificii, olei, eundemque et pharmaceuticae cumprimis gnarum, qui nomine Αγρεως a Graecis colebatur, de quo vide plura in meis Numis vet. [s]).

ZΕΤC. KACIOC. *Juppiter Casius*, vel *Cassius*, qui in altera hujus insulae urbe Cassiope templum hoc nomine habuit teste Plinio, et Suetonio in Nerone. Idem ZΕΤC dictus KACIOC colebatur etiam apud Seleuciam Syriae, et ejus quoque monetae inscriptus legitur, sed hic ejus appellationis alia fuit causa, et hujus imago fuit lapis informis. Tertius *Juppiter Cassius*, sed numis indictus, fuit juxta Pelusium Aegypti [t]). Teste Achille Tatio fuit ejus statua juvenili aetate, dexteram porrigens, qua malum Punicum continet, ejus vero mali causa occulta [u]).

KOPKTPA. Fuit Corcyra, cujus in nomo altero caput proponitur, Asopi Achaiae fluvii filia, Phaeacis mater, quae ab amasio Neptuno in hanc insulam translata huic nomen dedit [x]), cum Scheria ante vocaretur. Sed Apollonius non in hanc Corcyram, sed alteram dictam *nigram* translatam finxit [y]) contradicente alibi ejus scholiasta, et cum prioribus sentiente [z]).

* * *

ΟΛΒΑCA. BOT - - - *Caput muliebre velatum.* Ʒ KO. *Caput bovis intra coronam.* AE. II. (Pellerin Suppl. III. p. 111.)

Pellerinius nomine ΟΛΒΑCA latere urbis nomen ratus numum Olbasam Pisidiae transtulit, censuitque, vocem alteram BOT - - - legendam explendo βυβοτος, vel βετεσρος. Verum cum in numis Graecis urbis nomen plerumque inscriptum sit parti aversae, et caput velatum, typus item capitis bovini exstent frequenter in numis certis Corcyrae, et hujus insulae numi inscribantur saepe solis literis KO, mallem hunc numum Corcyrae tribuere, et forte *Olbasa* est nomen ejus feminae, quae capite velato proponitur, ut in numo superiore τὸ ΚΟΡΚΤΡΑ referendum ad caput, cui ea vox adscripta est.

* * *

Bacchus panthera vectus d. telum intorquet. Ʒ KOP. *Faunus caudatus liquorem ex diota una in aliam effundit.* AE. III. (Mus. Caes. alibi.)

Hos numos Froelichius Corcyrae parvae, quae et *nigra* dicta est, magis iustus in Adriatico sitae, hodie *Curzola*, tribuendos putavit, ut et alios cum ty-

---

r) Misc. p. 76. s) pag. 107. t) Strabo L. XVI. u) Erotic. L. III. x) Pausan. Corinth. c. 5. Diodor. L. IV. c. 72. y) L. IV. v. 867. z) ad L. IV. v. 983.

Digitized by Google

po aquilae et Victoriae [a]), at Pellerinius huic nostrae Corcyrae. Decidetur lis, cum noverimus, in utra id genus numi effodiantur frequentius. Sed et istud propter contraria indicia incertos nos reddit. Froelichius suos sibi ab eo tractu Dalmatiae, qui Corcyrae nigrae vicinior est, adlatos adserit. Suos etiam auctores habet Neumannus, quorum testimonio in hac eos potissimum reperiri constet, quae causa est, cur consentire ipse Froelichio cogatur [b]). At diversum ab his docet ill. Jacobus Gradenigo, qui datis ad me literis testatus est, omnes hujus naturae numos, quos museum suum servat, se reperisse in insula hodie dicta *Corfù*, verum adhibita omni diligentia nihil se unquam monetae veteris in Corcyra parva reperisse. In similibus numis minus integris non satis liquido apparet nexus caudae cum ipso Fauno, sic ut, quod reipsa cauda est, Froelichio et Pellerinio pisciculus adstitutus videretur. Subinde Khellius, cum pro cauda oratorem ageret, causa ejus litis, piscisne sit, an cauda, exstitit, quam, si tanti putas, disputatam vide apud Pellerinium [c]).

* * *

Caput Neptuni laur., pone tridens. Ϟ KO. *Caput bovis intra coronam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Id genus numos Goltzius et Hardouinus permisere Macrocephalis Ponti, Pellerinius Crotoni. At monogrammatis forma persuadet, eos Corcyrae restituendos, et monuit me ill. Gradenigo, similes numos a se repertos in hac ipsa insula. Neptunus jure huc pertinet, nam ab hoc Phaeacas traxisse genus, narrat Homerus.

* * *

Caput Bacchi hedera coronatum. Ϟ $\frac{P}{K}$ *Pegasus volans, per aream varia monogrammata.* AR. fere II. (Mus. Caes.) In alio: *Pegasus capite palmato volans, superne monogramma* APK., *infra prora navis.* AR. fere II. (Mus. Caes.) His adde numulos AR. III. in quibus: *Caput Apollinis*, vel *Caput muliebre.* Ϟ *Pegasus volans.* (Mus. Caes.)

Monogrammata haec in Corcyrae moneta passim obvia numos hos huic insulae facile vindicant. Praeter hoc indicium pondus etiam non leve adfert Pegasus, nam, ut dictum, fuit Corcyra certa Corinthi colonia, de quo uberius agetur in numis coloniarum Corinthi. Confidenter etiam huc refero numum alterum, qui barbaram nonnihil fabricam olet, propterea quod paucissimis demptis praecedenti totus est similis, neque a sententia me divellit leve dubium a Pellerinio motum [d]).

* * *

KOP. *Bos dimidius.* Ϟ ΣΩ. *Botrus.* AE. III. (Mus. Caes.)

---

a) Animadv. in num. urb. p. 5. b) Num. pop. p. 178. c) Suppl. III. p. 63. d) Rec III. p. 125.

Digitized by Google

ΕΤΔ. *Diota.* Ϫ ΣΩ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin Rec. III. tab. CII.)

ΣΩ. *Diota.* Ϫ AMA. *Prora navis.* AE. III. (Pellerin Rec. III. tab. CXVII. n. 2. Neumann Num. pop. p. 193.)

Caput Herculis leonis rictu tectum. In aliis: *Caput Neptuni, pone tridens.* In aliis: *Capita jugata virile imberbe laureatum et muliebre.* Ϫ ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ *addito magistratu:* ΦΙΛΩΤΑΣ. ΦΑΛΑΚΡΟΣ, *etc. Navis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numum ex his alterum Pellerinius Solis Cypri tribuit, quod judicium non modo evertit illud, quod haec urbs constanter Σολοι, nunquam Σωλοι scribitur, sed etiam quod diota, botrus, et ipsae hae literae ΣΩ obviae sunt in Corcyrae moneta. Sane numus ex hic descriptis primus alterum quoque Pellerinianum sibi pleno jure vindicat, etsi Pellerinius veterem suam sententiam adversus ea, quae objeceram e), iterato tueatur f). Huc quoque pertinere numum III., ea quae dixeram, abunde confirmant, et το AMA. notare magistratum, non, quod leviter conjecerat Pellerinius, Amathuntem Cypri, numi consequentes palam docent. Quid literae ΣΩ toties monetam Corcyrensem insidentes sibi velint, decidere non tento. Magistratus initium putarem, sed video, idem ΣΩ saepe etiam occurrere in moneta Tarenti et Syracusarum.

Typus Bacchi, diotae, botri vini abundantiam et praestantiam eloquuntur, ut typus Neptuni, Tritonis, navis, acrostolii potentiam maritimam, qua Corcyraeos fretos gravia cum vicinis bella suscepisse ex historicis abunde constat.

AR. et AE. C.

Imperatorii.

His feriundis non segnius vacavit Corcyra, quos Vaillantius a Trajano usque ad Alexandrum Sev. deducit. At his antiquiorem obtulit Marmora in sua Corcyrensium historia:

M. ANTΩNIOΣ. OKTABIA. *Capita jugata M. Antonii laureatum, et Octaviae.* Ϫ ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ. ΦΙΛΩΤΑΣ. *Navis.* AE. II.

Numi hujus ab auctore non satis idoneo vulgati probitatem confirmavit cl. Gallandus, dum in numo simillimo sibi oblato secundum indicium Marmorae revera videre literas M. ANT - - sibi videretur. Quod si in suo Octaviae nomen non comparet, in causa esse, quod exerrante dextrorsum matrice exclusum penitus fuit g). Idem numus integerrimus exstat in museo Caesareo, et vidi similes alios plures, in quibus non modo nulla fit seu Antonii, seu Octaviae mentio, verum etiam vultus lineamenta a cognitis Antonii longe abludunt. Quovis pignore certarem, nomina Antonii et Octaviae addita fuisse ab erudito quodam falsario, cui ex historia constitit, Antonium et Octaviam V. C. 717. in hac insula aliquamdiu moratos, hunc vero numum non differre ab iis, quos

e) Num. vet. p. 107. f) Additions p. 72. g) B. L. T. V. p. 193.

Digitized by Google

paragrapho praecedente inter autonomos citavi.

Typi fere iidem, qui in autonomis. *Juppiter Casius*, *Agreus*, *Pegasus*, *Navis cum remigantibus.*

AE. C.

PYTHIONIA.

Insula prope Corcyram, cui *autonomum* inscriptum ΠΤΤΙ. tribuit Haymius [h]), utrum recte, jure in subjecta nota dubitat Khellius. Legendum potius ΠΑΡΙ. suspicatur cl. Sestinus, et esse Parii Mysiae [i]).

ACARNANIA.

Vniversae regionis nomine *autonomi* cogniti, quorum praestantissimos vide apud Hunterum.

ΑΙΣΧΡΙΩΝ. ΑΣΧΡΙΩΝΟΣ. *(vel aliter). Caput virile imberbe cum cornibus taurinis in tauri collum abiens.* Ʇ ΑΚΑΡΝΑΝΩΝ. *Apollo nudus sedens d. arcum praetendit, ante eum cornu copiae.* AV. III. (Hunter.) AR. I. (Mus. Caes. Pembrock.)

ΝΑΤΣΙΜΑΧΟΣ. *Caput simile, sed barbatum.* Ʇ ΑΚΑΡΝΑΝΩΝ. *Jupiter nudus gradiens d. fulmen vibrat, s. extenta aquilam.* AR. II. (Pellerin.)

Monstrum biforme in his numis certus est Achelous. Vt Fluvii taurina forma passim fuere efficti, saltem si auctorum veterum testimonia audias, de quo argumento adfatim egi in dissertatione Campaniae numis subjecta, ita tauri persona Achelоum cumprimis decuit, quem docet mythologia ejus animalis specie Dejanirae amasiae causa cum Hercule congressum, sed ab hoc male multatum effracto altero cornu, quod deinde cornu copiae, vel Amaltheae nomine poetarum carminibus celebre evasit, quam fabulam vide lepide propositam ab Ovidio, tum etiam Diodoro Siculo, qui allegoricum quoque ejus sensum subjicit [k]). Praeclare secundum hos numos Dejanira ipsa Acheloum taurum describit apud Sophoclem [l]):

Μνησῃ γαρ ἡν μοι ποταμος, Αχελωον λεγω,
Ος μ' ἐν τρισι μορφαισιν ἐξαιτει πατρος
Φοιτων ἐναργης ταυρος, ἀλλοτ' ἀιολος
Δρακων ἐλεικτος; ἀλλοτ' ΑΝΔΡΕΙΩ ΤΤΠΩ
- ΒΟΤΚΡΑΝΟΣ, ἐκ δε δασκιη γενιαδος
Κρηνοι διερρᾳινοντο κρηναιᾳ ποτᾳ.
Procus enim erat mihi fluvius, Acheloum puto,
Qui me ter varia specie petiit a patre
Accedens manifestus taurus, alias varius
Draco tortuosus, alias VIRILI FORMA
CAPITE BOVINO, ex densa vero barba
Fontes fluxerunt potabilis aquae.

Cl. Ignarra quartum versum reddit: *cum*

h) T. II. p. 170. i) Lettere P. III. p. 29. k) L. IV. c. 35. l) Trachin. sub init.

Digitized by Google

virili facie bucerus m). Durum istud, cum βυκρανος certo *bovinum caput* notet. Istud tamen sibi permissum putat, quoniam si caput bovinum esset intelligendum, subjicere poeta non potuisset, *ex densa barba fluxisse aquas*, sed ex palearibus. Haud dubie ex eodem Sophoclis loco Acheloum suum sumpsit Philostratus, dum eum sic describit n): και ἀνδρος τυτυ ἡμιθηρος, βυκρωρα μεν γαρ ἀυτῳ προσωπα, και γενειας ἀμφιλαφης, πηγαι τε ναματων ἐκπλημυρουσαι τυ γενειυ, *et viri hujus semiferi, tauriformis enim ei facies et barba hispida, fontesque lympharum manantes a mento.* Et vero nisi Ignarrae sententiam amplectimur, et si secundum Sophoclem et Philostratum statuimus, Acheloum totum virum in tauri tantum caput exivisse, nullum habemus discrimen Acheloum inter, et Minotaurum, ut patet ex iis, quae ad Campaniae praetensum Minotaurum disserui. Quidquid erit, omissis his poetarum figmentis si monumenta ipsa consulamus, praesentes Acarnanum, tum Athenarum et Cnossi numi, quos ibi citaveram, utrique monstro oppositam plane formam tribuunt, nimirum Acheloo caput viri, cetera taurum, Minotauro caput tauri, cetera hominem. Fieri tamen poterat, ut artifices secundum vagum hoc poetarum oraculum Acheloum quoque ad Minotauri modum nonnunquam fingerent, praecipue cum ex eorundem testimoniis constet quoque, fuisse eum omnium formarum capacem; sin istud, in nonnullis monumentis, ut in gemma Marietti o) satis discerni non poterit, sitne Herculis cum Acheloo, an Thesei cum Minotauro pugna intelligenda. Ceterum magnam fuisse Acheloi religionem non modo in Acarnania, sed extra hanc quoque, cl. Ignarra luculente ex Ephoro apud Macrobium probat. Ipse Acarnanum et Aetolorum agro diviso in sinum Corinthiacum exibat.

Vt Achelous, ita et Apollo jure in Acarnanum moneta habitat propter honores illustres ei apud Actium habitos, ut in hoc dicetur. Communes vero hos Acarnanum numos signatos apud Thyreum, de quo mox, dubium non est, cum hujus numis toti respondeant.

ΑΙΣΧΡΙΩΝ, nimirum *Aeschrion Aeschrionis filius* Acarnanum est magistratus. Revera Polybio memoratur Aeschrion Acarnan, qui tempore belli adversus Perseum Acarnanibus suis auctor fuit recipiendi praesidii Romani p).

AR. RR. AV. et AE. apud Goltzium.

ACTIVM.

A Nicopoli Ambracio sinu diremptum, celebre a victoria Octaviani, templo Apollinis, et ludis ob victoriam constitutis.

Autonomos argenteos cum capite Palladis et Pegaso, qui huc pertinent, vide in numis coloniarum Corinthi.

Fuere huic urbi adhuc alii tributi nummi: *Lyra.* Ϟ ΑΚΤΙΩΝ. *Gryphus.* AE.

---

m) de Pal. Neap. p. 240. n) Icon. p. 868. o) Num. LXXVI. p) Exc. leg. 75

Digitized by Google

Huic Goltzius praeco nonnihil obest, etsi argumenta Apollini propria Actium non fastidiant. Alios argenteos ab eodem Goltzio editos cum capite apri, et aquila, eosque perperam lectos AKTIΩN pro ΛΥΤΤΙΩΝ esse Lycti Cretae, jam satis constat. Alium edidit Paciaudus inscriptum AKTIEΩN [q]), sed qui Chalcidis Euboeae totus est, ut liquet conferenti numos Pellerinianos [r]).

ALYZIA.

Omnibus fere geographis memorata. Addit Strabo [s]), Icarium Penelopes patrem filios habuisse Alyzeum, et Leucadium, qui in Acarnania regnassent, et ab his binas urbes cognomines aedificatas, Alyziam et Leucadem.

Caput Palladis. Ϡ ΑΛΥ. *Caput Herculis, pone clava.* AE. III. (Hunter.)

Hunc numum tutius huic Alyziae tribuerem, quam quod visum cl. Combio, Alvonae Liburniae.

Huc etiam pertinet argenteus ΑΛΥ. typo coloniarum Corinthi, quem inter has descriptum vide.

Forte etiam hujus urbis est numus, quem vide descriptum in Alyattis Bithyniae.

AR. et AE. RRRR.

ANACTORIVM.

Ad sinum Ambracium.

Caput Apollinis. Ϡ NAKTOPIN. *Lyra.* AE. III.

Numum hunc Gessnerus ex museo Pfau recitat [t]). Sed in eo legendum videtur ANAKTOPIΩN, cum quod nulla urbs Nactorii nomine cognita est, tum quod typus Apollinis, cui ager Anactorii sacer fuit, huc facile pertinet.

Didrachma ANAKTOPIΩN videantur in numis coloniarum Corinthi.

* * *

Olim huic urbi tribueram didrachmum: AN---PIΩN. ϠAKAPNANΩN. *Apollo sedens* [u]). Verum redintegrato examine, et collato numo Pembrockiano [x]) apparuit, residuas anticae literas aliud non esse, quam magistratum, et explendas legendo: AIΣXPIΩN. AIΣXPIΩNOΣ, et pertinere numum ad commune Acarnanum.

AR. et AE. RRRR.

AMPHILOCHIVM et ARGOS AMPHILOCHIVM.

Fuit Amphilochia pars Acarnaniae, quo nomine argentei *autonomi* bini editi, sed a Goltzio tantum, inscripti plene AMΦIΛOXIΩN. In horum uno *Hercules taurum domans.* De altero cum typis *Palladis* et *Pegasi* redibit sermo in numis coloniarum Corinthi.

Ejus caput agri fuit *Argos*, dictum propterea *Amphilochium*, quo ab Argis Argolidis distingueretur. Istud Argos indicant numi inscripti APΓIΩN cum ty-

q) Animadv. phil. p. 85. r) Rec. III. tab. XCII. n. 13. s) L. X. p. m. 450. t) Tab. XLVII. u) Num. vet. p. 109. x) P. II. tab. II. n. 3.

Digitized by Google

po Corinthi, de quibus agetur in Corintho. Alii hujus urbis certi non exstant. Quem Pellerinius typo diversam huc vocavit, esse restituendum Argis Argolidis, in hujus urbis numis docebo. *AR. RR.*

HERACLEA.

Vrbs Acarnaniae testibus Plinio et Stephano.

Pellerinius huic tribuit aeneos: *Caput Herculis.* Ϫ ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. *Leo gradiens vel currens, infra clava, variis monogrammatis* y). Eosdem serius rursus ademit, et revocavit Heracleam Lucaniae, sed argumentis invalidis z). Omnia in tanto Heraclearum numero incerta.

LEVCAS.

Olim peninsula angusto freto Acarnaniae conjuncta serius perfosso collo insula reddita, in qua urbs cognominis, et illustris.

Autonomi.

Diana stolata basi insistens imminente capiti lunula d. acrostolium, pro pedibus cervus (in Pelleriniano, et alio musei Caesarei praeterea noctuam tenet). In plerisque pone defixa hasta, cui insidet volucris, omnia intra lauream. Ϫ ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ *addito magistratu* ΠΕΙΣΙΛΑΟΣ, *vel aliter. Navis.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Ara ignita. Ϫ ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. *Columba intra coronam.* AE. (Arigoni.)

Cervus, lunula, crines in nodum collecti Dianam manifestam faciunt. At quid sibi velit volucris pone posita, quae eadem quoque ex numis columba apparet, perinde ac in numo sequente, ignoro.

* * *

Caput Herculis. Ϫ ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. *Clava intra lauream addito Magistratu.* AE. III. In aliis: *Lyra.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numi, qui lyram in aversa sistunt, certum exhibent Herculem Musarum, quod confirmant denarii Pomponii Musae. Quod si quis eam Apollini velit tribui, reperiet apud hanc urbem fanum Apollinis Leucatae, et annuum ejus honori festum obitum, per quod reus suspensis avibus plumisque ex rupe, quae *Saltus Leucadius* dicebatur, averruncandi insani amoris causa praeceps agebatur, de quo vide Strabonem a). At primus, qui voluntarium istud mortis genus elegit, fuit Phobus ex Codridarum genere, ut narrat Plutarchus b).

* * *

Bellerophon Pegaso insidens hastam intorquet. Ϫ ΛΕΥΚΑΔ. *Chimaera.* AR. III. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Suppl. III. p. 42.)

Vtriusque faciei typus originem Corinthiacam palam eloquitur, cujus etiam fuisse coloniam, dicemus infra in Corintho. Nam exstant etiam didrachma

---

y) Rec. T. I. p. 90. z) Suppl. III. p. 85. a) L. X. p. 694. b) de Virt. mul.

Digitized by Google

cum solito coloniarum Corinthi typo inscripta ΛΕΤ. vel ΛΕΤΚΑΔ.
AR. et AE. R.

Imperatorius.

Vnicus hactenus in lucem datus, isque a Pellerinio c). Est Commodi. ΛΕΤΚΑΔΙΩΝ. *Clava intra lauream.*
AE. RRRR.

OENIADAE.

Ad ostia Acheloi.

Caput Jovis. ☧ OINIAΔAN. *Caput virile barbatum duplice cornu tauri praefixum, et in collum tauri abiens.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. In alio: *Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum.* ☧ *Sine epigraphe. Idem typus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Aversa in his numis Acheloum exhibet, ad cujus ostia urbs sita, quo loco fere fixisse sedem credebatur. Nam cum Sophocles narrat, eum in certamen pro Dejanira cum Hercule descendisse, ait, eum venisse ἀπ' Οινιαδαν, *ab Oeniadis* d). Propter argumenti concordiam etiam numi alterius loci, qui inscriptione carent, huc revocari solent.
AE. C.

STRATOS.

Ex illustrioribus Acarnaniae urbibus.

Caput forte Apollinis. ☧ΣTPA. *Tripus, luna dimidia.* AR. III.

Hunc numum Wisius commode huc refert e). Ejus sane judicium fulcit tripus, Apollinis in hac regione eximie culti attributum.

Vtrum huc pertineat etiam numus ΣTPATIO - typo avis, qui editus est inter numismata Graeca Antonii Benedicti pag. 20, spondere non ausim. Est in museo principis de Waldeck numus simillimus certo aquilae taedae insistentis typo cum verisimili epigraphe ΣTPATION, tamen in hac solae literae TPAT sunt plane certae.
AR. RRRR.

THYRREVM.

Prope Leucadem.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. *Caput virile imberbe duplice cornu tauri praefixum, et in tauri collum abiens.* ☧ΘTPPEIΩN, *vel* ΘTPPHΩN. *Apollo nudus sedens d. arcum praetendit.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Sunt hi numi simillimi iis, quos communi Acarnanum nómine signatos supra vidimus.

* * *

Caput Palladis. ☧ΘTPPEΩN. *Noctua, in area fax luculenta.* AE. III. (Mus. Savorgnan.)

Hic numus olim mihi probabiliter huc referendus videbatur f), quo tamen loco ajebam, esse etiam pro Thyrea Argolidis nonnullas rationes.

Huc addo didrachmum ΘTP. argumento coloniarum Corinthi, de quo agetur in hujus moneta.
AR. R. AE. RRRR.

---

c) Mel. I. p. 98. d) Trachin. v. 518. e) Mus. Bodl. p. 6. f) Num. vet. p. 110.

Digitized by Google

TAPHIAS.

Vna insularum Teleboidum Leucadi adjacentium.

Caput muliebre. Ʃ ΤΑΦΑΙ. *Pegasus dimidius.* AR. II.

Hujus hunc numum esse insulae existimat Pellerinius g). Non impugno viri praeclari sententiam, etsi lubentius eam amplecterer, si scriptum esset ΤΑΦΙΑΙ. Eidem Khellius aeneum, inscriptum, ut putabat, ΤΑΦΙΑΙ. ΔΤΟ., largitus est h), at eum esse numum Dyrrhachenum, docui in meis Numis vet. i). Numum ΤΑ. huc refert Combius, sed quem Tanagrae Boeotiae restituendum puto. *AR. RRRR.*

AETOLIA.

Vniversa gens numos sues *autonomos* in omni metallo habuit.

Caput Palladis, vel, *Caput Herculis.* Ʃ ΑΙΤΩΛΩΝ. *Vir petaso tectus scutis insidens pendente ad latus sinistrum gladiolo d. hastam tenet, s. Victoriolam, per aream varia sigilla, et monogrammata.* AV. III. (Mus. Caes. et M. Ducis.)

Caput virile laur. Ʃ ΑΙΤΩΛΩΝ. *Vir nudus petaso a tergo pendente s. gladiolum tenens, d. nodoso scipioni innititur, et dexterum pedem saxo imponit.* AR. I. (Pellerin, Beger.)

Verisimile est, signum partis aversae esse idem, etsi vario situ fictum. Cujus illud numinis, vel herois sit, difficile est statuere. Spanhemius in numo, qui alteri ex citatis similis est, Meleagrum, vel Aetolum gentis auctorem, Begerus Apollinem indicari censuere, de qua lite vide plura apud Begerum k).

* * *

Caput muliebre petaso tectum. Ʃ ΑΙΤΩΛΩΝ. *Aper currens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Jovis, in aliis: *juvenile incertum.* Ʃ ΑΙΤΩΛΩΝ. *Venabulum et mandibula apri.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Jani gemini barbatum. Ʃ *Sine epigraphe. Venabulum et mandibula apri.* AE. II. (Mus. Caes.)

Argentei primo loco descripti operis sunt elegantissimi. Sistunt caput Atalantae, venatricis more petaso tectum, et in aversa aprum Calydonium, nempe decus Aetolis domesticum a famigerata expeditione juventutis Graecae in unius apri interitum congregatae petitum, et ex mythologis abunde cognitum. In sequentibus aeneis ejusdem ferae mandibula, et venabulum, cujus illa ictum excepit, comparent, quem typum videre est etiam in moneta Apolloniatarum sequentium, Amphissensium in Locris Ozolis sitorum, et jam vidimus in numis Oetaeorum Thessaliae. Haec mandibula sacrae fuere Aetolorum reliquiae, etsi solum ad patriae gloriam in numis proposita; nam reipsa Tegeae Arcadiae servabatur dono data Atalantae, quae *Tegeaea* dicitur Ovidio l), qua ex urbe

g) Rec. III. p. 115. h) Appendic. II. p. 145. i) Pag. 96. k) Observ. in num. ant.
l) Met. VIII. 317.

Digitized by Google

eam Augustus post victoriam ad Actium Romam transtulit m). Postremum numum argumenti tantum causa Aetolici conjunxi, nam urbis in eo nomen reticetur. Verisimile, signatum in quapiam Italiae urbe suadente istud Jani capite, non quod istud fastidiat Graecia propria, nam contrarium docent numi Amphipolis et Thessalonicae, sed quod illud frequentius reperitur in numis Italicis. Accedit, repertum eum esse in vetere Pandataria, hodie *Ventotene*. Sin istud dabitur, non dubitem, in quapiam Apuliae urbe prognatum, cujus pars olim Diomedi genere Aetolo parebat. Sane ejus urbs Arpi ex eadem causa aprum Calydonium in moneta sua expressit.

AV. RR. AE. R.

AEGITIVM.

Oppidum Thucydidi forte uni memoratum, insuper ut obscuri nominis, sic et situs.

Vaillantius *imperatorium* Plautillae, in quo antea legit: ΑΙΓΑΙΑΤΩΝ n), subinde ΑΙΓΕΙΑΤΩΝ o), urbi cuidam Aetoliae tribuit; verum ab Αἰγιτιῶ Thucydidis neutra terminatio formari potest. Reperio eundem numum inter imagines aeri incisas illustris cujusdam, sed mihi ignoti musei, in quo legitur ΑΙΓΕΙΑΤΩΝ. Forte numi similes ad aliquas in Peloponneso Aegas pertinent, cum constet, hujus peninsulae urbes, etiam quae maxime ignobiles fuere, per solum Severi imperium, et plerumque typo Aesculapii, numos signasse. Strabo et Pausanias Aegas Achaiae memorant, sed addunt, non amplius habitari. Sed fieri poterat, ut incolis serius iterum frequentaretur.

APOLLONIA.

Ex solo Livio cognita p), cujus in Aetolia situs confirmatur numo Pellerinii *autonomo:*

Caput Dianae. Ϟ ΑΠΟΛΛΩ. *Mandibula apri, hasta.* AR. III.
AE. RRRR.

ATHAMANES.

Quos geographi alii Epiro tribuunt.

Caput muliebre velatum. Ϟ ΑΘΑΜΑΝ. *Miles stans d. pateram, s. hastam.* AE. III. (Pellerin.)
AE. RRRR.

CALYDON.

Urbs pervetusti in Graecia nominis.

Autonomus.

Caput muliebre. Ϟ ΚΑΛΤΔΟΝΙΩΝ. *Lyra.* AE. (Catal. d'Ennery p. 97.)

Aeneum hujus urbis: ΚΑΛΤΔΩΝΙΩΝ typo *Apollinis lyra canentis*, et in Ϟ typo *tripodis* jam etiam vulgavit Goltzius.
AE. RRRR.

Imperatorius.

Severi: ΚΑΛΤΔΟΝΙΩΝ. *Serapis in templo distylo.* (Panel ex le Bret Mem. Trev.)
AE. RRRR.

---

m) Pausan. L. VIII. p. 694. n) Num. Graec. p. 114. o) Ibid. p. 192. p) L. XXVII. c. 8.

Digitized by Google

MEDION.

Numum, in quo Harduinus legit ΜΕΔΙΩΝ, quemque adeo Medeoni, Aetoliae secundum Stephanum adsitae, tribuit, esse Messenes Peloponnesi, infra ostendetur.

NAVPACTVS.

Maritima, nunc *Lepanto*. Argenteum ΝΑΥΠΑΚΤΙΩΝ habes in Goltzio. Didrachmum argumenti Corinthii, et inscriptum NAT. edidit Pellerinius, eumque huic Naupacto adseruit [q]), de quo infra in numis coloniarum Corinthi nonnulla dubia proponemus.

PAMPHIVM.

De numo inscripto ΠΑΜΦΑΗΣ, a Khellio huic urbi tributo [r]), sed verius, ut videtur, Argos Argolidis referendo vide infra in numis hujus urbis.

LOCRIS.

Locri triplex populus fuere, (de Epizephyriis actum in Graecia M.) *Opuntii* ab Opunte urbe principe, siti ad Euripum, *Epicnemidii* a Cnemide monte circa sinum Maliacum, utrisque ad occasum *Ozolae*. De variis his Locris vide Politum ad Eustathium T. II. p. 574.

Quaeritur, ad quos pertineant numi, qui nullo alio vocabulo, vel monogrammate addito tantum inscribunt ΛΟΚΡΩΝ. Istud, loquendo de singulis, expendemus.

LOCRI OZOLAE.

Dicti *Ozolae*, seu *graveolentes* ab ὀζω, *oleo*, quod in his esset sepulcrum Nessi et reliquorum Centaurorum, quorum de cadaveribus putrefactis traditum fluere foetidam aquam, ut perhibet Strabo [s]), et Pausanias [t]).

Pellerinius his tribuit didrachma inscripta ΛΟΚΡΩΝ cum typo coloniarum Corinthi [u]), quae tamen potius tradenda Locris Epizephyriis Italiae in Corintho monebo. Alium aeneum, in quo hinc *caput Palladis*, illinc ΛΟΚΡΩΝ et *fulmen*, ea solum de causa Ozolis tribuit, quia in uno ex prioribus infra Pegasum est fulmen. At cum, ut dictum, prioris generis numi ad Ozolas vix pertineant, nihil Ozolis certi juris in cimelium istud est. Eodem loco aeneum alium conjungit, in quo perperam legit: ΓΡΑΝΙC. ΛΟΚΡΩΝ pro ΟΥΡΑΝΙΑΣ. ΠΟΛΕΩΣ, quem esse Vranopolis Macedoniae, supra docui. Nullum adeo habemus numum; quem definite Ozolis possemus adserere, fuere tamen in eorum agro binae urbes quarum nobis superat moneta.

---

q) Lettres p. 200. r) Adpend. II. p. 105. s) L. IX. p. m. 653. t) L. X. c. 83.
u) Rec. I. p. 98.

Digitized by Google

AMPHISSA.

Ozolarum urbs princeps.

Caput Apollinis. Ϟ ΑΜΦΙΣΣΕΩΝ. *Venabulum, et mandibula apri medio astro.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numos sola inscriptione diversos, cetera simillimos, habuere etiam Oetaei Thessaliae. Vterque populus conditorem Aetolum ex Calydonis regis progenie habuit, ex quo habes causam typi Aetolici in utriusque numis. Confer dicta in Oetaeis. Sed et prodidit Pausanias, Amphissenses, quod Ozolarum nominis suppuderet, inserere se in Aetolorum gentem maluisse [x]). Causam astri a Strabone peto, qui narrat, Ozolas, quod reliquis Locris in occasum siti fuere, sigillo publico Hesperum insculptum habuisse [y]), tametsi videam, Locros quoque Opuntios astro monetam suam illustrasse. Amphissae numos hactenus ignotos primus in lucem dedit comes Cristiani [z]).

AE. RRR.

AXIA.

Hanc urbem unus Stephanus in Ozolis locat. Hunc igitur secuti antiquarii huc arcessunt *autonomos:*

Caput Jovis laureatum, in aliis *diadematum.* Ϟ ΑΞ. *Fulmen alatum.* AE. II. III. (Mus. Caes. Pellerin.) In alio: *Tripus.* AE. III. (Hunter.) In alio: *Fulmen intra coronam quernam.* AE. III. (Mus. Vitzai.)

At idem Stephanus aliam quoque Axiam in Italia locat, cui revera numos praesentes adjudicat Combius [a]). Res valde incerta. Confer numos Axi Cretae.

AE. R.

LOCRI EPICNEMIDII.

Hujus nominis Locri, olim cum Opuntiis conjuncti, discessione facta propriam gentem constituerunt dicti *Epicnemidii* ex causa, quam mox proponam. Nimis acute Pellerinius horum monetam distinguit, quam certius esse Opuntiorum credam, aut saltem communem utrorumque. Istud certum, utrisque Locris unum eundemque typum placuisse, ut patebit.

Caput Palladis. Ϟ ΛΟΚΡ. ΕΠΙΚΝΑ *Botrus.* AE. III. (Pembrock.)

Vnicus hic numus gentis *Epicnemidiae* mentionem facit addito ΕΠΙΚΝΑ, ni mirum quod monti Cnemidi adsita fuit, (Strabo), qui Graecis Κνημις, Dorice Κναμις. Eodem modo et Locri Italiae, quod promontorio Zephyrio vicini fuere, dicti sunt *Epizephyrii.* Pellerinius numum utrinque simillimum vulgavit, sed inscriptum ΟΠΟΥΝΤΙΩΝ. Ex quo perspicuum est, Epicnemidiis et Opuntiis communes fuisse typos. Quare dubii juris sunt numi sequentes:

Caput Palladis. Ϟ ΛΟΚΡΩΝ. *Fulmen.* AE. II. (Magnan Brutt. num. Pellerin.) In alio: *Botrus.* AE. III. (Magnan. l. c.)

Vtrumque numum perperam Magnanus Locris Epizephyriis dederat, sed repugnat fabrica. At propter causas memo-

x) Phoc. p. 685. y) L. IX. p. m. 638. z) Adpendic. I. p. 24. a) Mus. Hunter.

Digitized by Google

ratas minus tuto licebit pronuntiare, utris Graeciae propriae Locris sint tribuendi. En fulmen in hoc quoque monumento Palladi tributum. Opportune istud in Locrorum moneta, bene memorum, veterem suum regem Ajacem Oilei F. ab irata dea fulmine peremptum, quod notum ex Marone, aliisque.
AE. R.

LOCRI OPVNTII.

Sic dicti ab urbe Opunte, quam inhabitabant.

Caput muliebre spicis coronatum. ☧ ΟΠΟΝΤΙΩΝ. *Vir galeatus nudus irruens d. gladiolum intentat, s. clypeum praetendit, infra galea cum hasta, diota, etc.* AR. I. III. (Mus. Caes.)

Caput simile. ☧ ΛΟΚΡΩΝ. *Idem typus, intra pedes monogramma* ΟΠΤ. *vel* ΟΠΟΥ. AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ☧ ΛΟΚΡΩΝ. *Idem viri irruentis typus, sed capite nudo, in area tridens.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΟΠΟΝ. *Diota.* ☧ *Astrum.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. ☧ *Sine epigraphe. Astrum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ☧ ΟΠΟΥΝΤΙΩΝ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin.)

Virum armatum in his numis frequentem Harduinus censet esse Ajacem Oilei, qui fuit rex Opuntiorum [b]), quanquam et Patroclus, Menoetii F., hic quoque bello Trojano inclytus apud Opuntios natus est testibus Homero et Ovidio. Sunt ex his numis in museo Caesareo nonnulli insignis plane operis, qui exhibent gryphum interni clypei volumini affabre insculptum. Confer, si lubet, horum typum numorum cum pictura Theonis apud Aelianum [c]).

Quos secundo loco proposui, praeter epigraphen ΛΟΚΡΩΝ offerunt monogramma, constans, ut dixi, literis ΟΠΤ. vel ΟΠΟΥ., quod sine dubio explendum legendo ΟΠΟΥντιων. Eos nescio qua urgente causa Pellerinius Epicnemidiis tribuendos putat. Nam si casu sunt, quando adhuc Epicnemidii cum Opuntiis coaluere, nulla est ratio, eos his potius, quam aliis tribuendi; at si post eorum discessionem, praestat eos Opuntiis mandare, quorum monogramma praeferunt. In numis IV. loco descriptis, qui prioribus spectata aversa simillimi sunt, etiam hoc Opuntiorum monogramma deest scripto solo ΛΟΚΡΩΝ. Quare mallem numos solo ΛΟΚΡΩΝ insignes communem utriusque populi monetam putare, et eos, qui Opuntiorum vel aperte, vel per monogramma meminere, permittere Opuntiis, etsi probabile sit, eadem quoque moneta usos Epicnemidios.

Ex numo IV. patet, non Ozolas modo Hesperum, sed Opuntios quoque in symboli loco habuisse. Vide dicta in Ozolis. Caput Palladis in Locrorum numis obvium, et idem astrum sequentem quoque numum anepigraphum Locris vindicant. Diotam ejusdem numi illu-

b) Strabo L. IX. p. m. 651. c) V. H. L. II. c. 44.

Digitized by Google

strat Plutarchus, narrans [d]), Opuntios conquisitam solicite pecuniam, percussam ex argento, quod ex templo Delphico rapuere Phocenses, conflasse, confectamque inde argenteam hydriam Apollini Delphico dedicasse.

Numus postremus typos offert, quos vidimus etiam in numo, qui certo est Epicnemidiorum. Ex quo tanto magis apparet, inter Locros etiam divisos intercessisse aliquem nexum seu politicum, seu ut sese unam eandemque gentem profiterentur.

AR. R. AE. RR.

PHOCIS.

Regio ad sinum Corinthium, Locris et Boeotis intercepta. Totius regionis nomine cogniti *autonomi:*

ΦΟΚ. *Caput Apollinis laur.* Ϟ *Caput bovis adversum.* AV. III. (Mus. Caes.)

ΦΟΚΙ. *(retrograde) Caput muliebre.* Ϟ *Caput bovis.* AR. III. (Mus. Caes.)

Sunt hi numi spectata literarum forma, et operis modo inter antiquissimos Phocidis. Prior causa metalli forte unicus est. Videtur esse unus ex iis, quos Phocenses auctore Philomelo ex direptis Apollinis Delphici donariis aureis signavere, de quo vide, quae plura disserui in mea Sylloge I., quo loco insignem hunc numum vulgavi [e]).

* * *

Caput bovis, addita in aeneis *infula*, obvius est numorum hujus regionis typus, scripto juxta Φ. ΦΟΚΙ. ΦΩΚΙ. ΦΩ. Caput istud certum numorum Phocensium discrimen constituit, facitque, ne numi solo Φ inscripti alteri urbi ab hac litera incipienti adcommodentur. Singularis est numus Pellerinii:

ΦΩΚΕΩΝ. *Tria boum capita in triangulum disposita.* Ϟ Τ *intra coronam.* AE. II.

* * *

Caput Apollinis. Ϟ ΦΩ. *Equus passens.* AE. III. (Mus. Caes.)

AV. RRRR. AR. et AE. R.

AMPHICAEA.

Quae et Amphiclea.

Caput muliebre. Ϟ ΑΜΦΙΚΑΙ. *in medio laureae.* AE. II. (Panel. Mem. Trev. Octob. 1737.)

CYPARISSVS.

Ad Parnassum prope Delphos.

Caput (ut Pellerinio visum) *Apollinis cultu capillorum muliebri, prae quo lyra.* Ϟ ΚΥΠΑ. *Tripus intra lauream.* AE. m. m. (Pellerin.)

AE. RRRR.

DELPHI.

Vrbs ab antiquitate, oraculi superstitione, donariorum immensa copia, quae

d) de Pyth. orac. e) Pag. 28.

Digitized by Google

sacrificulorum fraus, et gentium credulitas huc derivaverant, per veterem orbem notissima. Dicta praeterea *umbilicus terrae*, quoniam in medio totius terrae defixa credebatur Jove ipso ejus experimentum capiente, ut praeter Strabonem, aliosque docet Claudianus, et consentit Euripides [f]:

Ινα μεσομφαλοι λεγονται μυχοι γας.
Vbi dicitur esse umbilicus terrae.

Autonomi:

Horum complures ex omni metallo edidit Goltzius, qui, si conficti sunt, ingeniose certe et erudite. Inscribuntur ΔΕΛΦΩΝ, et ΔΕΛΦΟΥ. Verum an dictum unquam Δελφος unitatis numero? Typi: *Caper silvestris*, proprium fere Cretae symbolum, ex qua Delphos coloni profecti. *Apis:* fuit antiquissimum Delphis templum fabricatum ex apum cera et pinnis [g]. *Vir delphino vectus*, nam Castalio coloniae duci adfuit Apollo sub delphini specie [h]. At aliqui haud dubie male sunt lecti. Sic aureus typo lyrae est Chalcidis Euboeae, cujus similem aliquando edidi [i]. Alter aeneus ΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΟΣ est numus Syriae notus, legendumque ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ.

Post Goltzianos seu veros, seu fictos nullus certus illustris hujus urbis autonomus conspectus. Argenteum edidit Fridericus Witzleben [k]: ΔΕ. *(in monogr.) Capra.* Ꝛ *Quadratum incusum.* Eum auctor cum ob monogramma, tum ob capram fatidicam Delphis tribuendum putat, quam sententiam adprobat quoque Froelichius, qui numum restituit [l], at certius numum Aegis Macedoniae restituendum censerem.

Memorandus tamen alius, qui Delphis videtur posse tribui:

Caput Cereris velatum et spicis coronatum. Ꝛ AMΦIKTIO. *Figura laureata, et stolata petrae insidens d. lyrae innixa, s. ramum.* AE. fere I. (Pellerin. Rec. I. p. 105.)

Et epigraphe AMΦIKTIO., et typi Cereris Apollinisque sacrum Amphictyonum concilium, vetustate et sanctitate in Graecia late inclytum, et in quo causae sacrae juxta, atque profanae agebantur, respiciunt. Memorat Herodotus templum Cereris Amphictyonidos exstructum prope Thermopylas, et sedilia Amphictyonibus juxta posita [m]. Etiam Strabo testatum reliquit, Pylagoras, qui iidem fuere cum Amphictyonibus, sacrificasse Cereri [n]. Constat quoque, apud Delphos constitutum Amphictyonicum collegium, quod et de publicis consultaret rebus, et templi negotia procuraret. Scriptum in hoc numo AMΦIKTIO pro sueto AMΦIKTTO non adversatur. Nam, ut Pausanias ex Androtione testatur [o], illi, qui ad concilium istud convenere, nomen istud adepti sunt, quod ex locis circum Delphos positis coire sunt soliti, dicti adeo

f) in Orest. v. 331. g) Pausan. Phocic. p. 810. h) Plut. de solert. anim. i) Num. vet. p. 161. k) Num. Graec. ined. l) Not. elem. p. 22. m) L. VII. §. 200. n) L. IX. p. m. 643. o) L. X. c. 8.

Digitized by Google

ΑΜΦΙΚΤΙΟΝΕΣ. Sed de Amphictyonibus, eorumque instituto vide, quae copiose congessit Antonius Vandale dissertatione VI.

Quae sit figura partis aversae, potest controverti. Pellerinio Apollo dicitur, nimirum propter lyram, lauream, et lauri ramum. Novi, Apollinem fingi stolatum, sed Actiacum; an et Delphicum, ignoro. Sane Apollo vates in copiosis numis fingitur nudus, et cortinae suae insidens, non, ut in praesente numo, petrae. Potius credam, ea exhiberi Herophilen, de qua haec lego apud Pausaniam p): *Saxum illic eminet, cui insistentem Sibyllam Herophilen Delphi perhibent oracula cecinisse - - - Eam Graeci ferunt Jove et Lamia Neptuni filia natam.* En tibi in hoc numo saxum, et quae mulieri fatidicae, et oracula canenti probe conveniunt, laurea et lyra. Neque obest, quod Pausaniae dicatur super petra *stetisse*, cum tamen in numo sedens fingatur; nam Clemens Alexandrinus, qui idem tradidit q), ait, ostendi apud Delphos πετραν τινα, ἐφ ἧς λεγεται καθιζεσθαι την πρωτην Σιβυλλαν κ. τ. λ. *petram aliquam, super qua fertur sedisse prima Sibylla, quae ex Helicone venerat, educata a Musis.*

Ceterum qua sive auctoritate, sive occasione hic signatus sit numus, non ausim definire.

Imperatorii.

Habes apud Vaillantium cum capite Hadriani, Faustinae utriusque, et Caracallae. Major numerus Hadriani. Addidit unum Antinoi Pellerinius. (Suppl. III. p. 131.)

Epigraphe ΔΕΛΦΩΝ.

Typi: Apollinis cultum, ut decuit, eloquuntur. Numus Sponii ipsam imaginem templi Delphici offert r).

Ludi: ΠΥΘΙΑ *intra coronam*, in numo Hadriani. (Arigoni.) Eos in hac urbe fuisse actos, satis constat.

AE. RR.

ELATEA.

Secundum Delphos Phocidis maxima.

Caput Palladis. ΣΕΛΑΤΕΙΩΝ. *Caput Neptuni, pone tridens.* AE. II. (Pellerin. Arigoni.)

In aversa numi ΦΩΚΕΩΝ, qui est apud Pellerinium, supra caput bovis legitur ΕΛ., quae literae Paciaudo ἀρχαιοσαι hujus urbis visae sunt; verum cum hae in aliis similibus numis varient, aliud certe designant.

AE. RRR.

BOEOTIA.

Autonomi communi Boeotorum nomine signati habentur copiosi.

Observandus in his clypeus utroque sui latere incisus ad modum anciliorum. *Boeoticus* is jure dicitur, nam hac forma clypei in numis urbium extra Boeo-

p) L. X. c. 12. q) Strom. L. I. §. 15. r) Voyage T. III. p. 172.

Digitized by Google

tiam sitarum non habentur, sic ut is nullo erroris periculo pro certo Boeotiae signo haberi possit, quod amplius patebit ex commemoratis variorum aphalmatis. Adverto etiam, obtinente alio typo principe clypeolum ejusdem formae videri areae numi infixum, cujus bina exempla suppeditat Pellerinius, atque idem Boeotos cum symbolo hoc sibi proprio constituisse, quod cum apio suo Selinuntii, cum malo Punico Sidetes, cum silphio Cyrenaei. Vt clypeum certae formae habuere Boeoti, sic et galeam, ex qua agnoscebantur Plataeenses picti in Poecile, qui Atheniensibus in pugna Marathonia auxilio venerunt [s]).

* * *

BOIΩ. *Diota.* ℵ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. (Pellerin.)

ΕΠΑΜ. - ΑΓΛΑ. - ΨΑΡΟ. - ΦΙΔΟ. - ΕΤΓΑΡΑ. - ΓΑΣΤ. - ΗΙΚΕ. - ΗΙΣΜΕΝ. *etc. Diota.* ℵ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. (Mus. Caes. Pellerin, Beger.)

BOI. *Diota, superne clava.* ℵ *Clypeus Boeoticus.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput barbatum hedera redimitum promicante ex fronte cornu taurino. ℵ *Sine epigraphe. Clypeus Boeoticus transversa clava.* AR. I. (Pellerin, Mus. Caes.)

Numi secunda sede propositi dissimulato regionis nomine solos inscribunt magistratus, sed quorum nomina a nonnullis antiquariis aliorsum sunt accepta. Sic το ΦΙΔΟ. notare Phidonem Aeginae regem pervetustum, numum adeo esse ex vetustissimis unum, confidenter docuit Begerus [t]), ejusque nepos Carolus Schottus [u]), etsi fabrica et literarum forma contrarium doceant, quem errorem jam perstrinxere Cuperus [x]), Barthelemyus [y]), Pellerinius, Bimardus [z]). Inscriptum ΕΤΓΑΡΑ quam nobis Boeotorum urbem indicet, dubitat Harduinus [a]). Ad nomen ΓΑΣΤ. adhaeret Nonnius Goltzii commentator nulla reperta per Boeotiam urbe hoc nomine praedita [b]). Ab eodem το ΗΙΣΜΕΝ. male Ismenae tributum. Est in museo Caesareo numulus argenteus perelegans:

Clypeus Boeoticus. ℵ ΕΡΧ. *intra coronam spiceam.* Eum Froelichius tribuit *Erchiae* Atticae [c]), quae fuit pagus solis Xenophontis natalibus nobilitatus. Verum docentibus numis aliis dubium non videtur, in hoc quoque το ΕΡΧ. notare magistratum. Enimvero in simili Hunteriano est plenius ΕΡΧΟ., ut adeo Erchia Froelichii plane dispereat. Amplius haec confirmantur, quod nonnulla his numis inscripta nomina revera insignium in Boeotia virorum, et praetorum quidem etiam, fuere. Cui non dictus Epaminondas? quem habes sub nomine ΕΠΑΜ. Ismenias ΗΙΣΜΕΝ., et hic inter Boeotos clarus, et praetor, de quo multa Xenophon [d]), quem lega-

---

s) Demosth. in Neaeram p. 876. t) Thes. Br. T. I. p. 279. u) Misc. Berol. T. I. p. 33. et 59. x) Lettres p. 10. y) B. L. T. XXVI. Mem. p. 542. z) ad Iobert. T. I. p. 26. a) Num. urb. ill. b) in Graec. p. 97. c) Cimel. Vindob. p. XXXVIII. d) L. V. Hist. Graec.

Digitized by Google

tione ad Artaxerxem Mnemonem functum, et ab hoc pecunia corruptum prodit Pausanias [e]), et a quo eundem regem citra Graeciae contumeliam adoratum refert Aelianus [f]). Alii viros alios insignes, qui in his numis indicantur, evolvant. Advertesis in praesentibus numis, qui per fabricam non admodum distantis aevi videntur, retentum adhuc in Boeotis digamma F, et aspiratam H.. Si HIΣMEN revera est memoratus modo modo Ismenias, ejus numi aetatem satis prope tenemus, cum constet, eum exeunte saeculo V. C. quarto Boeotorum res procurasse. Idem nomen Ciceroni scribitur cum aspirata, nempe: *Hismenias* [g]).

Numi III. loco positi diotam et clavam offerunt. Vtrumque ad Bacchi et Herculis cultum referendum Boeotis domesticum, utroque deo ex Thebana muliere prognato. In numo postremo Bacchum, sed Indicum, probat corona hederacea, et cornu tauri ex fronte protuberans. Cultu non multum abludente eundem sistunt numi Tarenti et Naxi Siciliae. De Baccho tauriformi vide dissertationem Campaniae numis subjectam.

Ceterum omnes hi numi Boeotorum eximii sunt laboris, neque pingue eorum ingenium olentes, adeo olim infame, ut in proverbio esset Βοιωτια ὑς, *Boeotia sus*, fatente id ipsum Pindaro Boeoto [h]), Tzetze [i]), Cicerone [k]), Plutarcho [l]). Verius confirmant hi numi legem a Thebanis sancitam, qua cavetur, ut pictores et statuarii imagines nobiliore forma exprimerent, (εἰς το χειττον) denunciata iis multa, qui contrarium facerent [m]).

* * *

Caput Jovis corona querna redimitum Ϫ ΒΟΙΩΤΩΝ. *Neptunus sedens d. delphinum, s. tridentem, in area clypeus Boeoticus.* AR. l. (Pellerin.)

Etiam in aeneis Neptunus frequens d. pede rupi insistens. Fuit vero Boeotus, qui populo nomen dedit, Neptuni et Arnes filius [n]), et Neptunum in Boeotia cultum diserte testatur Eustathius [o]).

* * *

Caput Herculis leonis rictu opertum. Ϫ ΒΟΙΩΤΩΝ. *Victoria gradiens d. fulmen vibrat, in area clypeus Boeoticus.* AE. II. (Pellerin.)

Commemorandus videbatur hic numus ob tributum Victoriae fulmen, cujus et exemplum in moneta sua dedere Bruttii.

* * *

Frequentes sunt Boeotorum numi aenei, qui manifeste videntur bis percussi. Tales binos profert Haymius, in quibus caput est duplex [p]). Alius est in Caesareo, in quo primum signatum erat caput juvenile sinistrorsum conversum, super quo serius signatum caput muliebre

---

e) L. III. p. 227. f) V. H. L. I. c. 21. g) in Verr. L. IV. c. 42. h) Olymp. VI. 151. i) ad Lycophr. v. 433. k) de Fato c. 4. l) de esu carn. orat. I. m) Aelian. V. H. L. IV. c. 4. n) Diodor. Sic. L. IV. o) ad Dionys. Perieg. v. 176. p) T. I. tab. XXII.

Digitized by Google

adversum. In ejusdem aversa expressus quidem est Neptunus uno pede saxo insistens, sed satis apparent rudera veteris matricis extrusae. Duplex etiam figura, altera similis Neptuno, altera equitis est in aversa numi Pelleriniani, qui etiam duplicem matricem suspicari facit. At nihil insolentius in re numismatica hactenus conspectum typo ejus numi, quem edidit Haymius [q]). Adi typum, et simul juva auctorem quid statueret incertum, et Oedipum in ipsa Boeotia frustra quaerentem.

AR. et AE. C.

ANTHEDON.

Aeneus ΑΝΘΗΔΩΝΙΩΝ apud solum Goltzium.

CITHAERON.

Pellerinius aeneum numum edidit cum epigraphe ΚΙΘ., et typo *trium lunularum.* Ejus simillimos binos habet museum Caesareum, aliosque novi in aliis museis exstare, sed qui omnes inscribuntur ΚΡΟ., quod satis mihi olim causae videbatur, ut liceret suspicari, numum a Pellerinio male lectum, omnesque Crotoni vindicandos, praecipue cum nullo auctore constet, Cythaeroni Boeotiae monti urbem cognominem fuisse adstitutam [r]). At Pellerinius in opusculo postremo suam iterum sententiam omnibus machinis defendit, meamque, velut qui inique lacessiveram, impugnat [s]). Lubet litem amice componere. Istud certum, omnes, quotquot viderim hujusmodi, luculentum ΚΡΟ. praeferre. Sin in Pelleriniano legitur ΚΙΘ., permittamus numum praetensis his Cythaeronicolis, ac tum miremur perfectam typorum ac rationis monetariae concordiam inter populos, quos longa terrarum mariumque spatia, nullo, quod constet, nexu separavere. In numo simili, qui est in museo Neumanni, distincte legitur ϘΡΟ. At constat etiam, primum elementum hac forma fuisse Crotoniatis familiare.

COPAE.

Lacui Copaidi nomen dedere.

Imperatorium Vespasiani edidit Tristanus [t]), ΚΩΠΑΙΩΝ. *Ceres gradiens singulis manibus singulas faces gestat.* Similem, et ejusdem Vespasiani citat Patinus, sed perperam scribit ΚΟΠΑΙΩΝ [u]). Fuisse Copis delubrum Cereris, docet Pausanias [x]). Ceterum neque a Vaillantio, neque alio quoquam hujus urbis editum numum reperio. Suspicor, pro ΚΩΠΑΙΩΝ legendum ΠΑΓΑΙΩΝ, ac tum hi numi erunt Pagarum Atticae, quas vide.

DELIVM.

Caput Jovis laur. Ϫ ΔΗ. ΤΑ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. clypeum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Fuit Delium in agro Tanagraeorum,

---

q) Tom. I. tab. XXII. n. 5. r) Num. vet. p. 45. s) Additions. p. 68. t) Comment. hist. T. I. p. 185. u) Numi Impp. in indice. x) Boeot. p. m. 756.

Digitized by Google

de quo multa testimonia congessit Wesselingus y), ubi celebre exstitit Apollinis fanum, de quo vide numos Tanagrae. Epigraphe ΔH. TA. suspicari facit, legendum: ΔΗλιων ΤΑναγραιων, numumque huc jure vocandum.

AE. RRRR.

ERYTHRAE.

Vetus urbs, cujus in catalogo meminit quoque Homerus. Ejus rudera prope Cythaeronem montem locat Pausanias z).

Pegasus volans, pone pileus Castoris. Ϫ EPTΘ. *Astrum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Vir nudus equum freno retinens. Ϫ EPTΘ. *Astrum.* AR. III. (Pembrock.)

Cur numos similes huc appellam, causam aliam adferre non possum, quam quod typo et fabrica nimium abludunt a certis numis Erythrarum Ioniae, et quod hae constanter inscribunt EPT. Secundo ex his similem edidit Pellerinius, et cum in eo legeret - EΦT., Zephyrio Ciliciae tribuere non dubitavit a). Ejus judicium citati numi corrigunt.

* * *

Ad has quoque Boeotiae Erythras antiquarii non pauci vocaverunt argenteos cum capite Herculis, ejusque in aversa attributis, verum tutius hos cum Pellerinio Erythris Ioniae permittimus, quas adi.

AR. RRR.

HARMA.

Huic a Goltzio tribuuntur argentei cum typo Palladis, et Pegasi propter adscriptum AP. vel APM., sed hi verisimilius propter argumentum Corinthium Syracusas pertinent, de qua numorum classe agetur in Corintho.

HILESIVM.

Huic Boeotiae oppido Bandurius largitur numum male lectum ΔΙΔΥΜΑΙΩΝ. ΕΙΛΗCΙΩΝ b), quem esse Mileti Ioniae, in hac docebimus.

ISMENE.

Teste Stephano vicus Boeotiae, quorsum olim *autonomum* adegeram: (Num. vet. p. 113.)

Clypeus Boeoticus. Ϫ ΙΣΜΗΝ - - *Caput capri silvestris.* AE. III. (Mus. Caes.)

Fateor, ne has quidem omnes literas esse satis integras, etsi per clypeum numum esse Boeoticum dubitari non possit.

AE. RRRR.

Imperatorium Commodi nimium perfunctorie citat Harduinus, quin museum nominet, vel typum definiat. Epigraphe praetenditur: ICΜΕΝΕΙΩΝ.

LARYMNA.

Caput muliebre. Ϫ ΛΑ. *Clypeus Boeoticus.* AE. III. (Pellerin Rec. I. tab. XIX. n. 4.) Addidit similem alium Neuman-

y) ad Diod. Sic. L. XII. c. 69. z) Boeot. c. 2. a) Rec. II. p. 162. b) Tom. I. p. 122.

Digitized by Google

nus, nisi quod praeterea ex altera clypei parte leguntur literae ΣA. (Num. pop. p. 215.)

Numum suum Pellerinius propter literas ΛA. cum Laconum moneta miscuit. Verum cum hactenus in certo quopiam numo extra Boeotiam signato ejus formae clypeus conspectus non sit, et habeamus certam Boeotiae urbem ab iisdem literis incipientem, jure nobis permissum putabimus, a viri praestantis opinione deflectere, et cimelium istud restituere *Larymnae*, quam Pausanias diserte Boeotorum urbem dicit, addito, fuisse olim Opuntiis contributam, sed auctis Thebanorum rebus ultro Boeotis accessisse [c]). Vnde factum, ut Strabo non observatis rite temporibus, ut recte monet Cellarius, binas statueret Larymnas, unam in Boeotis, alteram in Locris. Etiam Plutarchus Larymnam Boeotiae oppidum facit [d]). Literas ΣA. alterius numi indicare posse Salganeum ejusdem Boeotiae, leviter suspicatur Neumannus.

Haec cum ego et Neumannus certa putaremus, vidimus nuper Pellerinii sententiam praeplacere Sestinio Lacedaemoni hos numos tribuentis prolatis numis aliis:

Caput Herculis laur. Ɪ ΛA. ΣA. - ΛA. NI. - ΛA. TI. *Clava intra lauream.* AE. III.

Caput idem. Ɪ ΛA. KH. - ΛA. NI. - ΛA. ΣI. ΛA. TI. - ΛA. ΦI. - ΛA. AIO - ΛA. EΛT. *Diota.* AE. III.

Caput Bacchi hedera coronatum. Ɪ ΛA. ΣA. *Diota, in area botrus.* AE. III.

Cum ergo numos hos omnes non dubitet esse Lacedaemonis, necesse erit, ait, numum quoque Pellerinii et Neumanni esse ejusdem urbis [e]). Hanc viri eruditi conjecturam non negabo suum habere pondus. Interea tamdiu in Larymna acquiescam, donec constabit, etiam in aliarum extra Boeotiam urbium numis clypeos formae Boeoticae fuisse signatos. Et nescio, an non aequo jure liceret arguere, omnes hos Sestini numos esse potius Larymnae. Nam cum ΛA. addito ΣA. legatur in numo, quem nos esse Larymnae non dubitamus, verisimile putamus etiam, eodem pertinere numos ΛA. NI - ΛA TI. etc. Offerunt iidem capita, vel attributa Herculis et Bacchi, at quis ignorat, utriusque cultum, quia in Boeotia nati, fuisse hac in regione perfrequentem?

AE. RRR.

MYCALESSVS.

Vrbs vetusta et Homeri versibus nobilitata, sed cujus Pausaniae aetate nonnisi rudera supererant.

MT. *Fulmen.* Ɪ *Clypeus Boeoticus.* AR. III. (Mus. Savorgnan.)

Varia ad hanc urbem spectantia vide in meis numis vet. (pag. 113), quo loco insignem hunc numum vulgavi.

AR. RRRR.

---

c) Boeot. c. 23. d) in Sulla p. m. 468. e) Lettere IV. p. 56.

Digitized by Google

ORCHOMENVS.

Sic dictus ab Orchomeno Minyae filio hujus tractus rege.

OPX. *nullo typo.* Ɪ *Clypeus Boeoticus.* AE. (Haym.)

Clypeus hujus formae vetat, quo minus hic numus Orchomeno Arcadico tribui possit.

AE. RRRR.

PELECANIA.

Pellerinius *autonomum*, in quo:

Caput Palladis. Ɪ ΠΕΛΕΚΑΝ. *Equus pascens*, AE. II. Pelecaniae tribuit, quam ait fuisse exiguum Boeotiae tractum. Ex quo istud geographo vetere hauserit, ignoro. Istud certum, numos Pellae Maccdoniae typo utrinque simillimo esse, quamquam et illud certum sit, in hoc Pellerinii numo saltem ΠΕΛΕΚ distincte legi.

PLATAEAE.

Vrbs cumprimis nobilis victoria Pausaniae et Aristidis de Mardonio Persa.

ΠΛΑ. *Caput muliebre adversum margaritis luxurians.* Ɪ *Clypeus Boeoticus.* AR. III. (Haym, Mus. Caes.)

Haymius caput anticae censet esse Junonis lepido astu a Jove deceptae, quae causa fuit exstructarum Plataearum, et reperti novi nominis *Junonis Sponsae.* Vide plura apud Haymium hanc fabulam ex Plutarcho in Aristide enarrantem.

AR. RRRR.

TANAGRA.

Prope Thebas.

Autonomi:

ΤΑ. *Equus dimidius saliens.* Ɪ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput Bacchi hedera coronatum. Ɪ ΤΑ. *Botrus.* AE. III. (Ex museo M. Ducis editus in meis Num. vet. p. 114.) *Lyra.* Ɪ ΤΑ. *Caduceus.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 30.)

Numus postremus attributa Apollinis, et Mercurii offert, quorum causam dabimus in imperatoriis.

Addidere binos alios Arigonius, et auctor musei Musellii, in utroque praetenditur epigraphe ΤΑΝΑΓΡΙΤΩΝ, in illo typus, *arcus*, in hoc *congeries armorum.* At Stephano gentile est Ταναγραιος, cum quo consentit et sequens numus Trajani.

AR. RR. AE. RRR.

Imperatorii.

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟC. *Caput Germanici nudum* Ɪ ΤΑΝΑ. *Apollo nudus stans d. ramum, s. arcum.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΤΑΝΑΓΡΑΙΩΝ. *Mercurius stans*, in numo Trajani. (Pellerin.)

Vterque numus potiorem apud Tanagraeos Apollinis et Mercurii cultum profitetur, quorum attributa mox in autonomo conjuncta vidimus. De Delio famoso Apollinis templo, quod in Tanagraeorum agro stetit, egimus supra in Delio. Ablatam inde Apollinis statuam Datis Medus Tanagraeis restitui jussit, ut docet Herodotus f) collatus cum Pau-

f) L. VI. c. 118.

Digitized by Google

sania 5). Sed et insignes Mercurium apud Tanagram habuisse honores, docebit additis causis Pausanias h).
AE. RRR.

THEBAE.

Vrbs si qua alia illustris famae cum ab antiquitate, nam aedificata est a Cadmo Agenoris F. ex Phoenicia profecto omine bovis procumbentis, cujus facti memoriam non quidem Thebae ipsae, sed metropolis Tyrus in numo suo coloniae nomine signato servavit scripto juxta bovem jacentem ipso nomine ΘΗΒЄ, tum a varia, et saepe sinistra fortuna, nimirum ter excisa, primum ante Troica ab Epigonis, deinde circum Troica a Pelasgis, tertium ab Alexandro M. subinde a Cassandro restituta; denique ab heroum suorum gloria, et poetarum figmentis, inter quae praecipuum nati in hac urbe Bacchus et Hercules.

* * *

--ΒΑΙΟΣ. *(exple* ΘΕΒΑΙΟΣ.*) Vir nudus ingeniculatus arcum tendit.* ℞ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. (Hunter.)

Numus omnium, quot norim, causa antiquitatis praestantissimus. ΘΕΒΑΙΟΣ est gentile in recto, ut ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ, ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΣ, et similia.

* * *

Epigraphe in argenteis aliis, qui fere antiquitate praestant, ΘΕ. ΘΕΒ. ΘΕΒΗ., in posterioribus aeneis: ΘΗΒΑΙ. ΘΗΒΑΙΩΝ. In horum uno Goltziano, quem mox citabo, reperio etiam ΘΕ. Mirare scripturam hybridam ΘΕΒΗ pro ΘΗΒΗ, jam inducto, ut vox ipsa inscripta docet, elemento Η. Contrariam rationem sequitur ΘΗΒЄ in numo Tyriorum supra memorato, et hanc quoque mirabilem, nisi plus veniae impertiendum esset numo coloniae, et quidem aetate Gallieni prognato.

* * *

Typi in argenteis omnino iidem, quos in argenteis communi Boeotiae nomine signatis vidimus: *Caput Bacchi Indici hedera coronatum.* ℞ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. — *Diota certae formae imminente in minoribus clava.* ℞ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. III. Ex quo colligere licet, numos communi Boeotorum nomine notatos in principe hac ejus gentis urbe cusos. In horum igitur moneta Thebanos hos typos pariter explicatos vide.

* * *

ΘΕ. *Caput imberbe Herculis.* ℞ *Clypeus Boeoticus, cui inserta clava.* AR. III. (Hunter.)

Proditum a scriptoribus, veteres privatim varia symbola clypeis suis inscripsisse, sive ut hostibus suis essent terrori, sive ut decus paternum ostentarent, sive quacunque alia de causa, quod quidem Carum fuisse inventum, tradit He-

---

5) L. X. c. 28. h) L. IX. c. 22.

Digitized by Google

rodotus [i]). Idem variis quoque de causis factum publice. Fulmen Romanorum clypeis insertum res cognita, Sicyonios vero inscripsisse Σ, Lacones Λ, Argivos A tradit Xenophon [k]). Ergo ex praesente numo verisimile, Thebanos, ut sese a reliquis Boeotis discernerent, Herculis apud se nati clavam clypeis suis aut inscripsisse, aut insculpsisse, unde reor posse lucem adfundi orationi Xenophontis admodum ambiguae, et hucusque perperam ab interpretibus explicatae. Narrat is [l]), partem Arcadum cum Epaminonda Thebano adversum Lacedaemonios junxisse arma, atque ut istud ex animo facere viderentur, addit: ἐπεγεγράφοντο δὲ καὶ τῶν Ἀρκάδων ὁπλῖται ῥοπάλα ἔχοντες, ὡς Θηβαῖοι ὄντες, quam orationem sic Latine reddit Leunclavius: *ac nonnulli etiam Arcades gravis armaturae pedites nomina dabant gestantes clavas, perinde ac si Thebani essent*, quae quidem interpretatio pridem mihi a vero maxime aberrare visa. Novi, omni aetate a barbaris clava pugnatum, et antiquitus quidem ab Hercule et Theseo, reipsa barbaris, sed quos Graeca elegantia heroes deosque effecit, ut aeque hodie a barbaris omnium nationum. At vix credam probari posse, Epaminondae aetate, qua gladii, hastae, sagittae valuere, rem clavis in praelio actam. Et quidem si vera est Leunclavii interpretatio sequetur, clavarum usum fuisse unis Thebanis proprium, quia Arcades, ut Thebanarum sese partium profiterentur, clavas arripuere. Sin istud, tanto magis mirum foret, singularem hunc morem a veteribus praeteritum, quod is probatus adhuc fuit Epaminondae, qui maximus rei militaris magister aetate sua est habitus. Praeterea cum Thebani hoc imperante omnes Graecos armorum gloria superaverint, mirum etiam, non alios quoque Graecos ad clavas conversos, neque etiam Philippum II. Macedonem, qui sese in re militari Epaminondae in disciplinam dedit, clavis milites suos instruxisse. Quare mihi pridem Xenophontis verba sic capienda visa, Arcades inscripto clypeis suis clavae insigni sese Thebanos professos, quoniam, ut supra dixi, partes inscriptis variae naturae signis sese sunt discernere solitae, quam nunc conjecturam praeclarus huic Thebanorum numos eximie confirmat. Nihil aliud magis ad faciendam conjecturae fidem valet, quam si alter ad idem sentiendum, sed ex diverso impellitur. Quod ego ex usu artis tacticae, et praesentis numi praescripto conjeceram, id ipsum Samueli Moro Lipsiensi, qui nuper Xenophontis historiam vulgaverat, ex grammaticae legibus verisimile visum. Cum enim viro erudito non adrideret, ut ἐπιγεγράφω dicatur *nomina dare*, pro quo dicendum omnino fuisset ἀπογεγράφω, sensum orationis Xenophonteae, quamvis timide, huno esse conjecit: *inscribebant clypeos suos ita, ut si Thebani essent*,

i) L. I. §. 171. k) Hist. Graec. L. IV. l) Hist. Graec L. VII. sub. fin.

Digitized by Google

addo ego: *insigni clavae.* Non obstat, omissam ab historico *clypei* vocem, quia vulgo ejus aetatis usus docuerat, unis clypeis haec discrimina inscripta, et commode idem vir clarissimus Aristophanis versum ex Suida huc vocat: (in ἐπεγραφω) Και γαρ συ μεγαλην ἐπεγραφω την Γοργονα, *Num et tu* (clypeo tuo) *magnam inscribebas Gorgonem*, in quo videmus et idem ἐπιγραφομαι captum pro *inscribo*, et omissum *clypei* vocabulum. Ceterum ut Thebani in memoriam Herculis sui clypeis inseruere clavam, sic et Parapamisadae, gens Indica, clavam tanquam Ηρακλεος παρασημον inussere bobus, ut Herculem ad se venisse indicarent, de quo vide Arrianum [m]), et ex eo Eustathium [n]).

* * *

Ex aeneis, quorum plerique item Bacchi et Herculis cultu occupantur, commemorandus unus:

ΘΕ. *Caput Bacchi Indici barbatum, et hedera redimitum.* Ϟ ΚΕΤΡΙΓΟΡΙΟΣ, *Diota, juxta thyrsus.* AE. III. (Goltzius in Graec. tab. XVII. 1.) Simillimum edidit Pellerinius, sed absque ΘΕ. (Suppl. III. p. 109.) Sed in aliis legitur ΚΕΤΡΙΓΟΡΙΟΣ, ut dicetur. (Mus. Caes.)

Jure Goltzius numum suum Thebanorum monetae inseruit, at suum Pellerinius Ceae insulae prope Atticam sitae, dictantibus nempe judicium hoc literis KE., quibus plerumque ejus numi sunt insigniti, et quod in ejus numo absunt litera ΘΕ. Videtur vir eruditus non reflexisse animum ad citatum numum Goltzianum, in quo praeterea praesto sunt literae ΘΕ. certi monetae Thebanae indices, atque etsi hae abessent, tamen in his et caput Bacchi, et vas diotum tam perfecte sunt similia iis, quae in certis Thebanorum numis comparent, ut dubitari non possit, eos horum quoque monetae accensendos. Quis vero deinde dandus sit sensus inscriptioni aversae, minus tutum decidere. Pellerinius literas KE a sequentibus puncto dividit, Goltzius conjunctas proponit. Sane magistratui alicui Thebano fuisse nomen *Cetriporii*, inter ἁπιστα referendum non est. Haec scripseram, cum Vindobonam adlati sunt numi duo simillimi, iique integerrimi. In utroque desunt literae ΘΕ., unde suspicari licet, eas a Goltzio more suo jam alias satis cognito adfictas, ut tanto certius evaderet Thebanorum numus. In utroque post literas KE nullum apparet punctum, quo Pellerinii Cea ultro corruit. Totum denique vocabulum legitur ΚΕΤΡΙΓΟΡΙΟΣ, sexto elemento luculento Γ, non Π.

AR. R. AE. RRR.

THESPIAE.

Prope sinum Corinthiacum. Vrbs Cupidini maxime devota, cujus primum ex vetere more simulacrum habuit lapidem rudem, cum aeneum suffecit Lysippus, at multo praestantiorem marmoreum Praxiteles, quem ab auctore ipso reliquis

---

m) Exped. Alex. L. V. c. 3. et Hist. Ind. c. 5. n) ad. Dionys. Per. v. 1153.

Digitized by Google

omnibus suis artefactis longe fuisse praelatum lepido astu comperit Phryne amasia o). Ejus unius videndi causa aditas fuisse Thespias, nullo alio operae pretio, dixit Cicero p). Subinde Romam translatum a Caligula, restitutum suis a Claudio, rursus ademptum a Nerone, positumque in Octaviae scholis, denique flammis absumptum prodidere Pausanias q), et Plinius r).

ΘΕΣΠΙΚΟΝ. *Caput muliebre, in area lunulae duae* ☾ *Clypeus Boeoticus.* AR. I. (Mus. M. Ducis.)

ΘΕΣ. *Caput muliebre, prae quo luna bicornis.* In alio: *Duae lunulae.* ☾ *Clypeus Boeoticus.* AR. III. (Pellerin.)

Caput muliebre velatum. ☾ ΘΕΣΠΙΕΩΝ. *Lyra intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Insolentior est epigraphe numi I. ΘΕΣΠΙΚΟΝ, quod esse κτητικον positum pro ἐθνικα abunde alias disserui s). Imagini Phrynes apud Delphos positae inscriptum legebatur: ΦΡΥΝΗ. ΕΠΙΚΛΕΟΥΣ. ΘΕΣΠΙΚΗ t). Typi plerumque lunae cultum profitentur incerta causa.

* * *

Dedimus certos Thespiensium numos. At inter incertos ablegandos censeo eos, in quorum area est ⌸, quod habitum est pro Θ quadratae formae ab Haymio u), Froelichio x), Pellerinio y), Khellio z), et cujus forma occurrit etiam in binis Atheniensium apud Haymium. Ex quorum ergo judicio numi omnes simili elemento notati, nam eorum plures sunt ac varii, jam Thebis, jam Thespiis, jam Thyreae Argolidos sunt adjudicati, de qua causa vide plura in numis postremae hujus urbis.

AR. et AE. RRR.

ATTICA.

ATHENAE.

De celebris hujus urbis numis actum a pluribus dissertatione singulari, ab Oudineto a), Comite Winchilsea b), Corsinio c), quibus adde Begerum, Wise, Pellerinium, Apostolum Zeno d), tum et locupletem thesaurum Hunterianum. Ex his fontibus petam ea, quae ad explicandam Athenarum monetam pertinent, inspersis, ubi necesse duxero, propriis animadversionibus.

Autonomi.

Hos commode in tres classes partiemur, aureos, argenteos, aeneos.

---

o) Pausan. L. I. c. 20. et L. IX. c. 27. p) in Verr. L. IV. c. 2. q) L. IX. c. 27. r) L. XXXVI. p. 726. s) Num. vet. p. 234. t) Athenaeus p. m. 591. u) T. I. p. m. 231. x) Not. elem. p. 24. y) Rec. T. I. p. 158. z) Adpendic. I. p. 41. a) B. L. T. I. p. 219. b) Haym. T. I. p. m. 159. c) Fast. Attic. T. II. p. 219. d) Lettere T. II. p. 124.

Digitized by Google

Moneta aurea.

Hujus metalli numum nullum habemus certum. Binos se possidere aliquando existimabat Pellerinius [e]), anepigraphum utrumque, suadente nempe solo noctuae typo, sed quae in plurium aliarum urbium numis, ut constat, nidulatur. Horum primus typo caprae et noctuae nullum certum criterium offert; alter cum capite Palladis, et noctua addito ΣΩ, haud dubie Tarentinus est, ut jam alias probavi [f]). Serius ipse vir eruditus sententiae suae coepit diffidere [g]), nullumque ipse agnovit aureum certum hujus urbis. Spanhemius se ejus complures aureos in variis museis vidisse testatur, at in quibus? quae eorum forma, typus? Istud nobis vir summus invidit [h]). Nuper illustris Combius in catalogo musei Hunteriani aureum edidit ejus formae, cujus copiosos argenteos antiquioris formae habemus: *Caput Palladis.* ΣΑΘΕ. *Noctua stans, pone ramus oleae et lunula.* Addit, singulare istud numisma regis munificentia gazae Hunterianae accessisse [i]), de cujus fide arbitrentur, qui viderunt. Denique et Winckelmannus Atheniensium aureum in museo Farnesiano se vidisse adfirmavit [k]), sed quem virum illustrem in re numismatica auctorem minime gravem novimus.

An ergo nullos praepotens ea urbs ex hoc metallo flavit numos? Flavit sane, si comicos et scholiastas audiamus. At vero illorum proprium est ludere in verbis, horum fallere et falli. Ex Comicis Aristophanes, quem ex veteribus fere unicum vadem citant monetae aureae patroni, in Ranis v. 372, vetus Atheniensium numisma (ἀρχαῖον νόμισμα) opponit novo inducto aureo. (καινῷ χρυσίῳ). Cum vero in sequentibus versibus vetus illud vocet probum purumque, at novum pessimos aeneos, (πονηρὰ χαλκία) satis apparet, eum primo loco εἰρωνικῶς locutum, in quo judicio gaudeo mihi convenire cum erudito Wise contra Spanhemium, aliosque [l]). Haec ironia magis patet collato versu 817 in Concionantibus, ubi narratur, novam monetam aeneam abolitam, et restitutam argenteam praecone diserte addente: ἀργυρᾷ γὰρ χρώμεθα, *argento enim utimur*, nulla facta auri mentione. Aureorum quidem Atticorum meminit etiam scholiasta ad Aristophanis Equites v. 1091. Verum cum is eo loco in hoc quoque peccet, quod eos ex fodinis Laurioticis signatos adfirmet, cum tamen ex his secundum omnium veterum testimonia argentum solum effossum sit [m]), patet, quantum ejus judicio de ipsis numis aureis deferre liceat. Post haec nemo credo vitio dabit, si auctoritatem Pollucis aureos Atticos testantis [n]) aspernandam puto. Auctores alii, cum monetae Atticae memi-

---

e) Rec. I. p. 142. f) Num. vet. p. 60. g) Suppl. III. p. 60. h) Ad Aristoph. ranas v. 735. i) In praefat. p. 9. k) Hist. art. p. 641. novae edit. l) Mus. Bodl. p. 138. m) Meurs. Fort. Athen. c. 7. n) L. IX. §. 83.

Digitized by Google

nere, auream dissimulant. Ita Demon citatus a scholiasta Aristophanis o) agens de vulgata paroemia γλαυκ' εἰς Ἀθηνας, ait de Atheniensibus: οὐκ ἐν ἀργυρῳ μονῳ, ἀλλα και ἐν χαλκῳ χαραττουσι την γλαυκα, *non in argento modo, sed et in aere signant noctuam.* At cur vetus hic auctor non citat etiam monetam Atheniensium auream, si quam habuere? Pericles cum thesauri sive sacri, sive profani copias praedicaret, quem Athenienses in belli Peloponnesiaci usus convertere possent, adfirmavit, esse in arce sex millia talentorum argenti signati, tum quinquaginta talenta auri et argenti non signati p). Satis ex hoc Periclis calculo apparet, auro signato non usos Athenienses. An enim secus neglexisset, auri quoque signati praesentem copiam commemorare? Quod si Periclis aetate, qua Atheniensium res florentissimae fuere, aurea moneta caruit respublica, minus verisimile, invectam fuisse serius attritis ejus bello Peloponnesiaco opibus. Demosthenes quoties de moneta Attica loquitur, semper argenteam innuit. Quod si de aurea agit, manifeste innuit quoque, eam fuisse peregrinam. Clare istud apparet ex oratione in Phormionem q), tum et Lysia conquerente r), sibi ab Eratosthene vi adempta tria talenta argenti, CCCC. Cyzicenos, C. Daricos, quibus ex testimoniis colligere praeterea licet, Athenis in defectu monetae aureae valuisse aureos externos, quo de argumento plura disseruimus in Prolegomenis generalibus capite XVI. Fuit ergo apud Athenienses aurum merx, argentum pecunia, ut aliquamdiu apud Romanos adhuc liberos, et hodie in amplissimo Sinarum imperio.

Moneta argentea.

Ea magno numero superest. Longe vetustissimam fuisse bove insignem, testantur Plutarchus s), Pollux t), et scholiastes ad Aristophanis aves v. 1105. Vnde ajunt tractam paroemiam: βους ἐπι γλωσσῃ βεβηκεν, *bos linguam conscendit*, nempe cum quis argenti causa tacuit. Vide Pollucem u), et scholiastem Homeri x). Vtut haec erunt, id genus monetae jam nunc superstes non est. Qui superant argentei, fere omnes hinc caput Palladis, illinc noctuam sistunt, de quo monetae Atheniensis typo passim loquuntur veteres. Propter Palladis caput dicta fuit etiam Κορα, *Puella* y), at γλαυξ frequentius propter *noctuam*. Hinc lusus servi Gylippum herum furti arguentis apud Plutarchum z), multas noctuas in Ceramico, id est: sub tegulis latere. Habuisse triobolum utrinque insculptum Jovis caput, tradidit Pollux a), at quoniam cum hoc typo nullum habemus superstitem, verisimile est, ut saepe alias virum bonum cespitare.

Spectato pondere varios modos mo-

---

o) In Avib. v. 302. p) Thucyd. L. II. c. 13. q) pag. m. 943. seq. r) Orat. contra Eratosth. s) In Theseo. t) L. IX. c. VI. §. 60. u) l. c. §. 61. x) ad Iliad. Φ. v. 79. y) Pollux, l. c. §. 75. z) In Lysandro. a) l. c. §. 63.

Digitized by Google

nètae Atticae argenteae suppeditat Pollux, nempe tetradrachma, didrachma, tetrobola, triobola, diobola, obolos, semiobolos. Horum tabulam ponderum dedit Haymius [b]), pondus vero singulorum numorum in catalogo Hunteri accurate habes indicatum, quod cum Haymianis calculis eximie conspirat. Quin exstant in museo Caesareo, Hunteriano, et alibi numuli, qui sunt semiobolorum dimidii, seu qui quartam oboli partem constituunt, duo nimirum grana adpendentes, quorum non meminit Pollux, et tamen in minutissimo volumine luculentos offerunt typos Atticos, et inscriptionem, quos non magis mirere in pecuniae usum potuisse servire, quam ad nostram usque aetatem pervenire. Haec monetae Atheniensis pondera docet experientia bilancis ope instituta. Mira adeo visa oratio Livii, qui, quo loco Flaminini de Philippo Macedone triumphum, captamque praedam enarrat [c]), sic ait: *signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum; tetradrachma vocant, trium fere denariorum in singulis argenti pondus est.* Locus hic criticorum ingenia, ut decuit, misere vexavit, quoniam ex veterum consensu drachma et denarius idem fere censebantur. Dicere, ignorasse Livium rei monetariae negotium, quo uno Gordius hic nodus planissime resecabatur, religio fuit. Ergo aliis visum, denarium illo tempore fuisse drachmae et trientis pondere, alii, pro *trium* legendum *quartuor fere denariorum* censuere. Verum ab utrisque male defensa causa, quia modum peccatum excessit. Denarium tum (intelligo Augusti aevum) adpendisse drachmam cum triente, quod ex hoc loco collegerat Priscianus, certae experientiae ex ejus aetatis numis captae repugnat. Esto, locum luxatum, etsi in verbo *trium* non appareat dissensus codicum, et is non aliter legatur apud Priscianum [d]), sed et tum major excessus, quam qui historicum adcuratum fugere debuerat. Secundum oraculum Livii, si lectionem *quatuor fere denariorum* recipiamus, numus Atticus tetradrachmus ne quatuor quidem denarios plene adpendit. Verum instituto examine cum integerrimis tetradrachmis Atticis musei Caesarei et denariis Augusteis reperi, tetradrachmum super quatuor denarios adpendere quasi semissem, seu quinarium. Recte istud ex tradita alibi doctrina de ratione drachmae et denarii, secundum quam denarius se habet ad drachmam Atticam fere ut 8 ad 9. Nam cum tetradrachmum Atticum adpendat denarios $4\frac{1}{2}$, seu quinarios 9, ex hoc etiam in tetradrachmo partis nonae excessu egregie confirmatur memorata ratio denarii ad drachmam ut 8 ad 9. Vtrum Livianam lectionem apte defendat cl. Dupuy [e]), magnopere dubito, sed quod nunc expedire non vacat. Sed quae ad accuratius hujus monetae pondus pertinent, vide ex cl. Barthelemyi doctrina proposita in Prolegomenis ad hoc opus generalibus Vol. I. cap. IX.

b) T. I. p. m. 214. c) L. XXXIV. c. 52. d) Putsch. p. 1349. e) B. L. T. XXVIII. p. 698.

Digitized by Google

* * *

Numi argentei antiquiores:

Caput Palladis simplice galea tectum. Ϡ AΘE. *(scriptura in aliis recta, in aliis retrograda.) Noctua stans, juxta oleae ramus et lunula.* AR. I.

Numi obvii, sed qui ex globoso et informi metallo, etsi argenti purissimi, et literarum forma antiquitatem remotam eloquuntur. Serione, an per jocum, ut saepe alias, locutus videatur Harduinus, dum antiquissimos Athenarum numos non excedere primos Philippi Amyntae annos constituit [f])? Discimus ex Ranis Aristophanis v. 732, non modo tum, cum fabula haec in scenam data est, fuisse usum monetae argenteae, sed etiam eandem jam tum fuisse νομισμα ἀρχαιον, *numum veterem.* Iam vero actas Ranas constat V. C. 348, at Philippus Macedoniae regnum adiit V. C. 395. Verum ne solum ex ranarum palude hausisse argumentum videar, confer, quaeso, horum fabricam numorum, si non rudem, certe rigidam cum ea, quam elegantissimam exhibent Philippi numi, ac tum aude utrorumque opus coaevum existimare. Quamdiu duraverit vetustus hic argenteae hujus monetae modus, dicetur infra in numis recentioribus. De Pallade urbis praeside, a qua eidem et nomen inditum, ejusque attributis noctua, et oleae ramo dicere non attinet re in vulgus nota.

* * *

Caput Palladis galeatum. Ϡ AΘE. *(recte vel retrograde.)* AϽE. AΘƎ. *Noctua stans inter duos oleae ramos.* In aliis: *Noctuae duae.* In aliis: *Noctuae in unum caput coeuntes.* In aliis: *Lunula una, vel tres.* AR. III. inter quos minutissimi aliqui, ut supra dixi. (Mus. Caes. Haym.)

Refert Pollux, in Atheniensium tetrobolis binas fuisse noctuas [g]). Sed duplex noctua occurrit etiam in parvis aeneis. Quae fuerit causa insertae his numis lunae, quam saepe solitariam in area monetae Atticae videmus, nonnunquam unam, aut tres conjunctas solum numi typum facere, ignorare se profitetur Haymius. Verum istud quoque astrum vindicare sibi Palladem, docuit me Vlpianus adserens [h]), ab Atheniensibus *Apollinem dici solem*, την δε Αθηναν σεληνην, *Minervam vero lunam.* Secundum Plutarchum quoque luna Minerva dicitur, atque est [i]).

In uno ex numis propositis observandum Θ formae insolitae.

* * *

AΘE. *Caput Palladis intra quadratum.* Ϡ *Capita viri ac feminae in morem Iani gemini conjuncta.* AR. III. (Haym.)

Comes Winchilsea apud Haymium [k]) capite gemino aversae Cecropem regni conditorem videt, qui justi matrimonii

---

f) ad Plin. T. I. p. 412. g) L. IX. c. VI. §. 63. h) ad Demosth. contra Midiam p. m. 691. i) de facie in luna p. m. 938. k) T. I. p. m. 264.

Digitized by Google

apud Athenienses auctor exstitit. Ferri potest haec conjectura, etsi Pausanias, qui multas se Athenis Cecropis statuas vidisse testatur [l]), nihil de geminato ejus vultu prodat. At quod idem nequaquam alienus sit ab eorum sententia, qui numum hunc sub Erichthonio, qui tertius a Cecrope annis circiter ante Christum 1500 regnavit, signatum conjecere, istud inquam, quis ferat? Ex communi sententia literae primum a Cadmo, uno adeo et dimidio saeculo post Erichthonium in Graeciam sunt invectae, litera vero Θ multo recentioris aevi est partus repertore sive Palamede, sive Epicharmo, ut taceam alios anachronismos numismaticos.

* * *

Numi recentiores.

Caput Palladis. Ξ ΑΘΕ. *addito plerumque magistratu vel simplice, ut:* ΑΜ-ΜΩΔΙΟ., *vel binis, ut:* ΣΩΤΑΔΗΣ. ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ. — ΑΠΕΛΛΙΚΩΝ. ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ, *vel tribus, ut:* ΑΝ-ΤΙΟΧΟΣ. ΚΑΡΑΙΧΟΣ. ΣΚΤΜΝΟΣ. *Noctua diotae insistens, per aream varia sigilla: gallus cum palmae ramo, lampas, elephas, caput solis radiatum, flos loti, Triptolemus junctis draconibus arans, varia item monogrammata, inter quae* ☿, *item literae solitariae ipsi etiam diotae impressae, omnia coronae oleaginae includuntur.* AR. I. III. (Obvii, praecipue apud Hunterum.)

Plerique hi numi sunt tetradrachma, et insigni copia, et aevo recentiore communis moneta Atheniensium. Quo anno novus hic modus coeperit, decidi quidem nequit, sed ex ornatiore Palladis in his numis galea, quae in vetustioribus simplex fuit, non obscure conjici. Eam exornant incubans superne Sphinx, et gryphi, capto cultu a celebri Palladis statua, opere Phidiae, Athenis in Acropoli posita, cujus galea utroque hoc animali decorata fuit teste Pausania [m]). Vide, quae de consensu galeae, quae est in his numis, cum ea, quae est in insigni gemma musei Caesarei, opere Aspasii, nuper disserui [n]). Verisimile igitur est, hos numos Phidiae et Periclis tempora non praecedere, sed consequi. Durasse vero hujus generis numos saltem usque ad V. C. 668, docet numus similis, isque singularis, quem Athenienses Mithridati VI. dedicavere, et quem infra sistemus.

Sunt hi numi fabricae, si cum veteribus contendas, elegantioris, etsi nunquam elegantissimae, et ejus, quam in aliarum Graecarum urbium numis miramur, praestantissima quaeque nobis sperantibus ex urbe artium magistra. Atqui jam et veteribus pecuniae Atticae argenteae ruditas fuit agnita, et improbata. Auctore Diogene Laertio [o]) Zeno philosophus numis Alexandrinis, seu Alexandri M., nitidis sane et eleganter scalptis opponit Attica tetradrach-

---

l) L. I. p 13. m) L. I. c. 24. n) Choix de pierr. grav. p. 45. o) in Zenone L. VII. c. 1. n. 19.

Digitized by Google

ma, quae ait quasi *εἰκῆ μὲν κεκομμένης, καὶ σολοικῆς, temere signata et soloeca.* Causam neglectae in moneta Attica elegantiae difficile est divinare. Spanhemius cum videret, ab Aristophane numos Atticos a pulchritudine commendari, eos vero, quos fortuna nobis reliquit superstites, laudem hanc non promereri, jure dubitari posse existimat, utrum elegantes hi ejus reip. numi ad nos pervenerint P). At enim non satis intelligo, quae causa fuerit, cur longa aetas, quae aliarum rerump. elegantibus numis pepercit, in solos Atheniensium elegantes numos saeviret, et tantum eorum monetae rudiori indulgentem sese praeberet. Quod si poeta comicus eo loco numos patrios vocat *καλλιστης*, non hercle respexit artem, sed potius probitatem metalli internam, ut ex versibus connexis liquido apparet. Cl. Pauw hunc perfectioris artis defectum in parsimoniam rebusp. familiarem conjicit, quaestoribus aerarii tam tenue operae pretium statuentibus, ut meliores artifices detrectarent operi manum adhibere q). Haec cum scriberet vir, quod libenter profiteor, praeclare eruditus, exemplum et ipse dedit, quam periculosum sit tractare argumentum sine rerum omnium eo pertinentium solida scientia. Si novisset numos aliarum Graeciae civitatum, vidisset utique, in numis monetae Atticae coaevis etiam tenuissimorum oppidorum non modo M. Graeciae et Siciliae, sed et reliquae Europae, Asiae, Africae, ne quidem exceptis Acarnanibus, Epirotis, Locris, Boeotis, Thracibus, Siphniis, Seriphiis, Cyrenaeis etc. summam deprehendi artis perfectionem. Ergo civitates omnes, quantumcunque modicae, et vix nomine cognitae, qualis fuit v. g. Sybritia Cretae, adeo fuere elegantiae studiosae, ut eas non absterrerent sumptus in peritos artifices faciendi, illae vero Athenae ab opērum magnificentia, et cujuscunque artis studiis adeo laudatae cognitaeque in una rei monetariae causa tam fuere omni aetate parcae et illiberales? Istud ut credam, nunquam in animum induxero, et ne tum quidem, si nulla alia superesset reperiundae causae via Forte non erravero, si artis defectum in moneta principis Graeciae populi non a sordida parsimonia, sed certo consilio repetendum existimo. Minores alias civitates, quarumque imperium agri sui finibus circumscriptum fuit, pro artium apud se progressu etiam elegantiae monetae suae studuisse, nequaquam mirum, quia ejus usus in rerum venalium foro a magistratu imperari potuit, ad exteras autem nationes se non porrexit. Alia fuit monetae Atticae ratio, quae propter copiam et argenti probitatem non modo communis Graeciae moneta habita fuit, ut diximus in Prolegomenis generalibus capite XVI., sed apud barbaras etiam gentes causa late

P) ad Ranas v. 735. q) Recherch. phil. sur les Grecs T. I. P. II. Sect. V. §. 2.

Digitized by Google

porrecti Atheniensium commercii valuit. Quare eam Aristophanes longe praestantissimam vocat ἐν τε τοις Ελλησι και τοις βαρβαροις πανταχου, *non inter Graecos solum, sed et barbaros undique* r). Ergo ad commercii usum intererat, ne minimum quidem a vetere, et jam cognito monetae modo discedere, non vano metu, ne vel in levissimis causis mutata possit a populo rudi, barbarisque non Attica putari. Enimvero ea nihil in re monetaria innovandi religio tanta Atheniensibus fuit, ut etiam vetere suo AΘE. pro AΘH. in argenteis suis numis, uti pergerent etiam tum, cum elementi H usus jam esset inductus, ut dicetur continuo.

Notanda in recentioribus his numis retenta vetus inscriptio AΘE. pro AΘH., etsi constet, jam anno IV. Olympiadis XCIV., qui est V. C. 353. vocales longas H et Ω Athenis usurpari coeptas s), et satis appareat ex scriptura ΘHΣETΣ apud Athenaeum t), literam H pro E longo jam Euripidis aetate fuisse Atheniensibus familiarem, et quod amplius est, etsi in iisdem numis magistratuum nomina utrumque novicium characterem jam admittant, ut apparet ex nominibus ΣΩTAΔHΣ, ΘEMIΣTOKΛHΣ. Haec literarum inconstantia in uno eodemque numo cum nullo pacto verisimilis videretur Harduino, negabat, literis AΘE. notari urbem, sed Αθηνη ΘΕα u). At quem deinde nobis vir eruditus dabit verbi ΘEBH scripti pro ΘHBH explicatum in numo Thebanorum? quae inconstantia tanto magis ferit, quod eaedem literae in uno eodemque vocabulo variant. Ex numo, quem Athenienses Demetrio Poliorcetae dedicavere, apparet, scripturam AΘE valuisse adhuc circa annum V. C. 461, quin valuisse adhuc in numo Mithridatis VI. nomine inscripto, qui, ut infra dicemus, ante V. C. 667. feriri non potuit.

Qui sint magistratus numis his inscripti, varie sentiunt antiquarii, aliis praefectos monetae, aliis viros illustres, aliis archontes annuos opinantibus, quorum hic judicia referre piget, cum conjecturis omnino nitantur, et videre possis apud Corsinium x). Omnibus curate expensis video nihil probabile adferri posse. Neque pluris faciendae conjecturae, quibus Corsinius per literas solitarias in aversae area constitutas varios Atticae populos indicari putat y).

Causa noctuae cognita; propterea vero insistere diotae creditum plerisque, quod Athenis praestantissima fictilia conficerentur, et Athenienses ipsi artis figlinae velut inventores haberentur, de quo vide plura apud Corsinium z). Minus placet haec opinio, et credam potius, quemadmodum in moneta Corcyrae, Thasi, Chii typo diotae indicantur largi ex vino proventus, ita eodem typo in numis Athenarum significari olei in Attica abundantiam regioni cum primis quaestuosam, et a mul-

r) Ranae. v. 736. s) Euseb. in Canon. t) L. X. p. 454. u) ad Plin. T. I. p. 412. x) Fast. Att. T. II. p. 245. y) l. c. p. 242. z) l. c. p. 236.

Digitized by Google

tis scriptoribus celebratam, quod adeo beneficium Palladi oleae inventrici acceptum tulere Athenienses. Res magis patebit ex numis aeneis. Occurrit, hanc quoque diotam ad religionem vocari posse, ut alia omnia in numis Atticis. Fuit Athenis festum congiorum, ἑορτη των χοων, quod fuit pars Anthesteriorum. Ejus causa instituendi fuit Orestes, quem materna caede pollutum, et Athenas delatum cum neque admittere ad convivium vellet Demophon, ne ipse, atque convivae polluerentur, neque tamen arcere, singulis singulos praeter morem vini congios apposuit, quod subinde factum annua religione consecratum fuit [a]). Festum istud insignis fuisse apud Athenienses nominis, justumque adeo monetae publicae argumentum, vel eo liquet, quod dignum illud judicavit Euripides, quod suis etiam versibus celebraret [b]). Postquam enim induxerat Orestem novum hunc convivandi morem Iphigeniae narrantem sua causa Athenis constitutum, haec eum praeterea animadvertere facit:

Κλυω δ' Αθηναιοισι τ' αμα δυστυχη
Τελετην γενεσθαι, κατι τον νομον μενειν,
Χοηγες ἀγγος Παλλαδος τιμαν λεων.
Audio autem, Atheniensibus meas calamitates
Festi instituendi causam fuisse, et adhuc morem manere,
Congiarium vas ut Palladis honoret populus.

Sigilla, quae aream numi obsident, videntur ad Atheniensium festa, ritesque cum sacros, tum profanos pertinere. Sane dubium non est, gallo palmato adumbrari ἀγωνα ἀλεκτρυονων, *gallorum certamen* Athenis celebrari quotannis solitum, de cujus origine olim latius disserui [c]).

* * *

Summae antiquitatis argenteum se nobis exhibere putant Guarnaccius [d]), et Maffeius [e]), qui tamen aliud non est, quam barbarus quidam abortus, ut literae barbarae adfatim docent.

Moneta aenea.

Censent aliqui, hanc primum fuisse inductam a Dionysio rhetore, qui propterea Χαλκους, *aeneus*, appellatus est teste Athenaeo [f]). Cum Plutarchus memoret [g]), hunc Dionysium fuisse ducem Atheniensium, qui Thurios in Lucania aedificarunt, hoc autem teste Diodoro Siculo contigerit circa annum V. C. 308, aut saltem biennio post, (V. numos Thurii), hinc conficitur, monetam aeneam saltem ineunte jam saeculo IV. urbis conditae Athenis valuisse. Verum Athenaeus non dicit, monetam aeneam tum fuisse invectam, sed tantum, Dionysium istud suasisse, (συμβουλευσαι), quod unum jam per se satis causae fuit ad impingendum Dionysio Chalci scomma. Certiora indicia habemus apud Aristopha-

a) Athenaeus L. X. p. 437. Scholiast. Aristoph. ad Acharn. v. 960. et Equit. v. 95. b) Iphig. in Taur. v. 943. seq. c) Num. vet. p. 161. d) Orig. Ital. T. II. tab. 8. e) Osserv. lett. T. V. p. 273. et in Veron. ill. p. 259. f) L. XV. p. 669. g) in Nicia p. 526.

Digitized by Google

nem [h]), quo loco querela inducitur monetae aeneae prō veterē argentea constitutae. Ranas esse actas anno III. Olympiadis XCIII. conficiunt eruditi, qui respondet anno V. C. 348, ergo aliquo saltem antea tempore ea monetae innovatio peracta. Non diu tamen eam legem constitisse, ex ejusdem Concionantibus v. 816 docemur; ubi narratur, aes praeconis voce fuisse abolitum. Haec autem fabula annis serius XIII. acta fuit. Sintne numi aliqui aenei ex Atheniensium moneta nobis superstites ejus aetatis, tuto definiri nequit, de quo mox pauca monebimus.

Spectata *epigraphe* singulares sunt:

Caput galeatum. Ϟ AΘ. *Tripus inter malum Punicum et fulmen.* AE. In alio: A ⊖ H. *Diota.* AE. (Haym.)

Caput Medusae serpentibus horrens. Ϟ AΘE. *Pallas gradiens d. hastam.* AE. III. (Haym, Mus. Neumann.)

Numos similes propter Θ quadratum ipsis Miltiadis temporibus admovet comes Winchilsea, sed argumenta, quibus istud comprobare nititur, infirmiora sunt, quam ut refutari mereantur. Si ab arte, cujus cognitio minus fallit, velimus capere augurium, remotam omnino aetatem non produnt, quin cum satis ex ejusdem artis praescripto appareat, numos argenteos, quos supra inter antiquiores proposuimus, hos aeneos aetate multum anteire, mirari omnino oporteret, in his quadratam hanc literam non comparere, si ea tantae vetustatis est argumentum. Istud certum, Θ similis formae saepe observari in inscriptionibus protomarum virorum illustrium, quae sunt certa aevi sequioris artefacta, et quadratum Θ adhuc serius valuisse apud Athenienses invecto jam elemento H, numus mox citatus cum inscripto A ⊖ H. satis comprobat. ⊗. prō Θ in numo neque hoc multum antiquo infra intuebimur.

Cujus sit caput anticae numi alterius, Herculisne, an Thesei, dubitat comes Winchilsea, et poterat dubitare, quia caput illud sibi leonis exuviis tectum videbatur. At dubium istud eximit numus Neumannianus, qui certum offert Medusae caput, perpetuum Palladis socium.

* * *

AΘ. AΘE. AΘH. AΘHNAI. AΘHNAIΩN, AΘHNAIΩN.

Sunt hae solitae aeneorum inscriptiones. Antiquiores sunt plerumque, qui AΘE. inscripsere. Reliqui posterioris sunt aevi, et multi per rudem fabricam ipsius Gallieni aevum non inficiantur.

* * *

Typi plerumque Palladem praesidem aut tributos ei honores jactant, quos adeo jure praemittimus.

Caput Palladis. Ϟ AΘHNAΣ. NIKHΦOPOT. *Tropaeum.* In aliis: *Noctua expansis alis lauri ramo insistens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Palladem *Victoriam*, Αθηναν Νικην, liberaliter Athenis cultam copiose de-

h) in Ranis v. 732.

Digitized by Google

monstrat Meursius i). Apposite huc Moschopulus: Νικω, το περιγινομαι, ἀφ' ὑ Νικη, ἡ τροπαιηχια, και ξοανον Αθηνας παρα τοις Αθηναιοις. *Vinco, superior sum, a quo Victoria, possessio tropaei, et signum Palladis apud Athenienses.* En causam tropaei in hoc numo. Aristides loquens de Pallade k): *haec sola omnium deorum dearumque non cognomen habet Victoriae, sed ipsa dicitur Victoria.* Vnde et Euripidi dicitur: ὡ ποτνια Νικα, et Νικη Αθηνα l). Etiam noctua volans alterius numi ad idem argumentum pertinet, nam ut ait scholiastes Aristophanis, (ad Equit. v. 1091.) *noctuae volatus symbolum victoriae putabatur*, et quidem Atheniensibus, ut diserte notavit Diogenianus m). Quae causa fuit, cur Agathocles, ut animos militum erigeret, noctuas per castra dimitteret. Eandem etiam Minervam Nicephoram video in aeneis obviis C. Clovii, in quorum una parte protome Victoriae, in altera Minerva tropaeum gestans. Pellerinius in numo simili pro tropaeo vidit duas mulieres fulciendo aedificio destinatas, quas esse Caryatidas censet, easque in numo expressas in memoriam Caryae expugnatae, ejusque mulierum in servitutem abstractarum n), cum quo consentit et Comes Caylus o). At enim in omnibus iis, quos hactenus conspexi, et alii prodiderunt, luculentum est tropaeum. Ad eandem Palladem Nicen ab Atheniensibus cultam referendum est festum ab iisdem constitutum, dictumque Νικητηρια Αθηνας, cujus causam expedit Meursius ex Procli in Timaeum commentariis: *ergo nunc quoque festa Victoriae Minervae apud Athonienses celebrantur, faciuntque illud solenne, tanquam Neptuno a Minerva victo* p). Ceterum Minervae Nicephorae nomine potest ipsa Phidiae Minerva in Acropoli posita intelligi. Eam enim sic describit Epictetus apud Arrianum q): Και ἡ Αθηνα ἡ Φειδιου ἐκτεινασα την χειρα, και την Νικην ἐπ' αὐτην δεξαμενη κ. τ. λ. *et Minerva Phidiae porrecta manu, et ea Victoriam gestans etc.* Ea, quae hactenus dixi, Minervam quidem Victoriam recte explicant, at non evincunt, numos hos, in quibus Athenarum inscriptio abest, Athenas pertinere. Praeterquam enim, quod delicatioris sunt laboris, quam quem praefert moneta Atheniensis, narrat etiam Sestinus, in vicinia Smyrnae esse obvios, et videri Pergamenos, quia in horum uno observavit monogramma ΠΕΡΓ r).

* * *

Caput Palladis. ΣΑΘΗΝΑΣ. ΑΡΕΙΑΣ. *Noctua stans.* AE. III. (Pellerin.)

Aversam plene explicat Pausanias narrans s), in Areopago stetisse βωμον Αθηνας Αρειας, ὁν (Ορεσχης) ἀνεθηκεν ἀποφυγων την δικην, *aram Minervae Areae, quam Orestes absolutus dedicavit.* Vocem Αρειας Amasaeus male vertit *deprecatricis*, cum potius sic ara dicta videatur

i) Attic. lect. L. I. c. 20. k) Orat. in Pallad. l) Ion. v. 457 et 1529. m) Proverb. Cent. III. §. 72. n) Rec. I. p. 145. o) Rec. d'Ant. T. IV. p. 145. p) Graec. fer. q) L. II. c. 8. r) Lettere p. 135. s) L. I. p. m. 68.

Digitized by Google

a loco, in quo stetit, ἀπο τυ Ἀρειυ παγυ, *a Martis colle.*

* * *

Caput Palladis Ϟ ΑΘΗΝ. *Rupes, super qua templum, juxta statua Palladis, et porta, ad quam gradus per rupem ducunt.* AE. II. (Pellerin.)

Habes in insigni hoc nume Acropolin celebrem Athenarum arcem, de qua vide multa apud Pausaniam, aliosque.

* * *

Caput Palladis. Ϟ ΑΘΕ. *Neptunus tridentem interquens, et Pallas stantes, in eorum media olea, cui insidet noctua, et obvolvitur serpens.* AE. (Haym. T. II. p. 97.)

Caput Palladis. Ϟ ΑΘΗΝΑΙΩΝ. *Noctua, olea, diota, infra palmae ramus.* AE. III. (Haym. T. I. tab. 15.) In simili musei Caesarei est *noctua, olea, diota, palma arbor.*

Prior sistit decantatam Neptunum inter ac Palladem contentionem, ab utro urbs appellationem caperet, de qua abunde actum a mythologis. Ad idem argumentum pertinet numus alter, vase proventus ex olea indicante, et palma ipsam victoriam, qua de causa instituta fuisse Νικητηρια supra diximus.

* * *

Caput Palladis. Ϟ ΑΘΗ. *Mensa, supra quam caput Palladis inter noctuam, et coronam oleaginam, infra vas.* AE. III. (Mus. Caes.)

Thema partis aversae referendum ad certamina Panathenaica, quorum victores donabantur corona oleagina, et vase olee referto. De hoc vide Meursium, qui de Panathenaeis librum singularem scripsit, qui exstat in ejus operum Tomo II.

* * *

Caput Palladis. Ϟ ΑΘΕ. *Sphinx intra coronam oleaginam.* AE. (Haym, Mus. Caes.)

In celeberrimo Palladis simulacro, quod in Parthenone stetit, opus Phidiae a Periclo imperatum, galea, qua deae caput tegebatur, Sphinge et gryphis ornata fuit, quae copiose descripta vide apud Pausaniam. Ab hoc velut archetypo videntur urbes aliae, ac praecipue M. Graeciae eadem ornamenta Palladi suae quaesivisse, ut earum numi ostendunt.

* * *

Caput Vulcani laureatum, pone forceps. Ϟ ΑΘΗ. *Binae faces accensae.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. Ϟ ΑΘΗΝΑΙΩΝ. *Vulcanus stans d. malleum, pro pedibus incus, et forcipes.* AE. II. (Haym. T. I. p. 184.)

Mirum, Pellerinium in iconismo talem sistere Vulcani luculentam imaginem, qualem descripsi, et tamen, quo loco numum hunc explicat, caput Herculis cum clava statuere [t]). Numum hunc insigniter explicat historia Attica. Erichthonium ve-

t) Rec. I. p. 147.

Digitized by Google

terem gentis regem fuisse filium Vulcani et Minervae, plures prodidere, cujus testimonia vide apud Meursium [u]), quae causa videtur, cur Aeschylus Athenienses *Vulcani filios* dicat [x]). Cicero ex Vulcano et Minerva praedicat natum cum Apollinem, quem custodem Athenarum antiqui historici sanxerunt [y]). Ejus honori Athenis constituti fuere ludi Ηφαιστεια, *Vulcanalia*, qui lampadum cursu peragebantur, de quibus copiose Meursius [z]), quorsum adludunt faces accensae partis aversae, quae ex eadem causa sunt etiam in numis Hephaestiae Lemni. Adde et testimonium Nonni [a]):

Ει δε Παλλαδ' ὀρινε, και ἠκαχεν Αμφιγυηεις,
Κεκροπιη λυχνοιο φερεσσιγα δαλον ἀναψας,
Μαρναμαι ἀμφοτερῃσι, και Ηφαιστῳ και Αθηνῃ.

Si vero ipsam Pallas agitat, aut dolore affecit Vulcanus,
Cecropii lychni lucidam lampadem accendens,
Pugno cum utroque, et Vulcano et Pallade.

Aliam etiam ob causam Vulcano lampadem tribuit Euripides [b]).

Ηφαιστε, δαδουχεις μεν ἐν γαμοις βροτων.

Vulcane, facem quidem fers in nuptiis mortalium.

* * *

Caput Cereris. Ϡ AΘE. *Scrofa.* AE. (Haym.)

Caput Palladis. Ϡ AΘH. *Ceres vecta in bigis draconum alatorum d. spicas ostentat.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Cereris velatum. Ϡ AΘE. *Triptolemus in simili curru vectus d. spicas ostentat.* AR. (Haym.)

Typi, quos offerunt partes aversae utriusque numi prioris, obvii sunt in numis Eleusinis, ad cujus mysteria ibi celebrata etiam pertinent, ut tum dicetur. Ad haec narrat Aelianus [c]), Athenienses in mysteriis sues immolare propter perniciem, quam segetibus moliuntur. Pellerinius numum secundo ex hic descriptis simillimum, quod in eo ΙΛΗΑ legeret, Hilejae Mesopotamiae tribuit [d]), quem errorem in hac notabo. Fabula Cereris et Triptolemi agriculturae magistrorum in vulgus cognita.

* * *

Caput Palladis. Ϡ AΘH. AΘHNAIΩN. *Theseus cum Minotauro pugnans.* AE. II. (Pellerin.)

Caput juvenile, pone clava. Ϡ AΘH. *Caput bovinum detracta pelle.* AE. (Haym.)

Caput Palladis. Ϡ AΘHNAIΩN. *Vir nudus toto nisu praegrandem lapidem erigit.* AE. II.

Thesei, qui Minotaurum percussit, turpique Athenas tributo liberavit, notior fabula, quam ut ei enarrandae immorer. In capite juvenili numi alterius comes Winchilsea Herculem juvenem vi-

---

u) De regib. Athen. L. II. c. 1. x) Eumenid. v. 13. y) De Nat. deor. L. III. c. 22. 23. z) Graec. fer. mib. Λαμπαδ. a) Dionys. L. XXXIII. v. 125. b) Troad. v. 348. c) Nat. anim. L. X. c. 16. d) Suppl. III. p. 113.

Digitized by Google

det. Verum cum non satis addicant oris lineamenta huic tribui solita, et constet, Theseum quoque clava usum, in hujus quoque effigiem propendeo, quem novimus, et Minotauri, et tauri Marathonii habitum victorem. Numus III. nuper demum innotuit vulgante eum cl. Müntero [c]). Praeclarum istud cimelium argumentum continet in re quidem numismatica novum, sed ex aliis monumentis satis jam cognitum, nimirum Theseum matris Aethrae jussu calceos, et gladium, quos pater Aegeus sub petra absconderat, investigantem. Vide facti hujus causas omnes adcurate expositas apud Winckelmannum [f]).

* * *

Caput Palladis.. Ϫ AΘH. *Navis, super qua miles gradiens d. coronam, s. tropaeum super humero, prorae insistit noctua, et serpens.* AE. II, (Mus. Caes.) In simili alio scriptum AΘH. (Mus. Neumann.)

Caput Palladis. Ϫ AΘE. *Tropaeum, prae quo figura nuda pileo Phrygio tecta manibus retro ligatis, quae miles pone stans retinet.* AE. (Haym. T. II. p. 95.)

Priore numo exhiberi Theseum a peracta Minotauri caede e Creta reducem conjecit Oudinetus. Sed enim quid tropaeum ad Minotaurum? Praestat sequi filum, quod porrigit Pausanias. Narrat is [g]), in Salamine insula Atticae vicina, esse templum Dianae, et tropaeum erectum in memoriam victoriae a Themistocle apud hanc partae, et esse ibi templum Cychrei. In ea enim maritima Atheniensium cum Medis pugna serpens in navibus dicitur conspectus, quem ex oraculi monitu esse heroem Cychreum didicere Athenienses. Compone haec Pausaniae verba cum numi typo. Additur miles heros, ut facilius intelligatur, sub serpente Cychreum latere. Adverte etiam ad scripturam AΘH. Recte ad suum hunc numum observat eruditus Neumannus, literam Theta hujus formae, etsi in vetustissimis monumentis appareat, in hoc non esse indicium vetustatis, sed archaismi adfectati.

Alterius numi explicationem non tento, neque probantur, quae conjecit Haymius.

* * *

Apis. Ϫ AΘE. *Typi varii.* AE. IV. (Haym, Mus. Caes.)

Apis. Ϫ AΘE. *Diota.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Videtur adludere apis ad praestantiam mellis, quo nomine vicinus mons Hymettus secundum omnia veterum testimonia celebratus fuit. Narrat praeterea Philostratus [h]), cum Athenienses colonos in Ioniam ducerent, Musas sub apum specie cursum rexisse.

Numum alterum propter insolens Theta, quod magis ad Ⅾ accedit, proponendum duxi, qua forma illud etiam in marmore

---

c) Heeren. Bibl. der alten Litterat. IX. Stück S. 48. f) Monum. ined. pag. 130. g) L. I. c. 36. h) In imag. Meletis.

Digitized by Google

Athenis reperto comparet, quod edidit Pacciaudus [i]). Numum similem, sed non satis integrum, cum in eo ΕΦΕ. legendum putarem, olim Ephesum perperam adegi [k]).

* * *

Comes Winchilsea in variis capitibus galeatis sui musei Periclem, Aspasiam, Aristidem, Cimonem, Themistoclem, Phaedram, Callisthenem vidit, quam sententiam jam improbavit Corsinius [l]). Plerique hi numi exstant etiam in museo Caesareo, at in his indubitatum est caput Palladis. Vidimus hactenus, Athenienses pleraque numorum suorum argumenta ex mythologia, vel ritibus sacris hausisse. Quare vereor etiam, ut in numo Haymiano [m]), in quo juxta caput barbatum et hedera coronatum legitur ΑΘ. ΘΕ, revera propositus sit Thespis, poeta tragicus, ut opinatus est comes laudatus, quem olympiade LXI. docuisse fabulas testatur Suidas. Fateor, judicio huic nonnihil suffragari coronam hederaceam, sed mirum tamen videatur, Athenienses istud honoris habuisse tragoedo, quod non concessere viris praestantissimis, qui remp. sive belli, sive pacis ornamentis ad summum gloriae apicem promoverunt. At omnis haec controversia suapte corruit, si suspicemur, male lectum ΑΘ. ΘΕ. pro ΑΘΕ. propterea, quod in simili altero Hunteriano posterior haec scriptura obtinet, at tum caput illud haud dubie erit Bacchi Indici.

AR. et AE. C.

Regii.

Numos *Demetrio Poliorcetae* ab Atheniensibus dedicatos vide in moneta hujus Macedoniae regis.

* * *

Numus *Mithridatis VI.*, aliique synchroni:

Caput Palladis. Ϟ ΑΘΕ. ΒΑΣΙΛΕ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΗΣ, *infra* ΑΡΙΣΤΙΩΝ. *Noctua diotae insistens, in area astra solis et lunae.* AR. I. (Combe Catal. mus. Hunter p. 49. in nota.)

Caput Palladis. Ϟ ΑΘΕ. ΑΡΙΣΤΙΩΝ. ΦΙΛΩΝ. ΗΓΙ. *Noctua diotae insistens, in area Pegasus pascens.* AR. I. (Catal. Hunter. p. 49.)

Caput Palladis. Ϟ ΑΘΕ. ΑΠΕΛΛΙΚΩΝ. ΓΟΡΓΙΑΣ. ΔΙΟΣΙΟ. *Noctua diotae insistens.* AR. I. (Ibid.)

Priores duo numi praestantissimi historiam egregie illustrant. Docet haec, Archelaum pro Mithridate VI. ducem trajecto in Graeciam exercitu V. C. 667 Athenas et Piraeeum occupasse juvante ejus consilia Aristione, qui antea dictus Athenion, sed in civitatem adscriptus nomen mutavit, ex philosopho peripatetico factus Athenarum tyrannus, cujus ortum ac progressum late describunt Athenaeus [n]),

---

i) Mon. Pelop. p. 207. k) Num. vet. p. 204. l) Fast. Att. T. II. p. 247. m) T. I. p. m. 206. n) L. VI.

Digitized by Google

Plutarchus o) Appianus p). Verum anno sequente captae a L. Sulla Athenae, sumptumque de Aristione supplicium. Ergo Atheniensium numis illatus REX MITHRIDATES, ut olim Demetrius Poliorcetes, atque una ARISTION, neque satis visum, regis solum nomen monetae inferre, nisi et junxissent astra solis et lunae, sueta regum Ponticorum symbola. Numus alter iterum Aristionem sistit. Ne vero dubitari possit, esse eum ipsum tyrannum, quem prior numus offert, vetat Pegasus in area pascens, qui obvius est in Mithridatis VI. moneta typus, quemque is in ejus regis gratiam huc adegit. Ex his numis apparet, quod supra indicavi, Athenis tetradrachma hujus generis in haec usque tempora fuisse signata, retenta adhucdum vetere orthographia AΘE.

Addidi numum tertium forte praecedentibus synchronum, si modo inscriptus *Apellicon* idem est cum illo, qui Aristionis partes secutus est, et de literis praeclare meritus hac una causa, quod Aristotelis scripta a blattis tineisque vindicavit.

Imperatorii.

Horum nullum indubitatae fidei editum reperi ne quidem cum Hadriani imagine, qui profusis officiis urbem sibi devinxit. Tamen sub Augustis perrexisse Athenienses, et quidem in extrema usque tempora ferire monetam autonomam, miserum in compluribus opus Gallieni aevo non indignum satis eloquitur. Ejus vera ratio ignota, etsi varias alii attulere, sed quae non satisfaciunt. Pauci tamen illi in examen vocandi, qui imperatoria Atheniensium moneta habiti sunt.

Cum capite *Liviae* numum edidit Corsinius ex museo rev. Trombellii Bononiae q), sed cum numum vidi ipse, et in eo fraudem recentem facile agnovi, et vidi ejus similes, eosque argenteos, in pluribus museis Italicis, unde fraus certior. Accedit, quod in his ad caput muliebre nulla addatur epigraphe; quare etsi hi numi essent genuini, difficile foret continuo statuere, proponi in iis Liviae caput.

Cum capite *Vespasiani* numum edidit Vaillantius: ΕΠΙ. ΑΤΕΛΙΑΝΟΥ. ΑΘΗΝΑΙΩΝ, *Caput Palladis*. Hic praeconem citat Franciscum Camelum. Sitne hujus viri testimonio standum, tum quis deciderit, cum ejus catalogum musei reginae Christinae pervolverit.

Qui adhuc citantur cum capite Aurelii, et Commodi, nempe numi concordiae Athenienses inter, et Smyrnaeos, eos certum est Smyrnae percussos, ut in hac dicetur.

Singulare est, quod adserit Winckelmannus r), Athenienses sub Vespasiano perdidisse jus, numos sine imperatoris imagine feriundi. Ergo deinceps aut numos autonomos non cuderunt, aut tantum cum capite imperatoris, quod

o) In Sulla. p) In Mithridat. q) Epist. ad Trombell. r) Hist. art. p. 397. edit. Dresd.

Digitized by Google

utrumque esse falsum ex dictis patet. Citat vades sententiae suae Vaillantium, et Wisium, sed qui viri locis laudatis longe aliud dicunt.

Numi aliarum urbium

ad exemplar monetae Atheniensis signati.

Operae pretium, numos sequentes curatius describere.

Caput Palladis. Σ ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ. *Noctua diotae insistens, cui insculptum* B, *in area bos cornupeta, omnia intra coronam oleaginam.* AR. I. (Pembrock P. II. tab. 8.)

Caput Palladis. Σ ΙΕΡΑΠΥ. ΖΗΝΟΦΙ. *Noctua diotae insistens, in area aquila, omnia intra oleaginam.* AR. I. (in meis Numis vet. p. 149.) Alius, sed *cum magistratu* ΚΤΡΑΝΝΙΣ. AR. I. (Hunter.)

Caput Palladis juxta ΑΙΘΩΝ. Σ ΚΥΔΩΝΙΑΤΑΝ. *Noctua diotae insistens, in area Hercules nudus gradiens, et clava ictum intentans.* AR. I. (le Blond ex musee Pellerin. p. 12. Dutens Explic. de quelq. med.)

In singulares hos numos, quod mereri videbantur, uberius olim sum commentatus [s]). Eorum primum esse Gortynae, alterum Hierapytnae, tertium Cydoniae, quae illustres omnes Cretae urbes fuere, ipsa epigraphe eloquitur. Mirum enim vero illud visum, non, quod earum oppidani Palladem, noctuamque in his, ut Athenienses, signavere, nam ejus deae cultus late patuit, sed quod tam anxie typum, pondus, metallum, volumen, omnia, quae in obviis Atheniensium tetradrachmis observantur, adfectaverunt. Contende, si lubet, hos numos, et fatebere, neque in levissimo apice ab archetypo discessum. Unum discrimen faciunt pro ΑΘΕ. epigraphe urbium propria, et sigilla areae adfixa, quae domesticos esse earum typos, suis locis videbimus. Ex quo efficitur, has Cretae urbes certo quodam consilio typis Atticis in moneta sua usas, sed cujus veram reperire causam difficile. Aliquid lucis suppeditavit Plutarchus, cum narrat [t]), quo tempore Lysander cum Atheniensibus bellum gessit, plurimos numos aliarum quoque urbium propter Athenienses fuisse noctua insignes. Verum non addit, utrum hanc legem causa commercii, an alia quaepiam ratio publica suaserit. Initam quamdam ab Atheniensibus in re monetaria concordiam cum aliis urbibus, persuadent numi argentei fere II. formae, in quibus hinc: *Caput Palladis*, illinc: ΤΑΡ. ΑΘΗ. *Noctua oleae ramum pedibus stringens.* Hos numos esse Tarentinos, et nequaquam cum Atheniensibus miscendos, ut placuit comiti Winchilsea [u]), inde patet, quod in aliis similibus, plene scribitur ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ et in certis Atheniensibus alia sunt in Palladis galea ornamenta; denique si Athenis essent signati, scriptum foret ΑΘΕ., non ΑΘΗ. lege constante in earum moneta argentea. Vide super hoc argumento plura in citato meo opere.

---

s) Num. vet. p. 149. t) In Lysandro. u) Haym. T. I. tab. 20. num. 1. et 3.

Digitized by Google

ANAPHLYSTVS.

Vrbs modica prope Athenas.

Autonomum aeneum edidit Goltzius [x]: ANAΦΛΥΣΙΟΣ. *Caput Apollinis.* Ꜩ *Pegasus volans.* Hic si exstitit, haud dubie huc est vocandus. Alter argenteus, quem ibi conjungit, et cujus similis etiam a comite Winchilsea huc fertur [y], cum capite Palladis, et Pegaso addito ANA., hic, inquam, Syracusarum numus est cum mentione Anactorii, de quo numorum genere agemus infra in numis coloniarum Corinthi.

AZETINI.

Habentur *autonomi:*

Caput Palladis. Ꜩ AZETINΩN. *Noctua insistens capitulo ordinis Ionici.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Aquila fulmini insistens. Ꜩ AZETIN. *Spica.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Typus prioris numi suaserit Froelichio, ut eum *Azetinensibus Atticae* tribueret [z], qui tamen veterum nulli memorantur. Hi igitur numi lucem adhuc desiderant. Nam Froelichius, qui alibi [a] *Azeniam* exsculpsit, quae fuit pagus Atticae tribui Hippothoontidi subjecta, jure reprehenditur a Pellerinio [b].

AE. RR.

DECELIA.

Ad mare Euboeae, quae a Spartanis suadente Alcibiade praesidio munita diu Atheniensium res adflixit. Vide Thucydidem.

Caput galeatum. Ꜩ ΔΕ. ΔΕΚΕΛΙΕΩΝ. *Caduceus.* (Froelich Not. elem. p. 81 ex le Bret.)

AE. RRRR.

ELEVSIS.

A Cereris mysteriis famigerata.

Ceres vecta bigis draconum alatorum d. spicas praefert. Ꜩ ΕΛΕΤ. ΕΛΕΤΣΙ. *Scrofa.* AE. III.

Ejus generis complures edidit comes Winchilsea apud Haymium [c]. Partem anticam jam in numis Atheniensium vidimus sacram Cereri, cui et ipsa urbs et acta ibi mysteria sacra, unde et Euripides [d]:

Δημητερ ἑστιυχ' Ελευσινος χθονος.

O Ceres! tutelaris Eleusinis terrae.

Huc servit, quod ait Minucius [e]: *Ceres facibus accensis, et serpente circumdata errore subreptam, et corruptam Liberam anxia et solicita vestigat. Haec sunt Eleusinia.* Recte etiam huic deae jungitur scrofa, quia συες ἐργα, συες φυτα λυμαινονται, *sues opera agrestia, sues plantas adfligunt,* ut canit Callimachus [f]. Ergo jure

prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperat anni,

judice quidem Pythagora apud Ovidium [g]. Ergo Cereri nulla sue gratior victima teste iterum Ovidio [h]:

Prima Ceres avidae gavisa est sanguine porcae

x) In Graec. tab. XV. y) Haym. T. I. p. m. 218. z) Cimel. Vindob. p. LXXXI. a) Notit. elem. p. 77. b) Rec. I. p. 148. c) T. I. tab. 21. d) Supplic. v. 1. e) In Octav. c. 21. f) Hym. in Dian. v. 156. g) Met. L. XV. h) Fast. L. I.

Digitized by Google

Vita suas meritae caede nocentis opes.
Nam sata vere novo teneris lactentia succis
Eruta setigerae comperit ore suis.

Secundum Gellium i) *porca etiam praecidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges novas captas immolari Cereri mos fuit.* Vide etiam Aelianum k). In denariis quoque Vibii Pansae Ceres comitem habet porcum.
AE. RR.

ERADAE.

Caput Apollinis. Ϫ ΕΡΑΔ. *Noctua oleae ramo insistens.* AE. III.

De hoc numo haec Pellerinius editor: *est oppidi, quod dicebatur*-Eradae, *cujus Suidas facit mentionem* l). Hic locus Suidae mihi ignotus. At Hesychius, Harpocration, et Stephanus memorant Atticae populum dictum *Eroeadae*, sed cum quo non conspirat epigraphe numi. Videtur igitur hactenus inter incertos seponendus, perinde ac numi inscripti ΑΖΕΤΙΝΩΝ, de quibus supra egimus.

LAVRIVM.

In solo museo Theupoli produntur numi duo Gordiani Pii: ΛΑΤΡΕΩΝ. *Dea stans cum velo a capite usque pedes* m). Fuit Laurium mons argenti metallis dives, at oppidi huic impositi veteres non meminere. Scribendum item fuerat ΛΑΤΡΙΩΝ, non ΛΑΤΡΕΩΝ. Quid quod dictae fodinae jam Strabonis aetate defecere. Recte, ut videtur, arguit Sestinus, pro ΛΑΤΡΕΩΝ legendum ΜΤΡΕΩΝ, et esse numos Myrae Lyciae n).

MARATHON.

Nobilis a victoria de Persis duce Miltiade relata. *Autonomum*: ΜΑΡΑΘΩΝ. ΔΗΜΟϹ, cum capite hinc Palladis, illinc Mercurii vulgavit Harduinus, sed neque museum citat, neque quod sciam, ab alio hic numus conspectus est.

MEGARA.

Sita in Megaride, quae secundum aliquos geographos Atticae partem constituit.

Autonomi.

Caput Apollinis. Ϫ ΜΕΓΑΡΕΩΝ. *Mulier gradiens utraque manu facem jactat.* AE. III. (Neumann.)

ΜΕΓΑΡΕΩΝ. *Caput Apollinis.* Ϫ *Lyra.* AR. III. (Sestini Lettere T. IV. 98.) AE. II. (Pellerin.)

Caput Apollinis. Ϫ ΜΕΓΑΡΕΩΝ. ΕΠΙ. ΓΡΑΜΜΑ - - *Lyra.* AE. II. (Pellerin.) In alio: ΕΠΙ. ΔΙΟΝΤΣΙΟΤ. AE. III. (Sestini l. c.)

Praeter haec Atticae Megara fuere etiam alia Siciliae. Numos, quos coram descripsi, huc pertinere non dubito causa Apollinis. Constat ex Pausania o), Apollinem Alcathoo in aedificandis Megarorum moenibus operam locasse, ejus-

---

i) L. IV. c. 6. k) De Nat. anim. L. X. c. 16. l) Rec. I. p. 149. m) Pag. 1047. n) Lettere T. III. p. 86. o) Attic. c 42.

Digitized by Google

que facti testimonium sua adhuc aetate praestare lapidem, in quo ferunt Apollinem lyram deposuisse. Eum namque percussum cytharae sonum imitari. Idem perhibetur in poemate, quod *Ciris* inscribitur, et Virgilio tribuitur p), tum et ab Ovidio q). Numus primus tanto certius horum erit Megarorum, quia similis Cereris gradientis typus est etiam in imperatorio, et in numis sequentium Pagarum. Vocabula numi postremi ΕΠΙ. ΓΡΑΜΜΑ - - non videntur aliud, quam scribam eponymum indicare, etsi hic magistratus hactenus in nullo numo Graeciae Europaeae comparuerit. Ea Burmanno suspecta visa sunt, sed ex causa infirma r).

* * *

Sunt apud Pellerinium aliosque numi inscripti: ΜΕΓ. ΜΕΓΑ. ΜΕΓΑΡΑ, de quibus jure dubitatur, sintne Megarorum Siciliae, an Atticae, typis *navis* vel *delphini* non satis ad judicium valentibus.
AE. RR.

Imperatorii.

Inscripti ΜΕΓΑΡΕΩΝ sunt Megarorum Atticorum, quia, ut alias dictum, Italicis et Siculis urbibus mature ademptum fuit jus feriundae monetae.

Exstant hujus urbis numi cusi sub Antonino, Aurelio, Vero, Commodo, et in Severi familia, quos vide apud Vaillantium, Pellerinium s), in museo Caesareo, Theupoli, Arigoni.

Typus plerumque est *Ceres utraque manu facem gestans*, de quo agetur mox in Pagis. Ante Cererem non raro adstituitur aliquid, quod in Theupoli dicitur fax oblonga; apud Arigonium instar arae luculentae pingitur, sed Pellerinio Herma est.
AE. RR.

NISAEA.

Megarorum navale.

Caput Jovis. Ϟ ΝΙΣΑΙΩΝ. *Aquila insistens taedae ardenti, in area spica.* AE. III.

Princeps Turris Mutiae numos similes tribuit Nisae Siculae, sed non satisfacit, ut in hac dictum. Praeplacet sententia Goltzii et Harduini, similes numos huc ferentium, quam sententiam juvant certe fax et spica, attributa propter Cereris cultum Megaridi propria. Praeterea hujus Nisaeae gentile fuisse Νισαιοι, abunde in Nisa Sicula ex veteribus comprobavi.
AE. RR.

PAGAE.

Megaridis. Latinis dicuntur *Pegae* et *Pagae*, ut et Graecis Πηγαι, sed Παγας fecit dialectus Dorica Megarensibus familiaris.

---

p) Vers. 105. q) Met. VIII. 14. seq. r) Dorville Sicula p. 612. H. s) Rec. III. p. 199.

Digitized by Google

Imperatorii.

Binos possidet gaza Caesarea, Commodi unum, alterum Severi. Singulos Commodi adjecere Pellerinius, (Rec. III. p. 253.) Arigonius, Neumannus.

Epigraphe ΠΑΓΑΙΩΝ, sed etiam ΠΑΓΕΩΝ.

Typus: *Ceres utraque manu facem jactans*, in uno musei Caesarei insuper *praecedit aries.*

Froelichius, qui horum unum primus edidit [t]), scite conjecit, esse Cererem Μαλοφορον, *ovíferam*, aut si malis, *laniferam*, quae teste Pausania prope Megara hoc nomine templum habuit, quam conjecturam opportune firmat aries juxta positus. Magnum fuisse in hoc tractu lanae parandae studium, docet lepidum Diogenis Cynici dictum, qui cum apud Megara videret oves pellibus probe tectas, at eorum filios nudos, praestare ajebat, esse Megarensis civis arietem, quam filium [u]).

AE. RR.

AEGINA insula.

Atticae subjecta.

Autonomi.

Caput arietis. ℵ *Quadratum incusum.* AR. III. (Hunter.)

Arietis caput, quod in sequente certo hujus insulae numo typum facit, numi hujus huc referendi causa fuit. Verum hoc typo aliae quoque urbes usae fuere. Mirum, non magis abundare argenteam Aeginae monetam, cum Thucydides et obolos, et drachmas Aegineas memoret [x]). Insignis est locus apud Athenaeum [y]), ubi quidam de improbi piscarii insidiis conquestus sit:

Illum si roges, quanti lupus hic? obolis
Decem, respondet, nec quibus, adjicit.
Deinde illam pecuniam argenteam si repraesentes,
Aeginensem inquit se postulasse.' At ipse, numi si dandi
Sunt minutiores, eos reddit Atticos,
Commutans utrobique lucro suo.

Quo ex testimonio colligimus primum, numos Aeginensibus fuisse argenteos, eosque obvios, quod ad quotidianum mercatum suppetebant, deinde fuisse graviores Atticis, quod quidem aliorsum jam constabat, denique extra Aeginam quoque eorum usum valuisse.

* * *

Caput arietis, infra ΑΓΛΑ. ℵ ΑΙΓΙΝΗ. *Navis.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

AR. RRRR. AE. RR.

Imperatorii.

Severi et Caracallae, (Arigoni.) Plautillae, (Theup. Pellerin.) Elagabali. (Vaill.)

Epigraphe: ΑΙΓΕΙΝΗΤΩΝ. Vaillantii ΑΙΓΕΝΗΤΩΝ fallit, nam numum, quem citat, vidi ipse in museo Christi-

t) IV. Tent. p. 243. u) Diog. Laert. in vita Diog. et Aelian. V. H L. XII. c. 56. x) L. V. c. 47. y) L. VI p. m. 225.

Digitized by Google

nae, in quo prior inscriptio obtinet. Dubitare etiam jure liceat de epigraphe ΑΙΓΑΙΝΕΙΤΩΝ apud Theupoli.

Typi: *Vir nudus utraque manu arietem super humero portans*, Plautillae. (Theup.)

Hujus typi causa obscura, nisi forte ad Mercurii cultum est referendus. Istud saltem inde eruimus, capite arietis, quod in autonomis exhibetur, aliud indicari, quam lanae proventus, ut conjecit Haymius. Reliqui typi obvii.
AE. RR.

HELENA insula, quae et CRANAE.

Promontorio Sunio contra posita, quam et dictam fuisse *Cranaen*, propterea quod Paris hac primum in insula raptae Helenae amore est fruitus, testatur Strabo [z]). Quare idem vocem Κραναη versus Homerici [a]) Νησῳ δ' ἐν Κραναῃ ἱμειγην φιλοτητι και ἑυνῃ, de hac Helena insula capit, ut et scholiasta ad eundem hunc Homeri versum ait: δοκει δε ἡ νησος της Αττικης εἰναι, ὁθεν και ὑτως προτερον ἐκαλειτο ἀπο Κραναυ βασιλεως της Αττικης, νυν ἀπο τοιαυτης μιξεως Ελενη καλειται. *Videtur vero* (haec Cranae) *esse insula Atticae, sic enim antea vocata fuit a Cranao Atticae rege, nunc vero propter dictum concubitum Helena dicitur.* Cum Strabone sentit et Mela [b]): *in Atthide Helena est nota stupro Helenae.* Et Euripides fingit, Helenam, ne a Paride raperetur, a Mercurio translatam παρ' Ακτην νησον, Acte autem antiquitus vocabatur Attica. At Pausanias hoc Paridis scelus fuisse admissum in insula Cranae ante Gytheum Laconiae sita docet [c]). In eadem sententia est Stephanus [d]), addito, eandem hanc Laconiae Cranaen vocari etiam Helenen, in quo utroque diversissimus abit a Strabone, quamvis non diffiteatur, ab aliquibus dictam Homeri Cranaen pro ipsa regione Attica poni sic vocata a Craneo Atticae rege Cecropis successore. Eustathius ad dictum versum Homeri notat, ab aliis nomine Κραναη intelligi Cranaen Atticae, ab aliis Cytherá insulam. Istud certum, hanc Atticae insulam duplex habuisse nomen, unum antiquius Cranaes a Craneo Atheniensium rege secundum Stephanum, et laudatum Homeri enarratorem, alterum Helenes, tractum ab Helena adultera, seu quod illuc cum Paride appulit, seu quod capta Troja ibi consenuit [e]). Haec propter sequentes numos fusius exponere necesse fuit.

Autonomi.

Horum argenteos tres edidit Goltzius. (Insul. tab. VIII.)

Caput muliebre nudum. ☧ ΗΕΛΕΝΙΤΩΝ. *Diota.*

Caput simile. ☧ ΗΕΛΕΝΙΤΩΝ *Vespertilio.*

ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ. *Vespertilio* ☧ ΚΡ. *Caput arietis.*

Hos omnes in una eademque urbe signatos, si modo genuini sunt, omnia

---

z) L. IX. a) Il. Γ. v. 445. b) L. II. c. 3. c) in Helena. d) L. III. c. 22. e) in Κραναη. i) Stephanus in Ελενη. Eustath. ad Dionys. v. 524.

Digitized by Google

arguunt. Nonnius hos Cranaen Laconiae referendos censet. Harduinus tantum commemorat, quod alioqui constabat, fuisse binas insulas Cranaes nomine. Elegans caput muliebre in his numis dubium non est, esse Helenae. Cum utraque Cranae, ut ex discordibus auctorum sententiis arguere licet, pro vindicando sibi hoc stupri honore certaverit, possunt hi numi utrique Cranae competere. At cum in aliis unius ejusdemque urbis numis sit ϟΕΛΕΝΙΤΩΝ, in aliis ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ, neque constet, Cranaen Laconiae dictam quoque fuisse Helenen dempto unius Stephani testimonio, quod cum aliis collatum aspernamur, hi numi certe Cranaen Atticae sunt vocandi. Si non fallit Harduini testimonium adfirmantis, a viris summae eruditionis conspectos numos inscriptos: ΕΛΕΝΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ g), rationem habemus, cur in numis uno alterove vocabulo promiscue usi fuerint Helenitae.

Si igitur genuinos putemus hos numos, nescio, an non quartus Goltzii numus, in quo: *Caput arietis addito* Κ. Σ ΚΡΑ. *Pes bovis*, recte quoque hujus Cranaes numis sit additus, etsi tum ego, cum eundem restituerem h), potius in Cranaen Cephalleniae propenderem. Idem dubium urgebit alium argenteum, III. formae musei Caesarei a Froelichio editum i), in quo: ΚΡΑΝ. *Aries stans.* Σ Δ, *vel arcus*, de quo difficile erit statuere, sitne hujus Cranaes Helenae, an Cranii Cephalleniae. Ajebam, si genuini sunt capti a Goltzio numi; nam praeterquam quod ejus multi suspecti jure sunt, etiam dubium movet aspirata ϟ vocabulo ΕΛΕΝΙΤΩΝ praefixa, quae hactenus tantum in numis Heracleae et Tarenti observata est.

Imperatorii:

Inscripti constanter ΚΡΑΝΑΙΩΝ recensentur a Vaillantio cum capite Maximini, Philippi sen., et Otaciliae. Auctor Theupoli alium Domnae addidit. Vaillantius, Harduinus, aliique hos numos. Cranio Cephalleniae confidenter tribuerunt, at nullam adferunt rationem, cur non ad hanc Cranaen referri possint. Gentile Cranii Thucydidi et Straboni est Κραναος, ex quo et Livii *Cranius*. Istud Cranii gentile ultro ex Graeco urbis nomine Κραναον fluit. Quod si etiam admittamus Stephani suspectum Cranii gentile Κραναεις ignotum gravioribus aliis scriptoribus, ex hoc ΚΡΑΝΑΙΩΝ formari non posset, sed ΚΡΑΝΑΕΩΝ, ut a ΝΙΚΑΙΕΙΣ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. De Cranae definite Stephanus: *Laconicae* Κραναατης, *Atticae* Κραναιος *ut* Αθηναιος. Vtrumque gentile habemus in his numis, in autonomis Goltzianis ΚΡΑΝΑΑΤΩΝ, in imperatoriis ΚΡΑΝΑΙΩΝ. Spectatis ergo his gentilibus, quod unum ad figendos hos numos valere potest typis nihil docentibus, referendi

g) Num. illustr. in Ελενιτων. h) Nom. vet. n. 111. i) Not. elem. p. 24.

Digitized by Google

hi numi potius sunt ad Cranaen aliquam. At cum in numo Otaciliae apud Vaillantium legatur KPANAIΩN. AΘH. typo capitis Minervae, hi numi Cranae Atticae competent, quomodocunque το AΘH. explicare voles; nam non audio Vaillantium docentem: *in hoc* AΘH. Αθηναιων, *quod Cranii Cephalleniae essent Atheniensium coloni* k). Oportuerat sententiae hujus aliquem ex veteribus auctorem citare. Si ergo hi numi revera ad Helenen, vel Cranaen spectant, videtur incolis vetustius Cranaes nomen prae recentiore Helenes Augustorum aetate placuisse, ut Edesseni Macedoniae nomen Edessae a Carano in Aegas commutatae sub Augustis resuscitavere. *AE. RRR.*

SALAMIS.

E regione Eleusinis, Aeacidarum, atque inter hos illustrissimi Ajacis Telamonii patria, mater Salaminis Cypriae a Teucro Ajacis fratre aedificatae, at longe celeberrima Themistoclis de Persis victoria navali.

Autonomum huc refert Combius: *Caput bovis cum infulis.* Ϡ ΣA. *nullo alio typo* AE. II. (Hunter.) judicio, ut reor, incerto, cum tot urbium nomina ab his literis incipiant.

Saepe hortabatur animus huc vocare autonomos binos argenteos perantiqui operis, inscriptos ΣΑΛΑΜΙΝΙΟΝ, typis navis, capitis vel cornu bovini, arietis, quos a se vulgatos Pellerinius Salamini Cypri donavit, et ipse in hac largius describam. Et fuere praesto causae complures, insulae nostrae antiquitas, et illustre nomen, adumbrata typo navis res nautica, qua sic excelluere Salaminii, ut, cum Bacchus apud Aristophanem se vellet ἀθαλαττωτον, *maris ignarum*, profiteri, ἀσαλαμινιον sese diceret l). Ad haec typum arietis offert etiam vicina Aegina. Accedit, si hanc Salaminem demas, in nulla alia urbium Cypri, quod hactenus constet, numos autonomos fuisse signatos. Tamen cogor adsentiri Pellerinio vel ob hanc unam causam, quod utrumque hunc numum sibi Cypro adlatum testatur.

PELOPONNESVS.

Peninsula in plures regiones divisa, illustrium populorum patria, quos non minus fides historica, quam fabularum inclyta memoria commendavere.

Peloponnesiis in genere propriam fuisse monetam, et quidem testudinis imagine insignem, testatum reliquere veteres, et quidem Pollux ejus gentis numos dictos χελωνας, *testudines*, ex impressa ejus animalis figura docet, ex quo ortum adagium: *virtutem et sapientiam vincunt testudines* m). Sic et Hesy-

k) Num. Graec. p. 199. l) in Ranis v. 206. m) L. IX. §. 74.

Digitized by Google

chius n): Χελωνη - - και νομισμα Πελοποννησιακον. Revera didrachma, et drachmae pervetustae fabricae non paucae supersunt cum testudinis typo, et informi in aversa quadrato, et anepigraphae, quae certe Peloponnesia moneta sunt, praecipue cum similium numorum nonnulli AIΓ. vel AIΓI. inscriptum habeant, nempe *Aegii* Achaiae urbis, unde argui potest, etiam similes reliquos, sed anepigraphos, in eadem urbe cusos. Videri potest ad obviam hanc Achaeorum monetam respexisse T. Flamininum, dum Achaeos Zacyntho inhiantes avertere a proposito perstitit addito: κινδυνευσειν, ἀν ὡσπερ ἀι χελωναι ποῤῥωτερω την κεφαλην της Πελοποννησου προτεινωσιν, *periculosum ipsis fore, si testudinum instar extra Peloponnesum caput exsererent* o). Idem facete commemorat Livius p). Οβολον καλλιχελωνον, *obolum pulchra testudine signatum*, ex Eupolide citat Pollux q). Revera testudo in numis his, etsi operis pervetusti, summa elegantia solet esse elaborata.

Harduinus similium numorum unum ex gaza regia dedit inscriptum, ut verba ejus accipio, ΧΕΛΩΝΗ, quem urbi Chelonae, promontorio Chelonati in Elide impositae, tribuit r). Verum urbis cognominis nullus veterum meminit, neque numi hujus antiquariorum alter quispiam.

Froelichius s), Barthelemyus t), et Pellerinius u) huic quoque peninsulae tribuerunt argenteos, in quorum antica fingitur folium, in aversa quadratum informe incusum, atque id propterea, quod veteres Peloponnesum folio platani esse similem dixere. At nunc constat, hos numos esse Selinuntiorum Siciliae, ut in horum moneta dictum.

ACHAIA.

Achaiam hoc nomine propriam intelligimus, nimirum partem Peloponnesi in septemtriones vergentem.

Numos Achaeorum nomine inscriptos in duas classes dispesco, I. in monetam Achaiae propriam, II. in numos foederis Achaici.

I. Numi Achaiae propria.

Autonomi.

Caput Jovis, in nonnullis juxta magistratus, ut ΕΠΙΝΙΚΟΣ, etc. Χ Α *intra lauream, (in solo simili Goltziano est idem monogramma, et infra* ΙΩΝ, *quod junctum cum monogrammate efficit* ΑΧΑΙΩΝ) *per numi aream vagantur literae solitariae, monogrammata, sigilla.* AR. III.

Non laboramus in monogrammate $\overset{\text{V}}{\text{A}}$ quod certum est notare Achaeos. Fuit istud praecipue Peloponnesiis in more

---

n) in Χελωνη. o) Plut. in Flamin. p) L. XXXVI. c. 32. q) L. IX. §. 74.
r) Num. illustr. p. m. 182. s) Not. elem. p. 21. t) B. L. T. XXIV. p. 46. u) Rec. I. p. 106.

Digitized by Google

positum, ut monogrammatis nomen suum in moneta indicarent, quod docebunt praeter Achaeos etiam Patrae, Arcades, Epidaurus etc. In aliquibus primum gentis elementum sufficere videbatur, ut in Eleis, et Argivis, qui mos extra monetam quoque valuit; nam refert Xenophon [x]), Sicyonios clypeis suis inscribere solitos literam Σ, Argivos A, Lacedaemonios Λ. At multo implicatior ratio literarum et monogrammatum, quibus praeter princeps Achaeorum monogramma horum numorum aversa oneratur. Horum explicatio cum hactenus antiquariis minime tentanda videretur, erat Sigfridus Bayerus, qui eas literas esse earum urbium ἀρχαιουσας adfirmaret in quibus, tanquam foederis Achaici sociis, illi essent cusi numi [y]). At sententiam hanc conjecturis omnino infirmis, et nullo pacto probabilibus niti, alibi dixi [z]). Ergo non pertinuerint hae drachmae ad dictum foedus? Pertinuerint, verum ipsi numi istud non docent, et aspernamur conjecturas, quae nullam omnino veri speciem praebent, in quarum numero etiam putamus illam, qua ex literis ΞΒ in simili numo expressis epochae annum elicit [a]). Fuere ergo hi numi communis Achaiae moneta ea ratione, qua tot alii populi, ceu Macedones, Thessali, Boeoti etc. et quidem in Peloponneso quoque Argivi et Arcades communem habuere monetam. In paucissimis produntur urbes, quae eos signaverunt. Harum certam habemus Aegium per nomen ΑΙΓΙΕΩΝ. Etiam το ϘΟΡ., quod in aversa offert numus Haymianus, commode Corinthum notat. Observandi in numis his, qui remotae antiquitatis certe non sunt, nonnulli archaismi retentis literis F et Ϙ in ANFA. et ϘΟΡ.

Aureum his similem ex museo Caesareo edidit Froelichius [b]), sed quem, ut apertis indiciis spurium, inter adulterinos seposui.

* * *

Caput Jovis. Ϫ ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier capite tutulato stans dextera extenta.* AE. III. (Pellerin.)

En unicum certum Achaeorum numum aeneum, nam de altero, quem Pellerinius ibi addit, in quo *Caput Palladis.* Ϫ Χ *Botrus*, dubitari potest, utrum huc pertineat, et non potius sit Locrorum, quorum aenei eosdem habent typos; quin et saepe monogramma quodpiam ita est uni urbi proprium, ut tamen etiam nonnunquam in alterius urbis moneta observetur. Sic in tribus Tegeatarum numis est monogramma MI., quod proprium esse Mileti solet, in argenteo Achaeorum apud Haymium [c]) sigla Tyriorum. Quid quod idem monogramma Χ est in numo certo Lacedaemonis musei Caesarei.

AR. C. AE. RRRR.

---

x) Hist. Graec. L. IV. y) Comment. Acad. Petrop. T. V. p. 372. z) Num. vet. p. 115. a) l. c. p. 373. b) Cimel. Vindob. p. CLIII. c) T. II. p. m. 114.

Digitized by Google

Imperatorii.

Hujus classis numum unus nobis exhibuit Vaillantius cum capite L. Veri, inscriptum: CTP. M. ATP. ΔΙΟΔΩ-ΡΟΤ. ΜΗΝΟΦ. ΑΧΑΙΩΝ. Haec scribendi ratio Asiam plane sapit, et inscriptum praetorem in Graeciae Europaeae numis, si Thessalicos demas, non reperias. Ceterum numus hic, etsi veram demus hanc lectionem, huc proprie non pertinet, cum post subjugatam a Romanis Graeciam Achaia latius patuerit.

Numos Antinoi inscriptos ΤΟΙC. ΑΧΑΙ-ΟΙC. vide in hujus numis in classe imperatorum.

II. Numi foederis Achaici.

Tyrannos ac factiones, quibus pleraeque Peloponnesi urbes faventibus postremis Macedoniae regibus misere vexabantur, pertaesa tandem major ejus pars in foedus denique ad liberandas civitates coaluit consilio potissimum Arati Sicyonii viri summo ingenio ac virtute praediti. Foedus vero illud *Achaicum* dictum, quod ejus auctores fuere Achaei, qui tum propter virtutis opinionem, ac praeclaras leges magnam sunt laudem adepti. Quod nobile institutum Polybius, qui circa annum V. C. 551 natus statuitur, aetate sua adeo fuisse perfectum scribit, ut urbes non solum ad amicitiam sociali foedere inter se jungendam coiverint, sed etiam νομοις χρησθαι τοις αὐτοις, και σταθμοις, και μετροις, και ΝΟΜΙΣΜΑΣΙ, *iisdem legibus, ponderibus, mensuris, PECVNIA sint usi*, et sic universa propemodum Peloponnesus urbs una potuerit censeri [d]). Praeclari hujus foederis testes habemus numos non paucos in variis Peloponnesi urbibus signatos, quibus insigniter comprobatur, urbes, quae eidem se adplicuere, eadem pecunia esse usas. Operae pretium, numos id genus omnes in unum collectos ob oculos ponere. Sunt hi aenei omnes III. formae. Vtrum memoratae supra drachmae Achaicae etiam fuerint communis hujus societatis moneta, non satis constat, etsi fuerit, qui istud censeret, ut ibi dictum.

In horum numorum una parte est *Jupiter stans d. Victoriolam, s. hastam, addito magistratu, ut* ΙΕΡΩΝ. Parte altera: *Mulier sedens s. hastam, d. in aliis coronam, in aliis spicas, additur nomen urbis, et huic constanter* ΑΧΑΙΩΝ, tanquam nimirum ejus cives per foederis leges Achaeos se profiteantur. Iuppiter hic secundum verisimilem Bayeri sententiam [e]) est is, qui prope Aegium nomine Ομαγυριου, id est: *Congregantis in unum*, colebatur, ut narrat Pausanias [f]), qui adeo typus egregie juvat monetam ex communi foederatorum concilio cusam. Et cum idem Pausanias paullo post subjiciat, proximum Homagyrio Jovi esse PANACHAEAE CERERIS fanum, omnino certum videtur, mulierem par-

d) Hist. L. II. c. 37. e) Comment. acad. Petrop. T. V. p. 364. f) in Achaic. p. m. 564.

Digitized by Google

tis aversae sedentem esse hanc ipsam Cererem, nempe quae faveret *omnibus Achaici* foederis sociis, ut nomen ipsum indicat. Sane cum in nonnullis ea luculentas dextera spicas gestet, de Cerere dubitari nequit. En promissum horum numorum catalogum:

ACHAEI.

ΑΝΤΑΝΔΡΟΣ. *Juppiter stans d. Victoriolam, s. hastam.* ℞ ΑΧΑΙΩΝ. ΚΑΛΛΙΣΤΑΤΑ. *Mulier sedens d. coronam, s. hastam.* AE. III. (Mus. Savorgnan.)

Egregium hoc cimelium, quod olim edidi [g]), id habet peculiare, quod gentem Achaeorum solum edisserat nulla urbis mentione, deinde quod duplicem prodat magistratum, unum in recto, alterum in gignendi casu Dorico, more Apolloniatarum, et Dyrrhachenorum.

ALEA Arcadiae.

ΙΕΡΩΝ. *Iuppiter stans etc.* ℞ ΑΛΕΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Mus. Savorgnan.)

Hic item a me olim vulgatus [h]). Arcadas prae Peloponnesiis aliis Achaeorum foederi animosius accessisse testatur Pausanias [i]), quod et confirmant numi hujus argumenti, quorum plerique urbium sunt Arcadiae.

ANTIGONIA Arcadiae.

XI. *Juppiter stans etc.* ℞ ΑΝΤΙΓΟΝΕΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Haym. T. II. p. m. 114.)

Hic numus aetatem hujus generis numorum multum illustrat. Nam cum Antigonia, quae prius Mantinea dicta est, posterius istud nomen adoptaverit in honorem Antigoni Dosonis Macedoniae regis [k]), isque regnum tutorio nomine administrare coeperit V. C. 523, numus hic ante hunc annum signari non potuit, et cum hujus generis numi eandem omnes fabricam, et formam praeferant, verisimile est, eos omnes circum istud aevi signatos, neque posterius anno V. C. 608, quo excisa Corintho foedus Achaicum ruptum fuit.

ARGOS Argolidis.

Juppiter stans etc. ℞ ΑΡΓΕΙΑΣ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Haym T. II. p. 115.)

Haymius voce ΑΡΓΕΙΑΣ indicari Argivos opinabatur. Habet haec conjectura quandam veri speciem eo, quod vocem ΑΧΑΙΩΝ in his numis fere constanter nomen urbis praecedit, et constat etiam, Argivos sese foederi Achaico junxisse. Verum cum in numo Messeniorum, quem mox producam, pro magistratu eadem vox ΑΡΓΕΙΑΣ legatur, et more consueto scribendum potius fuisset ΑΡΓΕΙΩΝ, ad haec in numo Achaeorum, quem primum citavi, juxta idem nomen ΑΧΑΙΩΝ adstitutus sit magistratus, verisimilius videtur, nomine ΑΡΓΕΙΑΣ notari magistratum, non Argos urbem.

ASEA Arcadiae.

Juppiter stans etc. ℞ ΑϹΕΑΤΩΝ.

---

g) Num. vet. p. 116. h) Num. vet. p. 138. i) L. VIII. c. 6. k) Pausan. VIII. p. 615.

Digitized by Google

ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens.* etc. AE. III. (Haym. T. II. p. 114.)

CARINOEA situs incerti.

ΕΡΜΟΚΡΑΤΗΣ. *Juppiter stans etc.* Ϟ ΚΑΡΙΝΟΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Haym. T. II. p. 114.)

Primus *Cares* Asiae minoris respexit Haymius, mox *Caryam* Arcadiae, verum quoniam tum scribendum fuisset ΚΑΡΤΑΤΩΝ, Khellius in nota subjecta in *Caryneuses* Achaiae inclinat, quos Polybius narrat in foedus Achaicum restitutos [l]). At neque hi cum gentili in numo expresso componi possunt, cum scribi oportuisset ΚΑΡΤΝΕΩΝ observante etiam istud Khellio. Accedit, quod nullus hactenus conspectus est numus cum mentione urbis cujuspiam Achaiae propriae, qui ad istud genus, de quo agimus, referri posset, si Sicyonem demas, de qua tamen certum non est, utrum το ΑΧΑΙΩΝ addiderint, ut infra dicetur. Nam cur Achaei sese in numis scriberent *Achaeos*, quod alioqui constabat, aut cuderent numos, quibus se foederis Achaici participes testarentur, cujus ipsi fuere auctores? At pertinuit ad urbes extra Achaiam propriam sitas, cum primum ad hanc foederis communionem accessere, sese Achaeos profiteri, quo testarentur, se omnia ad ejus foederis legem moderari. Dubium igitur adhuc manet, quae urbs nomine ΚΑΡΙΝΟΙΩΝ notetur, nisi forte eadem est cum sequente nominis adfinis.

CORONE Messeniae.

ΚΛΕΑΡΧΩΣ. *Juppiter stans etc.* Ϟ ΚΟΡΩΝΑΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum integerrimum hactenus ignotum alias edidi et explicavi [m]). Coroneam Sicyonem inter et Corinthum prodidit Stephanus. Haec urbs a clarioribus aliis geographis ignoratur, qui tamen celebriorem aliam *Coronen* in Messeniorum agro sitam passim prodidere, cujus cives Strabo vocat Κορωνεις, at Stephanus etiam alterum Κορωναιος iis tribuit. Posteriori huic propositum numum tribuo, tum quod altera fere ignota fuit, tum quod ex numo sequente videbimus, Messenios omnino foederi Achaico adhaesisse. Fuisse etiam huic urbi aliquem cum Achaeorum rebus nexum, indicat ejus portus, dictus λιμην Αχαιων [n]).

MESSENE regio et urbs.

ΑΡΓΕΙΑΣ, *in alio* ΔΕΞΙΑΣ. *Juppiter stans etc.* Ϟ ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Haym. T. II. p. m. 114. Gessner ex museo Pfau Tab. 26.)

PSOPHIS Arcadiae.

ΠΑΣΩΝ. *Juppiter stans etc.* Ϟ ΨΩΦΙΣΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. II.

Numum hunc, qui nunc est in museo Caesareo, olim edidi ex museo Ilgneriano [o]). Alterum ejus exemplar habetur apud nos in museo Neumanni, sed, ut ingenue fatear, in neutro urbis nomen distincte legitur. In imperatoriis hujus urbis legitur ΨΩΦΙΔΙΩΝ, ut scribi debet, ductum a gignendi casu Ψωφιδος.

---

l) Hist. L. II c. 44. m) Num. vet. p. 131. n) Pausan. L. IV. p. 365. o) Num. vet. p. 140.

Digitized by Google

SICYON Achaiae.

Juppiter stans etc. ℞ ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 28. Sestini Lettere p. 153. Wheler Voyage num. 128.)

TEGEA Arcadiae.

ΙΜΣΑΣ. *Juppiter stans etc.* ℞ ΤΕΓΕΑΤΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ, *Mulier sedens etc.* AE. III. (Pellerin Rec. I. p. 110 et 139.)

Fuisse apud Tegeam saepius celebratum communem Achaeorum conventum, testatur Livius p).

THISSOA Arcadiae.

Juppiter sedens etc. ℞ ΘΙΣΟΑΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* (Sestini Lettere T. III. p. 136.)

De hac Thissoa agemus in urbibus Arcadiae.

AEGIALVS.

Binos *imperatorios* operio hoc nomine editos:

ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡΤΤΑΝΕΙ. ΕΠΙΚΡΑΤΟΤ. Β. ΕΓΙΑΛΕΩΝ. *Juno Pronuba et Apollo nudus stantes cum attributis*, in numo Caracallae. AE. m. m. (Numi max. mod. reg. Gall. tab. 20. et Vaillant.)

ΕΓΙΑΛΕΩΝ. *Quadrigae decurrentes aurigante imperatore*, in numo Domnae. (Theupoli.)

Advertit ad numum suum Vaillantius: *Egialos urbs Peloponnesi prope Sicyonem apud Strabonem* q). At Strabo nequaquam urbem hoc nomine prope Sicyonem sitam docuit, sed Sicyonem ipsam remotissimo tempore Αιγιαλες. Numus ergo Achaiae esse nequit, primum, quod urbem hoc aevo in Achaia sic dictam non habemus; at neque Sicyoni tribui potest, quod hujus moneta eadem hac aetate inscribitur CIKTΩNIΩN, ut dicetur: Deinde quod totius epigraphes ratio, tum et modulus a Poloponnesi urbibus alieni sunt, et Asiam potius respectant. Denique scriptum ΕΓΙΑΛΕΩΝ, contra quam oportuit, ΑΙΓΙΑΛΕΩΝ, etsi simile peccatum non sit sine exemplo, cum et in quibusdam numis Aegarum Ciliciae magis barbaris legamus ΕΓΕΩΝ pro ΑΙΓΑΙΩΝ. His credo motum rationibus Harduinum, cum numum hunc promulgaret, addidisse, urbem, ad quam is pertineret, sibi esse ignotam. Numum male a Vaillantio esse lectum, adserere non possum, cum eandem lectionem tueatur quoque Spanhemius ἀυτοπτης r). Idem dubium urget numum alterum Theupolianum.

AEGIRA.

Aegium inter et Sicyonem.

ΑΙΓΙΡΑΤ - *Caput muliebre velatum.* ℞ *Capra stans, juxta* ΛΑ., *omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Alius similis, sed juxta capram ΑΡ. AE. III. (Mus. Caes.)

ΑΙΓΙΡΑΤΑΝ. *Caput Aesculapii laureatum.* ℞ *Eadem aversa una cum* ΑΡ. *in area.* AE. III. (Mus. Caes.)

Tribus his numis rem numismaticam

---

p) L. XXXV. c. 27. et L. XXXVIII. c. 34. q) Num. Graec. p. 100. r) T. I. p. 702.

Digitized by Google

ditamus nullo adhuc ab antiquariis prodito hujus urbis numo. Ejus tamen meminere auctores veteres plerique. Scribitur Αἰγίρα, vel Αἴγειρα, et gentile Αἰγιρατης. Typus caprae ad urbis nomen adludit, et narrat. Strabo, Aegas Aegiram fuisse translatas s). Antea dictam fuisse Hyperesiam, deinde Aegiram, ex quo Hyperesienses caprarum ope Sicyonios hostes fugere coegere, tradit Pausanias t). ΛΑ. et ΑΡ. haud dubie magistratuum sunt initia, neque enim satis apparet rationis, ut ex ΛΑ. Lacedaemonios, ex ΑΡ. Argivos efficiam. Etiam in Tegeae Arcadiae numis aliis legitur ΛΑ., in aliis ΙΕ.
AE. RRRR.

AEGIVM.

Nobilis Achaiae vrbs.

Autonomi:

Antiquissimi:

Testudo alte exstans. Ϫ ΑΙ. ΑΙΓ. ΑΙΓΙ. *Quadratum in quinque partes divisum.* AR. II. III.

Hoc typo veterem fuisse Peloponnesi monetam, supra in Peloponneso docuimus. Quare versimile est, reliquos similes, qui inscriptione carent, quique huic peninsulae ab omnibus tribui solent, hac in urbe signatos.

Recentioris aevi.

ΑΙΓΙΕΩΝ. *Caput Jovis.* Ϫ Α ΑΡΙ-ΣΤΟΔΑΜΟΣ, *omnia intra lauream.* AR. III. (Mus. Caes.)

Praeeunte hoc numo verisimile rursum videtur, frequentes illas drachmas cum eodem monogrammate, quae fuere communis Achaeorum moneta, quarumque supra in Achaia nemini, hac in urbe signatas. Fuere autem jam a principio Aegium conventus Achaeorum vocati, ut testatur Livius u). Ergo dubium non videtur, hunc similesque numos alios cusos fuisse constante adhuc Achaeorum republica. Quod si non fallit, videmus ex integerrimo hoc numo, literas C, Ε, Ω mature invaluisse, quod quidem jam ex aliis numis urbium secundum litus maris Adriatici sitarum constabat. Ceterum Aristodemum aliquem nobis prodit Diodorus x), qui copiarum dux pro Antigono Asiae rege Aegium aliquamdiu tenuit. Signatum in Aegiensium moneta Jovis caput mirum videri possit, quando hi teste Luciano y) Jovem nequaquam genuinum, sed ὑποβολιμαιον credidere.

* * *

ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. *Caput barbatum laur.* Ϫ ΑΙΓΙΕΩΝ *Fluvius decumbens d. urnam, ex qua aqua majore arcu profluit, s. arundinem.* AE. III. (Mus. Caes. et a me editus in Num. vet. p. 118.)

ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. *Puella velo supra caput fluitante manibus porrectis avem respicientem persequens.* Ϫ ΑΙΓΙΕΩΝ. *Caput laur. multum promissa barba.* AE.

s) L. VIII. p. m. 592. t) L. VII. c. 26. u) L. XXXVIII. c. 30. x) L. XIX. c. 66. y) in Concil. deor.

Digitized by Google

III. (ex Mus. Savorgnan a me editus in Num. vet. l. c.)

ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. *Caput promissa barba.* ℞ ΑΙΓΙΟΝ. *Caput muliebre turritum.* AE. II. (Khell. Adpendic. II. p. 14, ex museo Savorgnan.)

ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ. *Juppiter fulminans.* ℞ ΑΙΓΙΕΩΝ. *Caput barbatum laur.* AE. III. (Hunter.)

Vocabulum ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ erudite jam explicavit Khellius [z]). Ait positum esse pro solito ΗΜΙΟΒΟΛΙΟΝ, et indicare *dimidium obolum*, etsi causam insolitae hujus terminationis in ΙΝ adferre non possimus. Sed habemus etiam in Chiorum monēta ΑCCΑΡΙΟΝ et ΑCCΑΡΙΝ. Illi, qui in veterum pondera inquirere amant, habent praeparatam a Khellio materiam, qui singulorum pondus exploravit. Praeclare etiam idem advertit, τὸ ΑΙΓΙΟΝ numi tertii non esse ἐθνικὸν sed κτητικὸν, jungendumque cum ΗΜΙΟΒΕΛΙΝ alterius partis, sic ut sit *semiobolus Aegius*.

Aversa numi I. notat fluvium Selinuntem, qui teste Strabone per Aegiensium urbem fluxit. At insignius argumentum, quod offert pars adversa numi alterius, nimirum Phthiam puellam Aegiensem, quam a Jove in columbum mutato fuisse adamatam testibus Aeliano, et Athenaeo, et indicio Khellii luculente ostendi [a]).

* * *

ΑΙΓΙΕΩΝ. *Caput Jovis* ℞ ΘΕΟΞΙΟΣ. ΚΛΗΤΑΙΟΣ. *Juppiter nudus stans, d. fulmen intentat, s. extenta aquilam.* AE. II. In aliis: *Eadem utrinque epigraphe. Caput Bacchi hedera coronatum.* ℞ *Aquila.* AE. II.

Similis numi jam meminit Spanhemius [b]), sed qui pro ΚΛΗΤΑΙΟΣ legit ΚΡΗΤΑΙΟΣ, ac mire sese torquet, ut ex inscripto utroque nomine Jovis epitheta extunderet. Spanhemii lectionem confirmat quoque Pellerinius ex numo suo. At numi similes musei Caesarei, Nob. Iacobi Gradenigo, Khellii [c]) luculentum habent ΚΛΗΤΑΙΟΣ, et vix permittunt dubitare, vocabulis his notari magistratum.

AR. et AE. RR.

Imperatorii:

Ab Antonino usque ad Getam.

Epigraphe: ΑΙΓΙΕΩΝ, at insolentior in numo Plautillae: ΑΙΓΕΙΕΩΝ [d]). Auctor musei Theupoli numos sic inscriptos perperam tribuit Aegis Ciliciae, quarum epigraphe multum differt. Ad haec typus *Jovis stantis, et d. fulmen, s. aquilam tenentis*, qui in imperatoriis hujus urbis numis saepius occurrit, eos docentibus autonomis Aegio vindicat. Reliqui typi obvii. Hos numos reperias in Theupoli, apud Pellerinium, copiosius Arigonium.

AE. RR.

B V R A.

Ex veterum testimoniis in Achaia sita,

---

z) l. c. a) Num. vet. l. c. b) Beger Observ. p. 132. c) Adpendic. II. p. 12. d) Pellerin. Mel. I. p. 102.

Digitized by Google

nescio, cur a Vaillantio Arcadiae inseratur. Absorpta terrae motu et maris eluvione V. C. 381, ut perhibet Diodorus e), surrexit iterum.

Imperatorii:

Binos, Domnae et Caracallae recitant Vaillantius, et Harduinus: ΒΟΤΡΑΙΩΝ typis obviis. Saepe deinceps videbimus, multas Peloponnesi urbes, quarum nulli alias cogniti numi, tamen cudisse numos cum capite Severi, ejusque familiae.

AE. RRRR.

CENCHREAE.

Vide infra in Corintho.

CERAVNIA.

A Polybio, et Aeliano f) Achaicis urbibus accensetur, de ejus tamen sede nihil certi constat.

Autonomus aeneus ΚΕΡΑΤΝΙΕΩΝ a solo Goltzio vulgatus, quem Harduinus tribuit huic Achaiae Cerauniae, at Goltzii commentator Nonnius Cypriae.

CORINTHVS.

Doctrinam numismaticam nobilissimae hujus urbis ad Isthmum positae, cum sui adhuc juris esset, multa sunt, quae impeditam reddunt. Sin hos audias, abundat opibus nostri argumenti, sin illos, vix unum alterumve numum aeneum opulentissima urbs potest ostentare. Ante omnia numi certi ab incertis separandi.

Autonomi certi.

Caput Palladis. Ϟ ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ. *Tridens.* AE. IL. (Pellerin.)

Solus hic, quod mirere, certus est Corinthi numus autonomus; nam reliqui, quos eadem tabula proponit Pellerinius, autonomi quidem sunt etiam, sed Corinthi jam coloniae, de quibus infra, quanquam neque hunc Graecum esse totum sanum ex Cl. Blondii literis intelleximus.

Autonomi incerti.

Numos cum inscriptione plena ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ complures in omni metallo vulgavit Goltzius, sed quorum fidem ipse praeco elevat.

Pellerinius argenteos IV. Corintho tribui posse putat, quos in suo Recueil I. tab. XVII. proponit. Horum is, qui est num. 12, et hinc habet *caput Pallaëis addito* ΚΟΡ, illinc *Pegasum*, verisimilius referendus est Corcyram, ut dicetur infra in numis coloniarum Corinthi, neque ipso invito Pellerinio. Alter num. 13 nullum certum offert indicium, Syracusanis obviis eodem utrinque typo praeditis. Tertius num. 14 cum addito ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ hic item inter Syracusas et Corinthum dubius, ut dicetur infra. Quartus num. 15 typo Chimaerae criterium idoneum non sufficit; hanc enim offerunt quoque numi Leucadis, Siphni, Seriphi, Crotonis, etc. ut animadvertit ipse. Is, quem serius edidit g) typo equi marini, ut ipse censet, verius Pegasi dimidii, per additam

e) L. XV. c. 48. f) V. H. L. XIII. c. 6. g) Suppl. II. p. 95.

Digitized by Google

literam ♀ dubium non solvit, cum haec omnia insint in certis numis Syracusarum.

Huc etiam a multis vocantur didrachma, in quibus hinc *caput Palladis*, inde *Pegasus*, *et litera* ♀, sed de quibus infra post numos Corinthi coloniae separato articulo agam.

In museo Theupoli proditur numus inscriptus KOPIN. typo una parte Neptuni, altera Pegasi. Verum in similibus aliis, qualis est Hunterianus, legitur vel CORIN., vel COL. COR. Est adeo Corinthi coloniae.

Imperatorii.

Imperatorios Graecos absque coloniae nomine frustra quaeras, quia jam a J. Caesare deducta fuit colonia. Neque huc duci possunt numi Antinoi, in quorum aversa legitur: ΑΝЄΘΗΚЄ. ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ, et quos in ejus catamiti numis recensebimus, primum quod is ad Caesaream domum non pertinuit, deinde quod hi numi, ut facile periti intelligent, monetae rationem certe non habuere. Spanhemius post alios huc vocavit numum Britannici cum mentione Mindii Balbi proconsulis [h]), sed quem jam constat esse Nicomediae Bithyniae.

Numi coloniae Corinthi.

Colonia deducta, ut Dio perhibet, V. C. 710, eodem anno quo Carthago, utraque a Caesare dictatore, a quo et nomen abstulit dicta *Laus Julia*.

Autonomi coloniae Corinthi.

Eorum complures edidit Pellerinius. (Rec. I. tab. 17.)

Epigraphe: COR. — CORINT. — COL. COR. — COL. L. I. COR. — quin et CORINTHVM. typis obviis. Ex his memorabiles tamen:

SENATV. P. Q. R. *Caput senatus velatum*, vel ROMAE. ET IMPERIO. *Caput muliebre turritum.* Ꝟ L. CAN. AGRIPPAE. IIVIR. COR. *Victoria gradiens*, vel: *Duae dexterae junctae tenentes spicas et papaver*, vel: *Templum.* AE. III. (Mus. Caes. Theup. Liebe Goth. num. p. 190.)

Auctor musei Theupoli hos numos post mortem Neronis cusos censet [i]). Verisimilius puto, post mortem Galbae, suspensis nimirum provinciis, an Othoni, an Vitellio adhaerendum sit. Istud certum, L. Caninium Agrippam memorari IIvirum Corinthi in frequentibus numis Galbae, qui adeo, donec de certo principe constaret, interea senatui et Romae cololoniae suae monetam dedicandam curavit. Eodem modo exercitus Germaniae superioris, cum obsequium in Galbam exueret, in *senatus populique* R. nomen juravit [k]).

* * *

P. TADI. CH - - C. IVLI. NIGER. IIVIR. *Neptunus saxo insidens s. tridentem.* Ꝟ CORINTHVM. *Bellerophon Pe-*

h) T. I. p. 592. i) Pag. 673. k) Tacit. Hist. I. c. 55.

Digitized by Google

gaeum donasse ante portam Corinthi. AE. II. (Mus. Caes. Morelli in fam. Tadia.)

Typi causa commemorare hunc nummum placuit. De Bellerophonte plura infra.

* * *

COR. *Pegasus volans.* ℞ SE. *Vir nudus stans d. gubernàculum unum, s. alterum tenet.* AE. III. (Mus. ill. Jac. Gradenigo.)

Caput Solis radiatum addito nomine Illviri. ℞ COR. SE. *Neptunus stans d. delphinum, s. tridentem.* AE. III. (Pellerin. Suppl. III. p. 102 et Suppl. IV. p. 37.)

Similem priori vulgavit quoque Pellerinius [l]), verum cum in eo legeret CE. pro SE., secus quam descripti hic numi exhibent, perperam conjecit, notari his literis portum Corinthiorum dictum *Cenchreae.* Interea, quem habeant explicatum literae SE., nemo hactenus est adsecutus. Vir duplice instructus gubernaculo duplicem Corinthiorum ab utraque Isthmi parte portum belle indicat. At nobilius argumentum Solis et Neptuni. Narrat Pausanias binis locis [m]), Neptuno et Sole de Corintho, utrius esset, litigantibus Briareum arbitrum sic statuisse, ut Isthmus Neptuno, at mons urbi imminens, dictus Acrocorinthus, Soli cederet. Corinthi Apollonium Tyanensem Soli sacrificasse, narrat Philostratus [n]).

* * *

Caput muliebre ligatis retro capillis. ℞ COL. L. IVL. COR. *Leaena stans super arietem in basi prostratum.* AE. II. (Mus. Caes. Mus. Christinae, Catal. raison. pag. 59.)

Caput anticae esse Laidos famosae apud Corinthios meretricis, et in aversa ejus sepulcrum, dubium non erit expendenti verba Pausaniae, qui inter publica Corinthi monumenta refert etiam [o]) ταφος Λαΐδος, ᾧ δη λεαινα ἐπιθημα ἐστι κριον ἐχουσα ἐν τοις προτεροις ποσιν *sepulcrum Laidis, cui imposita leaena prioribus pedibus arietem stringens.* Est haec famigerata illa Lais, quae in noctem drachmarum millia decem pepigit, quam summam cum a Demosthene quoque rhethore peteret, is aversus dixisse fertur: ὐκ ὠνεμαι μυριων δραχμων μεταμελειαν, *tanti poenitere non emo*, tot scilicet, quot dixi, drachmarum sumptu. Ab his sumptibus creditur natum proverbium: Ου παντος ἀνδρος ἐς Κορινθον ἐσθ' ὁ πλους, *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.* Vide haec apud Gellium [p]), Macrobium [q]) et Schol. Aristoph. ad Plut. v. 149. 179. Quod si cui mirum videatur, feminam publica infamia notatam fuisse in numi argumentum lectam, is reputet, non tam, summos ejus aetatis viros, Demosthenem, Aristippum, Diogenem Cynicum cum ea consuevisse [r]), quam quod loco citato mox addit Pausanias: Θαυ-

---

l) Rec. I. p. 113. m) Corinth. pag. 112 et 121. n) Vit. Apoll. L. VII. c. 10.
o) L. II. c. 2. p) L. I. c. 8. q) Sat. L. II. c. 2. r) Athenaeus L. XIII. p. m. 588.

Digitized by Google

μασθηναι τε ἐτως παρα Κορινθιοις, ὡς ἀμφισβητειν σφας και νυν ἐτι Λαιδος, *fuisse eam sic Corinthiis admirationi, ut nunc etiam de Laide certent.* Enim vero non modo de Laide nata, sed et sepulta disceptatum. Siculam plerique dixere, captis a Nicia Atheniensi Hyocaris, vel Catana puellam admodum in Peloponnesum missam [s]), alii Corinthiam adfirmarunt [t]). Sepultam alii tradidere in Thessalia ab invidis mulieribus interfectam, et monstrari ejus sepulcrum ad Peneum addito epigrammate, quod recitat Athenaeus [u]). Ergo Corinthii moti ejus mulieris fama, *ad cujus jacuit Graecia tota fores*, ut ait Propertius [x]), non indecorum putabant famosam suam civem inserere numis, quam alii alibi natam sepultamque contenderunt, perinde atque Smyrnaei et Jetae Homerum, quod hunc illi apud se natum, hi praeterea apud se sepultum crediderunt. Et poterant Corinthii iis, quibus facinus istud indignum visum, respondere idem, quod olim Theon Serapioni, cui magnum intemperantiae Graecorum argumentum est visa imago aurea Phrynes meretricis in templo Delphico dedicata; ita tu, inquiebat, plane mihi videris a templo arcere mulierculam non liberaliter forma et aetate sua usam; cum autem videas caedium, bellorum, rapinarumque primitiis ac decimis in orbem cingi Apollinem, non indignari, non miserari Graecos, pulcherrimorum donariorum turpissimas legens inscriptiones: *Brasidas, et Acanthii de Atheniensibus, Athenienses de Corinthiis etc.* y)? Typum leaenae arietem domantis non explicavit Pausanias. Istud verisimile, hujus signum monumenti ad Laidis ingenium adludere. Sic canis tumulo Diogenis impositus morea ejus caninos expressit [z]). Siren in tumulo Isocratis arieti incumbens suavem ejus eloquentiam notavit [a]). Faustuli uxor propter vulgati corporis vilitatem lupa inter pastores dicta lupae etiam imagine fuit proposita, quod quidem simulacrum fuit non corporis, sed mentis ac morum, ut ait Lactantius [b]). Et Leaena Harmodii Atheniensium tyranni concubina, secundum alios Aristogitonis, quod caesi tyranni causa fuit, leaenae animalis imagine ab Atheniensibus fuit honorata, quia nefas putabatur, simulacrum meretricis in templo constitui [c]), etsi Pausanias doceat, aeneam ejus ipsius fuisse in templo statuam [d]), Leaena etiam dicta Demetrii Poliorcetae celebris amica, de qua vide Athenaeum [e]). Teste Aeliano [f]) Lais dicebatur ἀξινη, *securis*, cognomen inventum ad indicandam ejus ingenii feritatem, et saevitiam.

FVNDATOR. *Diota.* Ƹ CORIN. *intra lauream.* AE. III. (Sestini Lett. T. IV. p. 99.)

Numus mirus tam parum concorde typo cum inscriptione. *Fundator* intelligi non potest, nisi J. Caesar.

---

s) Athenaeus l. c. Pausan. l. c. Plutarch. in Nicia et Alcibiad. t) Athen. l. c. u) l. c. x) L. II. eleg. 2. y) Plutarch. de Pyth. orac. z) Laert. in Diog. a) Plutarch. in X. rhet. b) De fals. relig. L. I. c. 20. c) Lactant. l. c. d) L. I. c. 23. e) L. VI. p. m. 253. f) V. H. XII. 5.

Digitized by Google

* * *

Similes autonomi cujus sint aetatis, non raro ex adjectis IIviris potest intelligi. Est in museo Caesareo numus perelegans:

CORINT. *Caput muliebre ligatis retro crinibus.* ℞ Q. CAECIL. NIGR. C. HEIO. PM. IIVIR. *Bellerophon ex Pegaso cum Chimaera dimicans.* AE. II.

Vaillantius in suo de Coloniis opere inter numos Julii Caesaris numum vulgavit, in cujus aversa. Q. CAECIL. NIG. C. HEIO. POL. *Caput Augusti nudum.* Ergo praesens autonomus, qui eosdem IIviros exhibet, sine dubio imperante Augusto signatus est. Quid in eodem numo significent literae PM plane luculentae, mihi ignotum.
AE. R.

* * *

Imperatorii coloniae Corinthi.

Sunt hi numero infiniti. Habentur primum cum capite J. Caesaris conditoris, et porriguntur usque ad Gordianum, sed post Getam rarissimi. Insignes sunt numi Agrippae Postumi, et Antoniae Drusi senioris, quos descriptos et explicatos vide in utriusque moneta.

Epigraphe initio fuit: CORINT. vel LAVS. IVL. CORINT. Vocabulum *Coloniae* non adjecit usque ad Domitianum, si unius generis numos demas sub Nerone signatos: GEN. COL. COR. A Domitiano per omnes deinceps Caesares: C. L. I. COR. vel: COL. LAVS. IVL. COR. Sub Domitiano placuit: COL. IVL. AVG. COR. vel: COL. IVL. FLAVIA. AVG. COR.

Typi illustriores:

POPVL. COL. COR. *Vir togatus sedens d. elatà*, in numo Veri.

Eruditus de Boze, qui numum edidit ε), virum sedentem Diogenem Cynicum putat, quia sedile dolii formam praeferre videatur. At malim dicere imaginem POPVLi COLoniae CORinthi, ut saepe in numis Graecis ΔHMOC *populus* specie viri proponitur. Eodem modo in numis inscriptis GEN. COL. COR. typus est genius coloniae.

* * *

Bellerophon Pegasum domans, vel *ex Pegaso cum Chimaera dimicans*, typus obvius. In numo Getae tota haec pugna imposita est capiti ordinis Corinthii. (Vaill.) Heros hic domo Corinthius, et miris factis suis late conspicuus non modo Corintho suae, sed hujus etiam coloniis in monetae argumentum cessit, ut alias vidimus.

* * *

Melicerta etiam perfrequens, nam hujus quoque fabula domestica. Ino Cadmi filia mariti Athamantis Boeotiae reguli insidias verita sese cum puero filio Melicerta ex petra in mare abjecit, quam deinde Neptunus una cum filio in marinorum deorum conlegium cooptavit indito huic

ε) B. L. T. XIX p. 476.

Digitized by Google

Palaemonis nomine, secundum Latinos Portumni, de quo vide praeter mythologos alios Ovidium [h]). Fabulae hujus jucunda in Corinthi numis varietas. In numo Domitiani est *Neptunus sedens, cui adstans Ino Melicertam offert* [i]). In numis Severi est *Ino sese ex rupe in fluctus cum filio praecipitem agens adstituto delphino.* (Mus. Caes.) Saepe fingitur *Melicerta dorso delphini vectus*, nam ab hoc pisce exceptum fuisse a lapsu, et in Isthmum delatum narrat Pausanias [k]). Saepe *juxta puerum cubantem est pinus*, aut *puer*, *delphinus*, *et ipsa pinus super ara*, secundum id, quod narrat Pausanias [l]), juxta pinum fuisse Melicertae aram, ad quem locum puer in mare abjectus a delphino exportatus est, quem cum ibi expositum invenisset Sisyphus, eum humavit institutis in ejus memoriam ludis Isthmiis. Saepius *proponitur in templo delphinis forinsecus ornato.* In numo Severi *adstat taurus ante templum*, nempe ad sacrificium paratus.

* * *

Templum 6 columnarum, cujus epistylio inscriptum: GEN. IVL. in numis Augusti et Liviae. (Pellerin Mel. I. Theup. Arigoni.)

Docent hi numi, stetisse Corinthi templum GEN*ti* IVL*iae* dicatum. Liebeus in similibus suis pro GEN. IVL. perperam legit LENTVL., etsi clarissime istud adparere adserat [m]).

* * *

Venus stans, et utraque manu speculum tenens, nonnunquam sic stat in templo rupi imposito.

In ipso ad Acrocorinthum aditu stetisse templum Veneris, quin et narrantibus Corinthiis ipsum Acrocorinthum a Sole Veneri dono datum scribit Pausanias [n]), unde et Euripidi dicta πολις Αφροδιτας [o]). Hanc amoris praesidem in magno fuisse apud Corinthum pretio, non modo repetita toties in Corinthi moneta ejus imago, sed etiam veterum ἐρωτικα abunde testantur. Dio Chrysostomus eam appellat πολιν των ὐσων τε και γεγενημενων ἐπαφροδιτοτατην, *urbem omnium, quae sunt, quaeque fuerunt, maxime Veneri addictam*, ac propterea sunt, qui citatam supra paroemiam: *Non cuivis homini contingit adire Corinthum*, ad meretricum et illecebras et rapacitatem referant. Vide Erasmi adagia.

* * *

ADVENTVS. AVG. in alio: ADV. AVG. P. M. CLEANDRO. QV. COR. *Triremis cum vectoribus*, in numis Neronis. (Vaill. Mus. Caes.)

ADLO. AVG. P. MEM. CLEANDRO. IIV. QV. *Nero togatus stans in cippo adloquitur.* (Mus. Caes. Theup.)

Neronem profectum in Achaiam, ut currus agitaret, in theatris caneret, in ejus moneta docebimus. Vide similes numos in moneta Patrarum ejusdem Achaiae.

---

h) Met. IV. 530. i) Vaill. Morelli Impp. k) Attic. cap. ult. l) Corinth. c. 1.
m) Goth. num. p. 410. n) L. II. p. m. 121. o) Belleroph. v. 3.

Digitized by Google

* * *

IVPPITER. LIBERATOR. *Jupiter nudus stans d. aquilam*, Neronis. (Arigoni.)

Juppiter Liberator satis ex Syracusarum numis cognitus, in quibus dicitur ΖΕΤΣ. ΕΛΕΤΘΕΡΙΟΣ. Cur eum Corinthii, atque etiam, ut infra videbimus, Patrenses, utrique Achaei, in moneta sua extulerint, causam certam tenemus. Datam enim Achaiae a Nerone libertatem copiosa docent veterum testimonia, quae collecta vide apud Spanhemium p), tum et numi Patrarum, quos vide. At idem Nero ex causa dissimili Senecae et Thraseae, cum eos ad mortem adigeret, occasionem dedit libandi *Iovi Liberatori*, ut scripsit Tacitus q).

* * *

PERM. IMP. *Imperator paludatus in lentis quadrigis*, in numis Domitiani. (Vaill.)

Libertatem, quam a Nerone Achaiae concessam mox dixi, post iterum ademit Vespasianus. Vide hujus facti testes copiosos apud Spanhemium r). Quisquis fuit rei monetariae cum libertate nexus, istud certum, nullum hactenus conspectum sive Corinthi sive Patrarum numum Vespasiano et Tito imperantibus signatum. Succedit praesens Domitiani numus, qui per epigraphen PER*Missu* IMP*eratoris* invicte probat, ademptum Corintho feriundae monetae jus a Domitiano redditum, ut revera copiosos iterum utriusque coloniae habemus numos eo imperante percussos. Quod quidem benevolentiae argumentum in causa fuisse existimo, cur in ejus Augusti gratiam Corinthus *Flaviae* cognomen sibi adsciverit, ut dictum.

* * *

Magistratus IIviri jam inde a principio inscripti leguntur, postremi comparent in numis Galbae. Insignis est numus:

TI. CAESARE. IIVIR. COR. *Caput Tiberii nudum.* Ꝟ M. AIMILIO. LABEONE. IIV. Δ. Δ. *Caput Augusti nudum.* (Morelli in Fam. Aemil. Tab. II. C. et D.)

Ergo Tiberius honoris causa fuit IIvir coloniae Corinthi. In numis cum capite J. Caesaris et Augusti memoratur M. ANTONIVS. HIPPARCHVS. IIVIR. Videtur hic esse idem ille, quem Plutarchus narrat libertum maxima fuisse apud patronum M. Antonium gratia, et tamen primum ad Octavianum defecisse, ac domicilium postea apud Corinthum fixisse s). In moneta Augusti unus idemque numus nonnunquam continet IV. IIviros addito etiam in horum uno PRAEF. IIVIR. (Vaill.) Numos, in quibus memorantur IIviri *M. Bellius Proculus*, et *P. Vipsanius Agrippa*, signatos fuisse imperante Caligula, probatur a me in numis Antoniae Drusi senioris. Exstant etiam numi:

---

p) Orb. Rom. p. 252. q) Ann. XV. 64, et XVI. 35. r) L. c. p. 259. s) In M. Ant. p. m. 947.

Digitized by Google

CORINT. AVGVSTVS. *Caput Augusti nudum.* ℥ P. AEBVTIO. C. IVL. HERAC. IIVIR. QVIN. ITER. *intra lauream.* (Mus. Caes. Vaill.)

Numi hi docent, aliquo tempore pro IIviris ordinariis IIviros quinquennales coloniae praefuisse. Sane Apuleius Thyasum quendam memorat quinquennali apud Corinthum magistratui destinatum [t]. Et Quinquenuales memorantur etiam in numis Neronis supra descriptis. Alium huic geminum, nisi quod pro capite Augusti impressum dicatur caput M. Antonii, inter hujus IIIviri numos vulgavit Vaillantius in suis coloniarum numis. Mirum mihi jure visum, utrumque IIvirum, eumque *quinquennalem iterum*, comparere in numis et M. Antonii, et Augusti, quorum ille V. C. 723. ad Actium attritus fuit, hic nonnisi V. C. 727. Augusti nomine honoratus. At enim consulto Patino, quem Vaillantius hujus numi indicem ex ejus Familiis pag. 5 citat, continuo vidi, caput, quod est Augusti, a Vaillantio perperam pro M. Antonii capite acceptum.

* * *

Ludi ISTHMIA scripti intra coronam ex apio, vel pinu, obvii in numis Corinthi, apud quam urbem primum constituti fuere, ut docebitur alibi. Praemium victorum primum fuisse ex pinu, serius ex apio arido, tradit scholiastes Apollonii Rhodii [u].

AE. C.

ANIMADVERSIONES in numos argumenti Corinthii.

Exstat numorum veterum quoddam genus, quod propter ea, quae disseremus, necesse est liberalius describere.

Pars antica exhibet *Caput Palladis, pone quod sunt sigilla infinite varia, deorum, dearum, hominum, animalium, artefactorum, aut cujuscunque rei ex quocunque naturae regno petitae.* Pars aversa suum perpetuo habet *Pegasum volantem.* Omnes hi numi, tanto in hunc diem numero superstites, ut omnia iis musea referta sint, praeterquam quod memoratis Palladis et Pegasi typis conspirant, eodem etiam sunt metallo, nempe argento, pondere, quod duas drachmas aliquantum excedit, fabrica, quae in omnibus est singularis artificii. Typum hunc ad ipsam Corinthum pertinere, nemo dubitat. Nimirum in hac urbe Pallas templum habuit nomine Χαλινιτιδος, *Frenatricis*, quia Pegasum freno subactum Bellerophonti donum dedit, ut in Syracusis docuimus.

Dixi, in quibus totum istud numorum agmen conspirat, demtis minutis signis, quae omnino videntur fuisse arbitraria. Memorandum nunc etiam, in quibus discrepent.

Alii, quorum maxima est copia, habent in aversa literam ♀ infra Pegasum, in antica literam unam, aut duas, raro tres pluresve, ut: ETΘ. ETTT., in uno, quod sciam, plene ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ, de quo infra.

---

t) Metam. L. X. p. m. 209 u) Ad. L. III. v. 1239.

Digitized by Google

Alii variarum urbium nomina sive plena, sive decurtata inscribunt, ut: ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ, ΛΟΚΡΩΝ, ΑΡΓΙΩΝ, vel: ΔΥΡ. ΚΟΡ. ΑΛΥ. ΛΕΥ. etc. At in his constanter omittitur litera Ϙ, etsi literis aliis in utraque numi facie suus permittatur locus.

Alii sine certo urbis nomine, aut elemento Ϙ literas tantum solitarias, aut monogrammata continent, ut: Λ. A. AN. etc.

Commemorata hac horum numorum varietate inquirendum ante omnia, qua in urbe verisimile sit percussos numos, quos primo loco recitavi, nempe eos, qui literam Ϙ exhibent. Eam esse vetus Phoenicium Koph, in cujus locum successit K, et illa indicari Corinthum, inter omnes convenit. At variant deinde sententiae, dum alii signatos eos apud ipsam Corinthum statuunt, alii Syracusis, tanquam nimirum hae literam metropolis Corinthi ἀρχαιοσην numis suis imprimendo tractam ab hac originem propalam voluissent profiteri. De tota hac lite, quae in hodiernum diem eruditorum sententias distrahit, ut recte arbitrari possit lector, lubet universam causam in plura capita dispescere.

CAPVT I.

quo proponuntur momenta eorum, qui numos similes elemento Ϙ notatos Corintho tribuunt.

Hujus patroni sententiae validis aliquot argumentis nituntur. I. Testimonium luculentum est Pollucis, cujus verba sunt x): πωλον δε το νομισμα το Κορινθιον, ὁτι Πηγασον εἰχεν ἐντετυπωμενον, *Pullum vero* vocat *numum Corinthium, quia Pegasum insculptum habuit.* Cum numus hic Corinthius certam ab imagine appellationem habuerit, necesse est fuisse obvium, ut obvia fuit pecunia Atheniensis, quae ejusdem Pollucis, aliorumque testimonio dicta est Κορα et γλαυξ. Ergo nisi numos, de quibus agimus, eos esse ipsos statuamus, quos hic indicat Pollux, necesse est, aut hunc fallere, aut alios Corintho circumspicere numos Pegasi imagine insignes, at unde hos petes? Drachmarum Corinthiarum meminit etiam Thucydides, tempore, quod bellum Peloponnesiacum pracesait y). II. Constat inter scriptores omnes de veteris Corinthi potentia, magnificentia, factis in gravia bella, colonias, substructiones, certamina Isthmia, omnis generis, etiam ex nobilissimis metallis, artefacta immensis sumptibus, sic ut post Athenas omnium Graeciae propriae urbium facile princeps haberetur. Constat etiam inter nos, veterum urbium Graecarum facultates sive amplas sive modicas ex superstitis earum monetae sive copia sive inopia plerumque comprobari. Demus Corintho numerosum hoc didrachmorum agmen, et conspirabunt facile residuae hae opes cum concordibus scriptorum omnium de ejus potentia testimoniis. Auferamus, et quid tum habebimus ejus Corinthi omnium linguis ac praeconiis jactatae? aut an numulus unicus aeneus, quem supra citavimus, is-

x) L. IX c. VI. §. 76 y) L I c. 27.

Digitized by Google

que ambiguus, conceptam de ejus reip. praestantia opinionem satis poterit stabilire? III. In numis, qui per inscriptum ΣΤΡΑΚΟΣΙΩΝ certo sunt Syracusarum, illud ♀ constanter abest, quod verum esse patebit intuenti omnes hujus generis hactenus editos. Mirum autem videretur, monetarios Syracusanos non etiam in his, aut saltem horum aliquibus adstituisse illud elementum, quod tam frequenter fecere in aliis, in quibus urbis inscriptio abest. Nam si ea litera confessio est coloniae Corintho ductae, cur illa dissimulanda fuerat in numis ejus urbis certis, inscriptis ΣΤΡΑΚΟΣΙΩΝ? Monendum iterum, me hic intelligere tantum numos cum capite Palladis et Pegaso, nam novi, editos nonnullos a principe Turris Muciae, in quibus hinc ΣΤΡΑΚΟΣΙΩΝ, inde ♀ et Pegasus, verum in horum antica non est caput Palladis, sed Arethusae. IV. Neque minus in omnibus id genus numis, qui per inscriptionem ΑΡΓΙΩΝ, ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ, ΛΕΥΚΑΔ. etc. videri possunt in variis Corinthi coloniis cusi, de quibus agetur infra, abest elementum ♀. Ex quo colligi potest, literam hanc solitarie positam in his numis uni Corintho fuisse propriam, quo signatae monetae locus indicaretur. V. In horum nonnullis, quos edidere Pellerinius [z]), aliique, juxta caput Palladis plene scriptum legitur: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. Censet Pellerinius, hoc nomine intelligendum ipsum Alexandrum M., eumque numo inscriptum tanquam constitutum honoris causa urbis magistratum; nam constat ex Seneca [a]), eum regem jam Orientis victorem a Corinthiis missis legatis civitate donatum. Haec Pellerinius; at si numi hi vere sunt Corinthii, tum potius crederem, eo vocabulo notari Alexandrum Polysperchontis F., qui aliquamdiu Corinthum praesidio occupatum tenuit, ut scripsit Diodorus [b]), quo modo et supra in Aegii numis verisimile diximus; in his signatum Aristodemum, aut notari Alexandrum alium, qui Corinthi item arcem in potestate habuit, veneno sublatum ab Antigono Gonata [c]). Quare cum ex hoc satis appareat, numos hos esse Corinthios, verisimile etiam, numos alios ejusdem argumenti et eodem ♀ insignes Corinthum pertinere.

CAPVT II.

quo proponuntur momenta eorum, qui numos similes elemento ♀ notatos Syracusis tribuunt.

Pauca, sed gravissima hujus amici sententiae commemorant. Adferunt argumentum, quod in re numismatica plurimum semper valuit, ab ipso petitum loco, quo copiosius ea merx solet reperiri. Quanta vero copia id genus numorum reperiatur in Sicilia, docebit testis omni exceptione major princeps Turris Muciae, qui in haec verba consulenti mihi rescripserat: *scire te velim, in solo nummophylacio collegii Panormitani*

z) Rec. I. p. 112. a) De Benefic. L. I. c. 13. b) L. XIX. c. 74. c) Plutarch. in Arato.

Digitized by Google

patrum S. J. olim servatam fuisse, et a me conspectam similium numorum fere myriadem. Tercentis plures servantur in monasterio S. Martini prope Panormum, privata per insulam musea iis abundant, plures ducentis ipse possideo. Denique abhinc annos XX. apud aurifabrum nostratem vidi id genus numos pondere CC. librarum, quos ille testabatur Syracusis esse emisse a villico quopiam, qui cum ruri opus faceret, eos eodem loco reperit omnes, quos inter fuere etiam aurei nonnulli Agathoclis. At praeter illustre hoc viri nobilissimi testimonium praesto habeo exemplum domesticum. Reperio in catalogo MS. Caroli Gustavi Haerei, Caroli VI. Aug. antiquarii, trecentos similes solis sigillis, literisque solitariis diversos missos imperatori ex ea insula, quo tempore is utramque Siciliam regio nomine tenuit. II. Exstat in Sicilia numismatica principis T. M. numus argenteus: ΣΤΡΑΚΟΣΙΩΝ. *Caput Arethusae.* Ꝟ *Pegasus, infra quem* ♀ *inversum.* (Tab. LXXIX, n. 2.) Cum ergo ex hoc numo certum sit, literam hanc tanquam Corinthi ἀρχαίσην fuisse a Syracusanis revera usurpatam, poterunt etiam Syracusas pertinere numi alii hoc elemento insignes, etsi urbis ipsius inscriptio absit. III. Est in museo Caesareo numus hujus argumenti, in cujus antica scriptum ΕΤΘ., in aversa ♀. Idem ΕΤΘ. vero etiam exaratum reperitur in quatuor certis Syracusarum, qui sunt in Sicilia principis T. M. (Tab. LXXII. n. 8—11.) qui adeo videtur fuisse unius ejusdemque urbis magistratus. Vide etiam Neumannum de hoc argumento copiose et erudite disserentem [d]).

CAPVT III.

quo verisimile statuitur, numos elemento ♀ *notatos pertinere Syracusas.*

Propositis utriusque sententiae rationibus arbitrandum denique, utrae alteris videantur praestare. Serias ac graves esse eas, quae pro Corintho pugnant, nemo erit, qui inficiabitur, quibus olim persuasus ipse, antequam amicae principis T. M. literae judicium meum solicitassent, Corinthum sibi numos similes habere jussi [e]), praeeuntem secutus magnum in arte nostra magistrum Pellerinium eandem sententiam iterato docentem [f]). Juvabat sententiam meam ill. Jacobus Gradenigo, qui datis ad me literis testatus est, triginta hujus argumenti numos in gaza sua servari, repertos omnes per insulas ditioni Venetae obnoxias, et per tractum sinus Ambracii, cum has terras reip. causa obiret. Addit, si statuatur, numos similes ex foedere Corinthum inter ac filias colonias inito commercii causa fuisse signatos, nequaquam mirum videri, multa eorum exemplaria reperiri etiam in Sicilia, quorsum necesse fuit magnum numerum propter commercium cum praepotentibus Syracusis derivari. Tamen quocunque quis loco haec velit argumenta putare,

d) Num. pop. P. I. p. 54. e) Num. vet. p. 121. f) Rec. I. p. 112. Rec. III. p. 110. et Supp. II. p. 95.

Digitized by Google

tam prodigiosus, tantusque numerus, quanto eos indies per Siciliam reperiri supra demonstravi, domesticam hanc fuisse Syracusarum monetam plane persuadet. Vt factum tenemus, ita tamen minus esse facile intelligo: certa quadam ratione conciliare cum hac sententia rationes, quas capite I. Corintho favere diximus.

CAPVT IV.

Verisimile etiam, numos coloniarum. Corinthi nomine insignes Syracusis signatos.

Dixi supra, complures exstare numos, illis, de quibus ago, numis tam typo, quam metallo, ac pondere simillimos, sed in quibus pro elemento Ϙ comparent variarum urbium nomina, Leucadis, Ambraciae, Dyrrhachii etc., quas fuisse Corinthi colonias constat, et quarum adcuratum catalogum sequente capite dabimus. Eos signatos in urbibus, quarum praeferunt nomina, vetus omnium fert opinio, cui nuper accessit etiam princeps Turris Muciae g). Censueram ipse olim, quo loco in hujus generis numos prolixe commentabar h), Corinthiorum colonos communi inter se consensu in suis quosque urbibus cum metropolis eos typo cudisse, non tam ut ejus sese colonos profiterentur, (nam si haec una causa placuisset, poterat idem obtineri, quin tam anxie in pondere, metallo, et omnibus typorum apicibus conspirassent) quam ut ii, aut saltem aliqua eorum portio cederent in primitias, quas metropoli coloniae mittere consueverunt, aut caerimonias sacras in metropoli obiri solitas, de quibus metropoleos in colonias suas juribus eodem loco latius egi. Sed enim hos quoque ipsos numos frequentius reperiri in Sicilia, perinde ac numos litera Ϙ notatos, eo non obscure potest colligi, quod inter id genus numos, quos magno numero Carolo VI. Aug. ex Sicilia adlatos supra dixi, fuere etiam inscripti ΑΚΤΙΟΤ, ΑΛΤ. ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ, ΑΡΓΙΩΝ, ΛΕΤΚΑΔ. ΛΟΚΡΩΝ, ut taceam eos, qui literas Λ, A, AN etc.: quas plerique primas similium coloniarum literas putant, exhibent. Ex quo conjici potest, fuisse aliquod tempus, quo Syracusani quacunque ex causa, quam ut multa alia nobis inviderunt scriptores veteres, tam matris Corinthi, quam sororum coloniarum nomine feriundos numos curavere. Licebit non injuria conjicere, praestitum hunc a filiis Syracusanis matri Corintho honorem tum, cum a Corinthiis duce Timoleonte, ejecto tyranno Dionysio juniore, in libertatem adserti fuere, ac praeterea Syracusis aliarum coloniarum nomine signatos numos, ut matris gloria ostentatis tot conspicuis ejus prolibus augeretur. Factum istud anno V. C. 411, cum qua aetate elegans hujus monetae opus probe convenit. Haec, quae dixi, si adrideant eruditis, facilis dabitur ratio, cur numis his omnibus, tam variarum, ac dissitarum urbium ne-

g) Aggiunte p. 197. h) Num. vet. p. 128.

Digitized by Google

mine inscriptis, tam adcurate ad minimas quasque peristases conveniat, quod fieri facile potuit, si ex una omnes officina prodivere; at quam difficile ad consensum vocare tot urbes inter se plerumque dissidentes, et ipsi etiam metropoli palam infensas, cujus in Corcyra exemplum mox videbimus. Nolim mihi objici tot urbium exempla, quae uno eodemque consilio tetradrachma Alexandri M. inter se simillima signavere. Etenim in his certa alia habemus indicia, fuisse diversis locis percussa v. g. additas literas Phoenicias, quae Phoeniciam eorum patriam eloquuntur, vel in numis Aradi notas arithmeticas huic urbi familiares, ac plura alia; deinde poterat in urbibus unius imperio obnoxiis facile monetaria aliqua lex statui, ad quam esse omnes adcommodarent, non item in iis, quae nullis legibus, nisi suis, tenebantur.

CAPUT V.

continens catalogum urbium cum typis Corinthiis.

Praemonendum hoc loco iterum, me in hunc censum admittere solum eos numos, qui sunt didrachma, et hinc caput Palladis, illinc Pegasum, et pro Phoenicio Ϙ urbis nomen sistunt, verbo ut absolvam, qui toti ejusdem plane sunt rationis, qualis sunt ii, de quibus hactenus agere institueram, quique per hunc ipsum consensum Corinthum metropolin confitentur.

Horum alii urbem plane eloquuntur, ut ΛΟΚΡΩΝ, alii compendio, ut ΔΤΡ. Parcius alii unicam tantum literam, ut Α. Λ., aut duas, ut ΑΝ., et saepe monogrammate ligatas indulgent. Sintne hae literae principia similium urbium coloniarum, an aliud notent, nequaquam proclive decidere; nullo enim pacto adsensero Havercampo, qui iis indicari amphipolos, Jovis apud Syracusas ministros, conjicit [i]), ad similia commenta necessario adactus, cum per opus illud frequentius magno hiatu promitteret, se abscondita quaeque rimaturum, et quae alii modestius ignorare sese profitentur, explicaturum. Harum catalogum coloniarum jam olim edidi [k]), quem hic, sed compendio, restituo, in nonnullis tamen auctiorem.

* * *

Actium.

ΑΚΤΙΟΤ. *Caput Palladis*, Ϙ *Pegasus*, *infra* ΑΝΑ. *in monogrammate.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin.).

Numos similes recte Actium ab Apollinis templo inclytum indicare statuit Pellerinius [l]). Literae ΑΝΑ, videntur notare agrum *Anactorium*, in quo secundum Thucydidem situm Actium. Teste Strabone totus hic tractus colonos Co-

i) in Parutam p. 372. k) Num. vet. p. 121. l) Reg. I. p. 86.

Digitized by Google

rinthios recepit ducibus Cypselo et Gargaso [m]).

Alyzia.

ΑΛΥ. *Caput Palladis* ℵ *Pegasus.* AR. II. (Mus. Caes.)

Vrbs Acarnaniae testibus veteribus, quos alias citavi. Majorem Acarnaniae partem a Corinthiis habitatam mox diximus.

Ambracia.

ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ. *Caput Palladis* ℵ *Pegasus.* AR. II. (Mus. Caes.)

ΑΜΠΡΑΚΙΩΤΑΝ. *Caput Palladis, pone fax ardens.* ℵ *Pegasus, infra* A. AR. II. (Mus. Card. Borgia.)

Fuisse Ambraciam Epiri certam Corinthi coloniam, multi veteres prodidere, quorum testimonia vide in meis Numis vet. p. 123. De scriptura ΑΜΠΡΑΚΙΩΤΑΝ egimus in Numis Ambraciae.

Amphilochia, Argos Amphilochium.

ΑΜΦΙ. *vel:* ΑΡΓΕΙ. *vel:* ΑΡΓΙΩΝ. *Caput Palladis.* ℵ *Pegasus, juxta variae literae, vel sigilla.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Acarnaniae portio *Amphilochia* vocabatur, cujus caput erat Argos Amphilochium sic dictum ab Amphilocho Amphiarai F. Argivo, qui post bellum Trojanum in sinu Ambracio urbem condidit, et de patriae nomine Argos appellavit [n]). In simili Goltzii numo est plene ΑΜΦΙΛΟΧΙΩΝ.

Anactorium.

ΑΝΑΚΤΟΡΙΩΝ. *Caput Palladis, pone astrum.* ℵ *Pegasus.* AR. II. (Pellerin)

Fuit Anactorium et portio Acarnaniae, in qua situm Actium, et eodem nomine urbs. Eodem etiam revocandos conjeci numos similes, qui literas ΑΝ. vel solutas, vel sigla nexas offerunt, motus praecipue eo, quod in his plerumque aliquod Apollinis attributum, tripus, lyra, cortina conspicitur. Fuit autem Anactorius ager Apollini sacer.

Corcyra.

ΚΟΡ. *Caput Palladis, pone vas.* ℵ *Pegasus.* AR. II. (Pellerin.)

Haec, etsi certa Corinthi colonia, suam tamen metropolin, quod perpetuis cum hac bellis collidebatur, aperte est inficiata, obtentu, ab antiquis se Phaeacibus esse oriundam. Quare neglexit etiam consueta sacra aliarum coloniarum more Corinthum mittere. Vide de hoc argumento Thucydidem [o]), Diodorum [p]). Pellerinius adlatum numum Corinthum refert, utrum recte, ambigo. Nam Corinthum matrem satis puto indicatam in numis iis, qui elementum ϙ offerunt, obvios vero habemus autonomos Corcyrae, in quibus haec iisdem literis ΚΟΡ. utitur. Ceterum illi sententiae, quae numum hunc Corcyram refert, non obest, quod ea colonia Corinthum palam est dedignata. Nam si, ut dixi, numi similes signati sunt Syracusis, penes has stetit judicium, utrum haec quoque Corinthi coloniis sit accen-

---

m) L. X. p. 462. n) Thucyd. L. II. p. 141. o) L. I. c. 25. p) L. XII. c. 30.

Digitized by Google

senda. Sed docemur etiam copiosis Corcyrae numis autonomis, in quibus Pegasus frequens typus, fuisse tempus, quo, ut lubrica fuerunt Graecorum ingenia, placuit Corinthum matrem agnoscere.

Dyrrhachium.

ΔΤΡ. *Caput Palladis, pone clava.* ℞ *Pegasus. In aliis pone caput Palladis* Δ *tantum, et clava.* AR. II. (Mus. Caes.)

Fuit Dyrrhachium Corcyrensium quidem colonia, sed ejus deducendae auctorem habuit Phalium genere Corinthium et ab Hercule oriundum, cumque Dyrrhacheni a finitimis vexati metropolis Corcyrae opem frustra implorassent, ad Corinthum sese, tanquam suam ἀνεκαθεν metropolin verterunt, ut auctor est Thucydides [q]). Clava ad Phalium ab Hercule, ut dixi, oriundum adludit. Quin et Herculem ab oppidanis pro conditore cultum scripsit Appianus. (Bell. civ. L. II. c. 39.)

Leucas.

ΛΕΤ. ΛΕΤΚΑΔ. *Caput Palladis.* ℞ *Pegasus.* AR. II. (Mus. Caes.)

Insula Acarnaniae fere adhaerens, et certa Corinthi colonia teste Thucydide [r]), et Plutarcho [s]).

Locri.

ΛΟΚΡΩΝ. *Caput Palladis.* ℞. *Pegasus.* AR. II. AE. II. (Mus. Caes.)

Cum in Graecia propria essent Locri Opuntii, Epicnemidii, Ozolae, in Italia Epizephyrii, implexa quaestio, quinam ex tot diversis populis communi hoc ΛΟΚΡΩΝ nomine intelligantur. Pellerinius in Locros Ozolas inclinabat [t]), neque alienum me ab hac sententia olim sum professus [u]). Novissime cl. Neumannus planissime sese demonstrasse existimavit, Epizephyriis hos tribuendos esse numos capto argumento ex narratione III. Cononis, quem citat Photius [x]). Cononis verba sunt agentis de Schenia insula subinde Corcyra dicta: *Mortuo Phaeace insulae rege filii Alcinous et Locrus inter se dissidentes in has tandem conditiones consensere: regnum in Phaeacide obtineret Alcinous, Locrus cum pretiosa supellectile et parte gentis insula excederet. Ei in Italiam delato Latinus Italorum rex non modo hospitium praebuit, sed filiam quoque Laurinam uxorem dedit. Quare Phaeaces hos Italiae Locros cognatione secum conjunctos profitebantur.* Ex his ita concludit Neumannus: erant igitur Locrenses genere Corcyraei, Corcyraei omnium confessione Corinthii, ergo manibus tenemus rationem, cur Locrenses isti Corinthios in numis natales fuerint professi [y]). Sed enim juvat inquirere, quantum momenti huic insit argumento, quem in finem necesse est duo capita in examen vocare, I. utrum haec Cononis narratio aliquid habeat probabilitatis, II. an etiam hac admissa illud, quod vir eruditus intendit, possit adfirmari.

I. Quoscunque habemus scriptores

---

q) L. XII. c. 30 r) L. I. c. 30. s) in Themistocle. t) Rec. I. p. 97. u) Num. vet. p. 97. x) Cod. 186. y) Num. pop. p. 36.

Digitized by Google

gravissimos, in eo consentiunt omnes, Locros Italiae a Locris Graecis oriundos, in eo uno dissident, quod alii ab Opuntiis eos, conterminisve Epicnemidiis, ab Ozolis alii deducunt. Cum Opuntiis nectunt Ephorus apud Strabonem [z]), Scymnus Chius [a]): Εἰσὶ δ' ἀποικοι των Οπωντιων Λοκρων. *Sunt vero coloni Opuntiorum Locrorum.* Virgilius de iisdem Epizephyriis agens ait [b]): *Hic et Narycii posuerunt moenia Locri.* Dicti *Narycii*, quia profecti a Locris sive Opuntiis, sive Epicnemidiis, quorum urbs Naryx Ajacis Oilei patria. Secundum ea et Solinus hanc urbem a Naryciis conditam dixit, quin adeo certum istud visum Ovidio, ut confidenter eam *Naryciam* appellaret [c]), eodem nimirum nomine, quo ipsam Opuntiorum urbem, a qua Epizephyrii profecti. Et Servius ad citatum Virgilii versum: *Cnemis promontorium, in quo Opuntii Locri positi sunt, a quibus originem trahunt, qui in Italia sunt.* Scholiastes ad Pindari Olymp. XI. 13. *Ab his* (Epicnemidiis) *sunt Locri Epizephyrii Italiae.* At omnium maxime illustris locus Pausaniae narrantis, hos Italiae Locros in praelio adversum Crotoniatas invocasse Ajacem Oilei κατα οἰκειοτητα προς Οπωντιους, *ob eam, quae ipsis erat cum Opuntiis, cognationem* [d]), quod testimonium eo praestat, quod ipsius gentis confessionem exprimit, a quibus illa majoribus sese profectam crederet. Similia narrat Conon apud eundem Photium [e]), Epizephyrios, quoties bella gerunt, semper Ajaci locum in acie relinquere, tanquam ipse in acie pugnaret. A Locris Ozolis exstitisse Epizephyrios, diserte Strabo addito etiam duce Evanthe, factumque istud paullo post Crotonem, et Syracusas conditas. Idem confirmat Dionysius Periegetes, ejusque commentator Eustathius [f]). Denique Scymnus, quem jam supra pro Opuntiis stetisse diximus, mox versu sequente sic: Ενιοι δε Λοκρων φασι των ἐν Οζολαις, *at alii oriundos ajunt a Locris Ozolis.* Sed audiamus alteram ipsorum confessionem Locrorum, quam ab iis ipsis accepisse sese profitetur Polybius, qui cum ea gente multus erat, sibique eam propter magna beneficia obstrictam habuit [g]). Narrat is, sese etsi amicitia cum Locris conjunctum non tamen cunctatum confirmare ea omnia, quae de origine hujus coloniae Aristoteles multo veriora memoriae prodidit, quam quae Timaeus. Addit, Locrenses fateri ipsos, hanc se a patribus quoque traditam accepisse de sua colonia famam, cujus memineral Aristoteles. Eam hoc loco dissimulat Polybius, sed paucis commemorat alibi [h]), laxius deinde enarratam ab Eustathio [i]), Locros nimirum hos, cum servili antea conditione apud Ozolas essent, heris belli causa absentibus cum horum uxoribus congressos, poenae metu cum iis ipsis, quibus vim obtulerant, solum vertisse, et sedem apud

z) L. VI. p. m. 397. a) v. 315. b) Aen. III. v. 399. c) Metam. L. XV. v. 705. d) L. III. c. 19. e) Narrat. XVIII. f) ad vers. 365. g) Hist. L. XII. c. 3. h) Excerpt. de Virt. L. XII. sub init. i) ad Dionys. v. 365.

Digitized by Google

Zephyrium fixisse. Haec utut genti indecora ut ausi non sunt plane inficiari, ita non dubitaverunt adserere, ex centum iis familiis, ex quibus oraculi monitu virgines Ilium mittendae sorte legebantur, mulieres nonnullas secum in novam hanc coloniam profectas, quarum posteri in praecipuo apud Epizephyrios honore censebantur. At constat, ferale illud virginum tributum in mille annos porrigendum Locrensibus Graecis fuisse imperatum ad placandam Minervam, cujus sacerdotem Cassandram eorum dux Ajax apud Ilium vitiaverat, ut obiter narrant Plutarchus k), Strabo l), et copiosius Tzetzes m). Ergo cum tot, tamque gravia habeamus testimonia, et insuper, quod maximi putandum, ipsam indigenarum confessionem de hujus ortu coloniae, quis ferat Cononem, Locris his originem ex Phaeacide reliquis omnibus ignotam tribuentem, et, ut vidimus, narrato honore Ajaci ab his ipsis habito sibi ipsi contradicentem? Neque vero etiam audiendus Pausanias, qui forte unus Epizephyrios Laconiae colonos facit n), etsi ut dictum, alibi eorum cum Opuntiis affinitatem profiteretur.

II. At demus aliquid Cononi grammatico, secutumque famam obscuri nominis, et undecunque haustam. Tamen si vera, tantum abest, ut Locrensium cum Corinthiis per Corcyraeos nexum stabiliat, ut etiam rectissime evertat. Ipso Cononе teste Locri a Phaeacibus oriundi, et cum his fuere cognati. At quid Phaeacibus cum adventitiis Corinthiis, novo populo, sero admodum, ex quo praetensa haec Locri migratio contigit, ex Isthmo in Scheriam delato, et quidem teste Timaeo sexto demum post Troica saeculo o)? Qua ergo prolepseos licentia dici potest aut Phaeax rex Corcyrae, aut Locrenses Corcyraei? Sin istud, permissum etiam nobis putabimus, Gallegraecos appellare Francos, quoniam hi Gallis successere, quorum Gallograeci fuere coloni, quo modo lepide dixit Constantinus Porphyrogenitus: ὁι δε Γαλαται ἀποικοι εἰσι των Φραγγων. (de Themat. L. I. them. 6.) Ipse Conon paullo altius veras appellationes recte secundam tempora digerit. Ait, insulam dictam Scheriam, incolas Phaeaces, ἀυτοχθονας, et sic dictos ex nomine regis veteris, ὑστερον, continuo subjicit, ἐπωνυμιαν ἀυτην μοιρα Κορινθιων, nam ΤΟΤΕ ὀνομα ἐις Κερκυραν μετεβαλε, scrinus incoluit eam pars Corinthiorum, et TUM Corcyra dici coepit. Igitur ex quo Scheriam ingressi sunt Corinthii, cessavit omnis Locrorum cum novis incolis nexus, Phaeacibus, per quos cognatio stetit, aut deletis, aut extrusis. Quin si fides Plutarcho, quo tempore hostili animo in Corcyram ingressi sunt Corinthii, eam non amplius Phaeaces, sed Eretrienses Euboeae tenuerunt p). Perperam Neumannus Dyrrhachenos in exemplum

k) T. II. p. m. 557. l) L. XIII. p. m. 896. m) ad Lycophr. v. 1141. n) L. III. c. 3. o) Schol. Apollonii ad L. IV. v. 1216. p) Quaest. Graec.

Digitized by Google

vocat. At horum causa quam immane dispar! Dyrrhacheni matrem agnovere Corcyram, et per hanc aviam Corinthum. Locri, si Cononi fides, matrem Phaeaciam, verum per hanc an et aviam Corinthum?

Ex his efficitur, hanc Cononis narrationem, ut principio dixi, non modo non probare, sed inficiari etiam Epizephyrios Corinthi colonos. Non tamen negavero, posse numos sic inscriptos ad hos Italiae Locros pertinere, etsi de nexu hos inter, et Corinthios nihil aperte constet. Sed eundem etiam in Tauromenitarum numis ignoramus. Favet Epizephyriis, quod, ut recte advertit Neumannus, in numis similibus, sed aeneis, comparet monogramma ΑΓ., quod idem non raro in certis aliis eorum numis conspicitur. Ajebam aeneis, nam argentei hujus classis eo carent, et recte istud secundum conjecturam meam, qua verisimile dicebam, didrachma omnia hujus argumenti apud Syracusas signata. Quare numis aeneis, qui apud ipsos Locros malleum subiere, potuit haec nota domestica imprimi, sed ejus expertes fuere argentei, qui fuere opus officinae Syracusanae.

Lysimachia.

ΛΥΣΙ. *Caput Palladis, pone* AN. *et candelabrum.* Ɣ *Pegasus, et* AN. *in monogrammate.* AR. (Hunter.)

Lysimachiam Aetoliae hunc numum refert Combius.

Naupactus.

NAT. *Caput Palladis, pone* AN. Ɣ *Pegasus, infra* AN. AR. 11. (Pellerin. Lettres p. 200.)

Dubitabam olim propter insertum bis monogramma AN., quo verisimilius Anactorium indicari censebam, tum quod in simillimo altero musei Caesarei pro NAT. luculentum NTΣ. legitur, utrum vere, quod Pellerinius volebat, Naupactus Aetoliae hac inscriptione notetur [b]). Neque vero etiam constat, fuisse Naupactum a Corinthiis habitatam. Quare compendia NAT. et NTΣ. aliorsum videntur accipienda.

Syracusae.

ΣΤΡΑΚΟΣΙΩΝ *typis solitis.* AR. II.

De hac Corinthi colonia post ea, quae jam dicta sunt, nihil attinet monere. Apud Theocritum mulier Syracusana molesto cuipiam peregrino sic respondet [r]):

Ὡς ἰδὴς καὶ τυτο, Κορινθιαι ἐιμες ἀνωθεν,
Ὡς καὶ ὁ Βελλεροφων. Πελοποννασιστι λαλευμες.

Vt noveris et istud, Corinthiae sumus ex vetere stirpe,
Aeque ac Bellerophon. Peloponnesie loquimur.

Tauromenium.

TAYPOMENITAN. *Caput Palladis.* Ɣ *Pegasus.* AR. II. AE. II. (Torremuzza.)

Quis fuerit Tauromenio Siciliae cum Corintho nexus, ignoro. Forte peractus est per Syracusanos. Quid veteres de Tauromenii ortu, et progressu prodiderint, in ejus moneta disseruimus.

---

q) Num. vet. p. 127. r) Id. XV. v. 91.

Digitized by Google

Thyreum.

Caput Palladis. Ϟ ΘΥΡ. in alio ΘΥ. *Pegasus.* AR. II. (Mus. Caes.)

Acarnaniae urbes passim fuisse a Corinthiis frequentatas, satis in praecedentibus vidimus.

PATRAE.

Vrbs nobilis, et numorum dives.

Autonomi.

Epigraphe aut ΠΑΤΡΕΩΝ, aut pro hoc monogramma ΠΑΤ quod resolvitur commode in literas ΠΑΤΡΕ., atque idem monogramma etiam, quando urbis nomen jam inscriptum est, aream tamen aversae occupat.

Caput Jovis laur. Ϟ ΑΥΤΟ. ΑΙΟΧΡΙΩ-ΝΟΣ. ΠΑΤΡΕ. *in monogrammate, omnia intra coronam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Hae drachmae similes sunt iis, quas communi Achaiae nomine magno numero signatos supra diximus. Similem tam fabrica, quam literarum forma descripsimus etiam in moneta Aegii, ex quo apparet, utriusque aetatem convenire.

* * *

Caput Herculis laur. Ϟ ΜΗΤΡΟΔΩ-ΡΟΣ. ΜΕΝΕΚΛΕΟΣ. ΠΑΤΡΕΩΝ. *Pallas gradiens d. hastam, s. clypeum, in area noctua, et dictum monogramma.* AE. II. (Mus. Caes.)

Frequentiores sunt numi similes variante tantum magistratu.

* * *

ΠΑΤΡΕΩΝ. *Monticulus inter duas spicas, omnia intra coronam hederaceam.* Ϟ ΞΕΝΟΦΑΝΤΟΣ. ΣΩΣΙΣΤΡΑΤΟΥ. *Vir habitu curto stans d. elata - - s. - - in area solitum monogramma.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Narrat Polybius[s]), Patrensium urbi imminuisse montem, dictum Παναχαικον. Nomen ipsum docet, eum toti Achaeorum conventui sacrum fuisse, ut supra Homagyrium Jovem, et Panachaeam Cererem vidimus, quae adeo causa exstitit ejus in moneta domestica celebrandi.

* * *

Begerus huc vocavit numos argenteos inscriptos ΠΑΤΡΑΟΥ, quo nomine indicari Patreum Patrarum conditorem credidit [t]), quam sententiam impugnatam vide in meis Numis vet. p. 221., suntque hi numi adhuc incertae patriae.
AR. RR. AE. B.

Imperatorii.

Numi Graeci hujus classis cum capite Claudii, et inscripti ΠΑΤΡ. vel ΠΑ-ΤΡΩΝ a Vaillantio, aliisque justo numero sunt editi, et his Patris tributi; verum has literas esse principium vocabuli ΠΑΤΡΩΝΟΣ, hosque numos restituendos Nicaeae, vel Nicomediae Bithyniae, in harum urbium numis decebitur.

---

s) Hist. V. c. 30. t) Thes. Br. T. I. p. 283.

Digitized by Google

Alium inscriptum: NEPΩNI. ΠΑ-ΤΡΕΩΝ vide mox infra.

* * *

Coloniae numi frequentissimi habentur ab Augusto coloniae parente usque ad Gordianum. Vrbs primum condita ab Eumelo, qui arandi modum a Triptolemo edoctus urbem vocavit Αρσαν, nimirum *επι τη εργασια της γης*. Nomen immutavit Patreus Agenoris nepos, qui deturbatis ex hoc tractu Ionibus Aroea amplificavit, eique de se *Patrarum* nomen indidit. Post Actiacam victoriam Augustus copias militares, tum et vicinarum urbium incolas Patras deduxit additis coloniae juribus. Haec ex Pausania [w]), et Strabone [x]). Eusebius in Chronico deductam coloniam definit anno III. Olympiadis CXCI. seu V. C. 740. Ex his indiciis Seguinus eorum epigraphes in his numis passim obviae: COL. A. A. P. executus est, nempe primum A. *Augusta* a conditore Augusto, alterum A. priorem urbis appellationem *Aroen*, P. nomen recentius *Patras* notat [y]).

Epigraphe: COL. A. A. P. quae ab Augusto ad Claudium valuit, sub hoc auctum est, et deinceps scribi coepit: COL. A. A. PA. PAT. PATR. PATRAE. PATRENS. In numis Neronis frequentius C. P., quos huc pertinere arguunt numi: ADVENTVS. AVGVSTI. typo triremis, et IVPPITER. LIBERATOR. typo Jovis stantis d. aquilam tenentis, de quo mox, quae inscriptiones et typi sunt etiam in Neronianis vicinae Corinthi numis. Pro C. P. a neanullis olim lectum G. P. et explicatum: *Graecia Peragrata* [z]), quod jam nemo credit. In numo Neronis est: GEN. COL. NER. PAT. typo Genii sacrificantis, exemplo ab eadem Corintho sumpto.

Augustorum inscriptiones saepe ad modum monetae Romanae sunt. Sic Augustus dicitur: PATER. PATRIAE. In numis Domitiani additur numerus trib. potestatis.

Typi illustriores:

IVPPITER. LIBERATOR. *Juppiter nudus stans d. aquilam, s. hastam*, Neronis. (Vaill.)

Eadem aversa exstat etiam in Neronianis coloniae Corinthi, ad quos observavimus, Jovem hunc Liberatorem illatum Achaiae urbium numis sub Nerone signatis, quod hic Achaiam libertate donavit. Ad idem argumentum pertinet numus:

NEPΩNI. ΠATPEΩN. *Nero togatus stans in templo distylo d. elata.* Ꝟ NEPΩNI. ΠATPEΩN. *Libertas stans d. pileum.* AE. II.

Sic numum restituendum duxi collatis exemplis tribus hactenus editis, quorum singula aliquam labem traxere. Ea vide apud Vaillantium [a]), Theupoli [b]), et Morellium [c]). Proponitur in antica Nero gestu libertatem palam dispensantis, ac insignis hujus causa beneficii in templo numinis instar collocatus.

---

u) in Achaic. x) L. VI. y) Sel. num. p. 114. z) Mem. Trev. in Apr. 1703. art. 72. a) Num. Graec. p. 17. b) pag. 849. c) Imp. T. II. p. 120.

Digitized by Google

Aversa concessum ipsam libertatem depraedicat. Neque adeo mirum, Patrenses, qui inde ab Augusto nonnisi coloniae nomine numos signavere, modo ab lege ordinaria discessisse, et in communi laetitia heterogeneum hunc numum emisisse, qui veteris libertatis postliminio reducis argumentum contineret.

* * *

DIANA. LAPHRIA. *Diana venatrix stans*, in numis Neronis, et Domitiani. (Vaill.)

Etsi in his coloniae hujus nomen absit, tamen jure huc referuntur. Diana hoc nomine templum Patris habuit in quo servabatur ejus signum, quod ademptum Aetolis Augustus Patrensibus concessit, reipsa venatricis habitu effictum, ut narrat Pausanias [d]). Ad ejusdem Dianae Laphriae cultum pertinet typus in numo M. Aurelii, quem exhibuit Vaillantius. Sistit is *Mulierem cervorum bigis vectam*. Eum vir eruditus praeclare ex Pausania explicat docente, in quodam Dianae festo apud Patrenses virginem ejus sacerdotem in cervorum bigis vehi [e]).

* * *

HERCVLI. AVGVSTO. *Hercules stans*, in numo Neronis. (Morelli Impp.)

Erudite ad hunc numum observat Havercampus ex Suetonio [f]), voluisse Neronem etiam imitari Herculis facta. Quare eidem adclamatum quoque fuisse: Νερωνι τῳ Ηρακλει [g]). Vide de hoc plura in numis Neronis. Cum M. Antonius Patris ageret, arsit templum Herculis, malo istud omine, quod is Herculis abnepos fuit [h]).

* * *

PORTVS. FRVCTIF. P. R. C. P. *Vir seminudus stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* Neronis. (Liebe Goth. p. 420.)

Numus insignis propter singularem inscriptionem, qua Patrensium portus, nullo, si Strabonem audias, merito illustris, *portus fructifer P. R.* appellatur. Imaginem ejus portus insuper offert numus Commodi apud Sponium [i]).

* * *

LIBERIS. AVG. *Capita tria, quorum medium Britannici, alterum Octaviae, tertium Antoniae, infra duplex cornu copiae*, Claudii. (Vaill.)

Fuere hi tres liberi Claudii, de quibus vide numos hujus Augusti.

* * *

XXII. *scriptum juxta aquilam legionariam inter duo signa militaria*, in numis variorum Augg. (Mus. Caes. Vaill.)

Docent hi numi, Augustum veteranos legionis XXII. Patras deduxisse.

* * *

INDVLGENTIAE. AVG. MONETA.

---

d) in Achaic. e) L. VII. c. 18. f) Cap. 53. g) Dio L. LXIII. h) Plutarch. in Ant. i) Voyage T. III. p. 172.

Digitized by Google

IMPETRATA. *Caput muliebre velatum*, ℞ CAESARI. AVG. COL. A. A. P. *Augustus in quadrigis triumphalibus.* (Seguin Sel. num. p. 114. Vaill.)

De capite anticae Seguinus nihil pronuntiat. Vaillantius in eo certum Liviae caput videt [k]). Credam verius, esse caput ipsius *Indulgentiae*, perinde ac *Clementiam*, *Moderationem*, *Libertatem etc.* typo capitis muliebris, et quidem etiam plerumque velati circum Augusti aetatem proponi videmus. Omnino istud persuadet formula INDVLGENTIAE. AVG., quae votiva est, ut CLEMENTIAE, MODERATIONI in numis Tiberii Romanis, CONSTANTIAE. AVGVSTI in numis Antoniae.

* * *

Silenus stans, in numo Hadriani. (Arigoni.)

Typus obvius in coloniarum numis, de quo agemus alibi.

* * *

Magistratum colonia haec non inscripsit. Cleandrum IIvirum quidem nobis sistit Vaillantius in numo Neronis, sed hic certe est Corinthi, ut colligi potest ex numis similibus musei Caesarei, Liebei [l]), et Theupoli.

* * *

Nomen ab imperatoribus. Ab *Augusto* conditore, ut dictum. A *Nerone* NERo*niana.* Patrae sese Neronis honori perquam addictas professae sunt, quod praeterea docent copiosi numi adhuc superstites cum Neronis effigie, quos plerosque collectos vide apud Morellium. Causa adfectus haud dubia, quod Nero Achaiam libertate donavit, de quo vide, quae diximus in moneta Corinthi coloniae.

AE. C.

PEIRA.

Obscurae huic urbi Combius tribuendos putavit argenteos Hunterianos inscriptos ΠΕΙRA, sed de quibus judicabimus in moneta Sinopes Paphlagoniae.

PELLENE.

Ad sinum Corinthiacum.

Imperatorium.

Caracallae edidit Haymius: (T. II. p. m. 323.)

ΠΕΛΛΗΝΕΩΝ. *Diana venatrix.*

Haec epigraphe conspirat cum scriptoribus Graecis, quibus haec vrbs Πελλήνη dicitur. Quod moncre necesse fuit, nam Pellerinius Domnae numum edidit: ΠΑΛΛΗΝΑΙΩΝ typo Palladis, eumque eidem Achaiae urbi tribuit [m]). Praeterquam quod verisimile non est, Pellenenses in numis una eademque aetate signatis sic variasse, ut alios ΠΕΛΛΗΝΕΩΝ, alios ΠΑΛΛΗΝΑΙΩΝ inscriberent, ad haec nulla sit ratio, numum cum posteriore hac epigraphe Pellene Achaicae tribuendi, cum Plinius

k) Colon. p. 52. l) pag. 419. m) Rec. III. p. 192.

Digitized by Google

Pallenen memoret in Arcadia sitam, cum quo nomine το ΠΑΛΛΗΝΑΙΩΝ recte componitur, animadvertit etiam scholiastes Apollonii n): ἡ Αχαϊκη Πελληνη δια του Ε, ἡ δε ἑτερα ἡ της Αρκαδιας δια του Α γραφεται Παλληνη, ut adeo numus Pellerinianus jure in Arcadiam revocandus sit, aut, si malis, in Laconiam, nam Pallenes Laconiae meminit Diodorus o), nisi una eademque est urbs, finibus, ut saepe factum, confusis. At misere peccat idem scholiasta, dum continuo addit: Αχαϊς δε μερος της Θεσσαλιας, ἡς ἡ Πελληνη, *Achais vero pars est Thessaliae, in qua sita Pellene.* Vrbs haec Thessalica non *Pellene*, sed *Pelinna* vocabatur testibus etiam numis. Enimvero Apollonius ipse hoc loco non aliam Pellenen quam hanc ipsam Achaicam intelligit.
AE. RRR.

PHLIVS.

Phliuntis nomine duae fuere in Peloponneso urbes, illustrior una Achaiae, tenuior altera Argolidis. Ad priorem adeo pertinere numos, quos citabo, verisimile.

Imperatorii.

In familia Severi, quos vide apud Vaillantium, Theupoli, Pellerinium. (Rec. III. p. 197.)

Epigraphe: ΦΛΙΑCΙΩΝ. Errasse se aliquando putabat Cicero, cum deceptus analogia nominum Οπους, Σιπυς, a quibus flectitur Οπυντιοι, Σιπυντιοι, ipse a Φλιους flecteret Φλιωτιοι, pro Φλιασιοι, ut fatetur ipse p). Et vero a veteribus constanter scribitur Φλιασιος. Tamen Stephanus Ciceronem absolvit, qui alterum quoque gentile Φλιωτιος valuisse docet.

Typus in Pelleriniano: *Aesculapius imberbis stans.* Narrat Pausanias q), stetisse apud Phliasios Aesculapii imberbis signum. Si ergo in hoc numo hic deus revera praeter morem imberbis est, neque Pellerinium, ut talem videret, occupavit oratio Pausaniae, ambiguum non est, numum hunc, atque etiam alios cum alio argumento, huic Achaiae Phliunti deberi.
AE. RRR.

RHYPAE.

Straboni Ρυπες, Stephano Ρυπαι, Pausaniae Ρυπων τα ἱερειπια.

Autonomi.

Caput virile laureatum incertum. Ξ PTΨ. *Clava, pharetra, arcus intra coronam.* AE. III. (Pellerin Suppl. I. p. 31.)

Caput Jovis, in area lunula et Θ. Ξ PTΨ. *Aquila fulmini insistens, in area lunula.* AE. III. (Pembrock, et in meis Num. vet. p. 129.)

Numos hos huc pertinere dubium non est, cum ejus gentile Stephano sit Ρυψ. Non exstare imperatorios, nequaquam mirum, cum ejus incolas ab Augusto Patras traductos scripserit Pausanias r).

---

n) ad L. I. v. 177. o) L. XV. c. 67. p) ad Attic. L. VI. ep. 2. q) L. II. p. m. 141. r) Achaic. p. 569.

Digitized by Google

Huc etiam Combius refert Hunterianum:

ΓΡΟΣΣΟΣ. *Caput Iovis* Ϟ ΡΤ. *Mulier stans d. pateram, s. cornucopiae.* AE. III.

Verum hic forte tutius Rubastinis Apuliae tribuetur, quos vide.
AE. RR.

SICYON.

Vrbs vetustate, et antiqua artium gloria insignis famae.

Autonomi.

ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. etc.

Hunc nummum supra in moneta foederis Achaici descriptum vide.

* * *

Haymius huc vocandos putavit numos inscriptos: ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ, sed quos esse alterius Demetriadis, in Demetriade Thessaliae monui.

* * *

Alii hactenus urbis hujus autonomi editi non sunt, ut adeo is, quem priore loco descripsi, isque tantum foederis Achaici, totam illustris hujus urbis monetam constitueret. Haud ita pridem patronos est antiquarios nacta, ac primum quidem ego certum quoddam drachmarum genus huc vocavi, sic tamen, ut Sicyonem inter et Siphnum penderem animi; nuper vero abbas Sestinus rem Sicyonis numismaticam amplis accessionibus auxit, oblato numorum omnium, quos huc pertinere existimavit, adcurato catalogo [a]). Operae pretium, universam hanc causam in examen vocare, ut pateat denique, qui numi quadam veri specie huc vocari possint, quibus negandum civitatis jus. Ab illis ordiamur:

Columba volans, per aream variantes literae, et minuta sigilla. Ϟ *In medio* Σ *magnum, scripto circum magistratus nomine, v. g.* ΑΛΕΞΙΩΝ, ΚΛΕΑΝΔΡΟΣ, ΑΝΔΡΩΝΙΔΑΣ, *etc. omnia intra quadratum.* AR. III. (Pellerin, Hunter, Mus. Caes. etc.)

Primus fuit Begerus, qui numum similem Maleam Laconiae adegit, reliquis deinde omnibus ejus oraculum sequentibus. Illud statuendi Begero ansam dedit numus sic inscriptus: (Thes. Br. T. I. p. 439.)




Iungendo igitur M magnum cum reliqua epigraphe ΑΛΕΩΝ, en tibi luculentum *Malea*, vel *Malensium* vocabulum. Verum sunt multa, quae ab hac me sententia avertunt. I. Sicut in praesente numo penes M legitur ΑΛΕΩΝ, sic in aliis juxta legitur ΑΝΔΡΩΝΙΔΑΣ, vel ΚΛΕΑΝΔΡΟΣ etc. Nemo certe censebit, cum his quoque nominibus, quae sunt certa magistratuum, jugendum M. Si ergo in his nullus est, neque esse potest τω M cum reliqua scriptura nexus, cur is in numo priore exigitur; et an

a) Lettere p. 142.


Digitized by Google

non το ΑΛΕΩΝ perinde esse potest magistratus nomen, atque ΑΝΔΡΩΝΙΔΑΣ etc.? Offendit ad similem scopulum Harduinus, qui cum literas ΜΕ, nempe Messeniae ἀρχωνος cum magistratu ΔΙΩΝ conjungeret, inde *Medion* Aetoliae parturivit. II. Malea promontorium tantum fuit naufragiis infame, qui adstitutum fuisse oppidum, nullus omnino veterum dixit, ne Pausanias quidem, qui pagos Laconiae singulos liberaliter descripsit, et quamvis habemus monticolarum numos, quorum oppida reticuere scriptores, ut supra in Othrye Thessaliae vidimus, tamen si hi numi essent oppidi Maleae impositi, necesse est, non ignobile illud fuisse, quod tanto numero numos, et quidem argenteos feriisset. III. Rara est in Laconum rep. moneta argentea, et rara esse debuit, quia lege vetita, neque dempta Lacedaemone, cujus quoque argentei admodum rari, alterius urbis Laconicae monetam habemus argenteam; an ergo verisimile, Maleam, oppidum, si tamen exstitit, sane obscurum a communi hac lege exemptum?

Propositis his adversus receptam hactenus opinionem, dubiis aliam lubet proponere, quam opportunis argumentis stabilire adnitor. Numi hi, prout vectas, aequo offerunt Σ ac M, ac propterea perinde est, seu legas



Quod si conferamus numos argenteos aliarum Peloponnesi regionum, quarum pleraeque numis suis literam nominis sui ἀρχωνος, eamque majore forma inscripsere, videbimus in iis, reliquam scripturam majori huic literae adstitutam esse horizontalem, non in perpendiculum vergentem. Sic in numis Achaeorum:



in numis Argivorum

Ex quo pronum est inferre, numos, de quibus agimus, situm exigere, ut sit Σ non M., atque adeo tribuendos urbi a Σ incipienti. Non in solis his numis peccatum ab antiquariis suspicor. Numus Pellerinii, quem is sic proponit, M *intra coronam*, eumque propterea Mileto tribuit [1]), videtur vertendus sic, ut sit Σ, ac tribuendus Siphno, quod similes alii hujus insulae numi persuadent.

Etsi litera Σ, et typus avis volantis videantur in insulam Siphnum, vel Seriphum invitare, tamen cum videamus, elementum istud totam numi aversam occupare, qui fuit mos Peloponneso proprius, non patior me ab hac peninsula dimoveri, ac tum nullam aliam urbem prae Sicyone mallem. Nam primum credibile non est, urbem tam nobilem, et omnibus copiis abundantem non habuisse propriam monetam tum, cum sui adhuc juris esset; vidimus autem supra, nullum hactenus repertum ejus numum, praeter unius generis aeneos sed qui non tam ad urbem, quam foe-

[1]) Rec. II. p. 77.

dus Achaicum pertinent, quod temporarium tantum fuit. Sunt vero numi praesentes tam metallo, quam pondere et fabrica simillimi iis, qui in Achaia cusi fuere, cujus pars fuit Sicyon cum agro. Cum igitur in his expressum sit Σ urbis litera princeps, nulli alteri urbi prae Sicyone opportunius poterunt adcommodari. Ad haec narrat Xenophon [u]), Sicyonios consuevisse clypeis suis inscribere literam Σ. Ergo quo charactere usi sunt ad suos in praeliorum tumultu discernendos, eodem etiam videntur fuisse usi ad discriminandam monetam suam ab alia aliorum Peloponnesi populorum. Haec si eruditis probabuntur, nobilissimae Sicyoni suos vindicavimus numos usque in hunc diem patrio solo extorres.

Haec ante annos minimum XII. scripseram, neque dubitaveram, hanc inveterati erroris suspicionem in vulgato a me catalogo musei Caesarei obiter indicare [x]), cum me cl. Neumannus serius Sicyone in Siphnum abstraxit. Etenim cum in numo aeneo Hunteriano, quem non dubitabat esse Siphni insulae, legeret magistratum ΑΛΕΞΙΩΝ, atque idem legatur in similibus argenteis, de quibus nunc agimus, jure putabat hos quoque Siphno restituendos [y]). Quod quidem argumentum satis mihi validum visum, ut ego quoque ad hanc insulam animum adverterem, quod et serius ipse professus sum [z]).

Postremo cl. Sestinus collaudato Neumanni, meoque judicio, quod a Malea hos numos avertimus, acriter contendit, nihil Siphno in eos esse juris, omnes sibi Sicyonem vindicare. Super argumenta pleraque, quorum causa supra praeferendam Sicyonem dixi, commemorat etiam, certis sibi indiciis constare; istud monetae argenteae genus non reperiri, nisi in vicinia veteris Sicyonis, quae hodie *Basilica* dicitur. Validum sane in dubiis numismaticis argumentum. Rationem Neumanni ab inscripto magistratu ΑΛΕΞΙΩΝ petitam elevat statuendo, hunc quoque aeneum Hunterianum esse Sicyonis, suamque adeo potius causam confirmari; etenim si hic Sicyonem patriam habet, etiam argentei eodem magistratu notati ad eandem erunt urbem vocandi.

Quod meum sit in universa hac causa judicium, paucis expediam. Nullus jam dubito, quod pridem conjeceram, omnes hos argenteos majore Σ notatos Sicyonem revocandos. Praeter argumenta, quae attuli, eaque, ut reor, omnino solida, etiam locus, in quo eos reperiri testatur Sestinus, magnum adfert momentum. Atque haec omnia simul sumpta tam mihi videntur valida, ut argumentum a vocabulo ΑΛΕΞΙΩΝ captum, quod Neumanni fortissimum est, omnem videatur amittere auctoritatem. Etenim si aenei hi numi ex Sestini sententia sunt Sicyonis, Siphnus

---

u) Hist. L. IV. p. m. 522. x) P. I. p. 121. y) Num. pop. P. II. p. 221. z) Syl-loge I. p. 30.

Digitized by Google

omne in hos numos jus amisit. Quod si permittamus etiam tin Siphni eum moneta censendum, non video, cur non etiam Sicyon magistratum habere potuerit, cui nomen esset ΑΛΕΞΙΩΝ. Denique haec scribenti occurrit pro Sicyone argumentum alterum a dialecto petitum. Video enim, magistratuum in his argenteis nomina scripta esse Dorice, ut: ΑΝΔΡΩΝΙΔΑΣ, - - ΛΥΠΑΔΑΣ etc. Sicyonios, quia Achaei, fuisse Dores, constat, verum hactenus neque ex scriptoribus, neque monumentis aliis constat, Siphnios ex Dorum fuisse prosapia.

Ex iisdem causis Sicyonis erit numus sequens:

Columba volans. Σ Σ *intra quadratum.* AR. II. (Mus. Caes.)

Numum hunc olim edidi, sed, ut dixi, Siphno tum tribuendem putavi [a]). Est ergo Sicyonis nostrae, idque habet meriti, quod numos hujus argumenti hactenus cognitos antiquitate praestat.

* * *

Hactenus cum mihi cum cl. Sestini dictatis convenerit, non mihi idem cum reliquis ejus praeceptis judicium. Etenim huc numos adigit, quos sibi Siphnii vindicant jure, quam qui optimo, atque item alios, de quibus dubitari adhuc potest, utrum Sicyoni prae Siphno potiora sint jura. Sed haec opportunius in Siphni moneta disputabuntur.

AR. R. AE. RRR.

Imperatorii.

Inscripti ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ cusi sub Domitiano, et per Severi imperium. Eos hactenus cognitos ex Vaillantio aliisque collegit et descripsit cl. Sestinus.

Typi plerumque sunt variorum numinum, *Bacchi*, *Apollinis Actii*, *Aesculapii*, *Palladis*, *Sarapidis*, *Cupidinis*, *qui alatus stat*, *d. facem inversam tenens*, *s. brachio caput sustentans etc.*

* * *

Goltzius in Thesauro suo, opere, si quod aliud, exiguae fidei, Tiberii numum edidit: ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ, cujus fidem elevavit Harduinus [b]), sed defendit Paciaudus [c]). Verum meminisse oportet, vix unam alteramve Europae urbem sese in numis scripsisse Ἱερᾶν, nullam Ἀσυλον. Cum tamen testetur Paciaudus, similem sibi omnino numum alias conspectum, ejus sane viri testimonium continuo non repudiabimus, propter tamen rei insolentiam novo is examini esset subjiciendus, praecipue cum per totum eum tractum non constet ex adcuratis catalogis Tiberio dedicatum numum.

AE. RR.

ELIS.

Habuisse Elcos propriam universae genti monetam, nisi ea ad urbem ejusdem nominis pertinuit, testantur numi certi imperatorii. Vtrum exstent ejus regionis

a) Sylloge I. p. 30. b) Num. urb. illustr. c) Mon. Pelop. p. 160.

Digitized by Google

autonomi, continuo inquiretur. Ceterum nequaquam mirum, paucos exstare numos certos oppidorum in Elide sitorum, quando ex Polybio constat, Eleos ex vetere suo instituto non facile in civitates coivisse, sed ruri suo fere adfixos vitam agrestem et pastoritiam praehabuisse, contentos opibus, quas culti adsidue agri obtulere d).

Autonomi.

Aeneum III. formae, in quo hinc *Caput bovis*, illinc H. *nullo alio typo* visitur, Khellius huc vocandum censuit e). Conjecturam firmat mos in Peloponnesi populis receptus, quo nomen suum una alterave solum litera eos notasse constat. Istud si verum, tanto magis huc ducendus erit aeneus item III. formae, in quo hinc *Caput Iovis*, illinc idem H *intra coronam*, quem Pellerinius nulla certa ratione Heracleae Bithyniae tribuit f). Jovis Olympii in Elide cultus notissimus, cujus item caput in certo Eleorum numo Severi cernitur, aversam vero juvat numus Hadriani editus a Patino ex Thesauro Mauroceno g), in quo plenum ΗΛΕΙΩΝ intra coronam, quo numo praeeunte etiam alter Antonini Pii musei Caesarei, in quo item solum H intra coronam, eandem Elidem videtur respicere. Corona facile ludos Olympios in his numis notat.

Autonomum cum pleniore epigraphe edidit Pellerinius h): *Caput Cereris velatum, et spicis coronatum.* ΣΕΛΕΙΔΙΩΝ, *Lyra.* AE. III. Hunc Elidi tribui posse timide conjectat; nam etsi prima Elidis litera soleat esse H, poterat tamen numus signari tum, cum id elementum nondum fuit ab Eleis receptum; deinde teste Stephano Elidis gentile etiam fuit Ηλιδειος. Sed enim numus tam remoti aevi non videtur esse, ut τῳ H locus esse nondum potuerit, ut revera utrumque Ε sinuatum recentius opus arguit; sin operis vetustioris, tum verisimiliter neque Ω adhuc fuisset inductum, et legeremus scriptum ΕΛΕΙΔΙΟΝ. Dein constat, secundam syllabam in Ηλιδος semper corripi; quare hoc loco diphthongus EI stare nequit, secundum quam legem et a Stephano scribitur Ηλιδειος, non Ηλειδιος. His motus rationibus coepi dubitare de numi lectione, et cum in museis Italicis numos cetera simillimos reperissem, sed inscriptos ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ, olim suspicabar, eandem epigraphen in numo Pelleriniano contineri i). Graviter istud judicium tulit Pellerinius, et in postremo suo opere lectionem suam confirmavit, testatus iterum, numum suum esse integerrimum k). Quod si revera ita habet, videant eruditi, an tamen Elidi tribui possit hic numus spectata insolente regionis inscriptione.

Inter haec extitit vir quidam eruditus, qui monetae Eleae inopiam illustriorum numorum accessione posse levari existimavit. In volumine I. prae-

d) Hist. IV. c. 73. e) Adpendic. I. p. 33. f) Rec. II. p. 23. g) Pag. 56.
h) Suppl. I. p. 23. i) Num. vet. p. 129. k) Addit. p. 28.

Digitized by Google

sentis operis pag. 90 vulgavi numos inscriptos FA., vel plenius FAΛEIΩN, quos hactenus omnes fere artis nostrae magistri Faleriae Etruriae urbi, aut Faliscis, in quibus ea sita fuit, inde a Goltzio tribuendos putavere. Atque horum ego sententiam in hunc diem secutus sum, non quod plane ignorarem difficultates, quae ei videntur adversari, sed partim, quod typi in his numis obvii ex Faliscorum historia commode possunt explicari, partim quod hactenus ii, qui aliam iis patriam adsignavere, nihil idoneum attulerunt, quod ad adsensum permoveret. Prodiit nuper Londini opus inscriptum: *An analytical Essay on the Greek Alphabet*, in quo ejus auctor *Richardus Payne* adserit, numos cum epigraphe FA., vel FAΛEIΩN nequaquam Faliscis, sed Eleis Peloponnesi tribuendos esse. Quibus vir eruditus argumentis usus fuerit, equidem ignoro; nam ex ea lucubratione, quam videre hucusque non licuit, aliud mihi non constat, nisi quantum ex Indiciis literariis Gottingensibus anni 1792 pag. 1962 intellexi. Digna res visa, in quam inquirerem, quod cum agerem, duplex mihi examen vidi esse propositum, I. utrum epigraphe FAΛEIΩN possit Faliscos indicare, II. sin minus, ad quam verisimilius urbem numi sic inscripti sint revocandi, quae nunc dubia, quam breviter potero, expedire conabor.

In enucleando dubio priore quaeritur cumprimis, fueritne elementum F vetustissimo Graecorum aevo sic adhibitum, ut aequivaleret elemento Φ serius reperto, quo modo serius scriptum Ω pro OO, H pro EE, Ξ pro KΣ, Ψ pro ΠΣ, Θ pro TH. Si quid valet analogia, vix videatur posse dubitari. Certum est, Latinorum alphabetum aliud non esse, quam vetustissimum Graecum, servatumque ab illis literarum ordinem, quem hoc praescripsit. Ergo character F Latinorum idem fuit cum illo, qui in Graecorum alphabeto sexto loco stetit. Fuit Latinorum F ejus naturae, ut Graeci omnis aevi, ex quo vocabula eorum propria Graece scribere coeperunt, illud scripto Φ compensarent. Sic stante adhuc rep. Macedones *Fulcinium*, hominem Romanum, in numis scripsere ΦOΛKINNION, cujus subinde exempla alia sunt innumera. E converso Graecorum Φερω fuit Latinorum *fero*, φυγη *fuga* etc. quin et literae F non raro usus fuit in iis quoque vocabulis, quae ex lege ordinaria aspiratam PH, quae eadem est cum Φ Graecorum, postulabant. In numis Constantii II. est TRIVMFATOR pro TRIVMPHATOR, in numis Phocae FOCAS, pro quo Graeci Φωκας, in numis Nicephori II. NICHFOR. dictus Graecis Νικηφορος, etsi Latine quoque *Phocas* et *Nicephorus* recte scriberetur. Ergo cum viderem, elementum F, quia captum ex alphabeto Graeco, non modo Graecae esse prosapiae, sed etiam ejusdem cum Φ potentiae, non dubitabam, factum nonnunquam, ut in Graecis pro Φ antique scriberetur F, quemadmodum antique pro *Kappa* positum fuit *Koph*, et in numis pro KPOTΩN scriptum legitur ϘPOTON; et quemadmodum Graeci antiquate *Koph* in solo *Kappa* acquievere, sic et antiquato F solo deinceps Φ fuisse contentos ve-

Digitized by Google

risimile est visum. Noveram, posse mihi objici Quinctilianum, qui Ciceronem ipsum auctorem citat, (Inst. L. I. c. 4.) adserentem, testem quempiam Graecum ne primam quidem literam, quae est in vocabulo *Fundanius*, enunciare potuisse. At novi etiam, inter Ϝ Graecorum, et F Latinorum exiguum fuisse spectata pronunciatione discrimen. Ait Priscianus l): *F Aeolicum digamma, quod apud antiquissimos Latinorum eandem vim, quam apud Aeoles habuit* Ϝ, *eum autem PROPE sonum, quem nunc habet F. significabat P cum aspiratione, sic ut etiam apud veteres Graecos pro* Ϝ, *P et H. Vnde nunc quoque in Graecis nominibus antiquam scripturam servamus pro* Ϝ, *P et H ponentes, ut: ORPHEVS, PHAETHON.* In quo constiterit ea differentia a Prisciano vocabulo PROPE indicata, idem explicat alibi m): *Hoc tamen scire debemus, quod non tam fixis labris est pronuncianda F, quomodo* Ϝ, *atque hoc solum interest inter F et* Ϝ. Et infra: (Pag. 549.) *Est aliqua, in pronunciatione ejus literae differentia F cum sono PH, ut ostendit ipsius palati pulsus, linguae, labrorum.* Lege etiam Quinctilianum utriusque literae sonum discriminantem n). Ex quo arguo, soni discrimen, atque istud perexiguum, nequaquam obstare, quo minus credi possit, Latinorum F perinde ac quascunque alias literas ex vetustissimo Graecorum alphabeto depromptum fuisse. Idem suadere mihi videbatur eadem litera, quia sexto loco posita, et a Phoeniciis haud dubie invecta, sed quod argumentum latius exponam volumine IV. in tractatu de notis chronologicis. Atque hanc ego doctrinam manifesto exemplo scripti FAΛEIΩN pro ϜAΛEIΩN, tum et FA. in drachmis Achaeorum, FAΣT. ETFAPA in argenteis Boeotorum, EΣTFEΔIITΣ in numis Aspendi plane confirmatam conjeci, in quibus nimirum ἀρχαϊκῶς F pro Ϝ positum esset, neque eam loco moveri posse, nisi quis numis FAΛEIΩN certiorem aliam patriam prae Faliscis possit adsignare. Atque etsi veteres artis grammaticae magistri in eo conspirent omnes, in primaevo Graecorum alphabeto non exstitisse elementum F, sed pro hoc usurpatum Π addita aspiratione H, antequam litera Ϝ recepta esset, ac praeterea etsi in vetustissimis quibusque marmoribus, quotiescunque Ϝ exarandum fuit, nunquam pro hoc reperissem scriptum F, sed semper aut Ϝ antiquae formae, aut dictum ΠH, tamen tanti mihi ponderis visa sunt publica haec numorum monumenta, ut non dubitarem, eorum oracula quibuscunque grammaticorum praeceptis anteferre, neque desperarem, marmora aliquando Graeca in lucem proditura, quae scripto F pro Ϝ sententiam meam confirmarent.

At enim universa haec lis unius verbi FAΛEIΩN ergo suscepta, fueritne olim F in Graecorum alphabeto, et quam alio loco curatius disceptabo, in causa

l) Ap. Putsch. p. 542. m) Ibid. p. 543. n) Inst. L. XII. c. 10.

Digitized by Google

praesente suapte cessat, ex quo certiorem ejus vocabuli explicandi modum reperi, secutus nempe judicium Richardi Payne, numos FAΛEIΩN Elidi tribuentis, in cujus ego meritum cum inquirerem, facile perspexi, nihil illo esse verius, nihil praestantius. Enim vero si fingamus, pro FAΛEIΩN in his numis scriptum esse AΛEIΩN, nemo dubitaverit, quin continuo patriam iis Elidem adsignet. Nimirum Elidis gentile est Ηλειος, quod non modo statuunt scriptores, sed et numi hujus gentis imperatorii inscripti ΗΛΕΙΩΝ. A pro Η nemo mirabitur, qui novit, dialectum Doricam per Peloponnesum valuisse. Ait Stephanus °): ἀφ' ὃ Αλειος ὁ Ζευς, *a quo* (nempe ab Ηλειος) *est Iupiter Aleus*, id est, secundum dialectum communem *Eleus* *) Vnum igitur superest F praefixum, sed et istud explicatus plani, facilisque. Est enim digamma Aeolicum, frequenter testibus grammaticis, et marmoribus magis vetustis positum aut ante verbum a vocali incipiens, aut inter duas vocales, cujusmodi sunt in inscriptionibus Graecis perantiquis FOIKIAN, AFVTO pro OIKIAN, ATTO, tum in numis Axi Cretae FAΞIΩN, atque secundum hanc legem explicanda sunt vocabula supra memorata FA. FAΣT. ETFAPA. Sed de hujus digamma Aeolici natura, et usu plura disseremus volumine IV. in tractatu de notis chronologicis. Addita vero Aeolica hac nota hi populi nonnunquam indulsere archaismo, quo modo Athenienses in numis suis scripsisse AΘE. pro AΘH. diximus etiam tum, cum literam H jam recepere. Ad typos horum numorum quod attinet, ex iis quoque Elidem facile agnoscas. Typus potior est Iuppiter, aut quae ad eum pertinent, aquila, et fulmen. At cui ignotus Iuppiter Olympius summae per Elidem religionis? Ergo etiam jure illi in numis aliis sociata Iuno soror, et conjux. Iuppiter et aquila saepe sunt etiam in imperatoriis, qui certe sunt Elidis. In autonomo aeneo est FAΛEIΩN intra coronam; eadem aversa est in numo Hadriani, nisi quod omissis archaismis legitur ΗΛΕΙΩN; hac enim jam aetate urbes Graecae omissis dialectis communem scribendi modum sunt secutae. Sic in vetustioribus Meli insulae numis est MAΛIΩN, in posterioribus MΗΛIΩN.

Ex his, quae disputavimus, sequitur I. Si hi numi etiam propterea Elidi sunt tribuendi, quia inscriptum gentile Eleos rite enunciat, tanto magis arcendi erunt a Faliscis, qui a nemine dicti fuere Φαλειοῖ, semper Φαλισκοι. Quae quidem causa me pridem a Faliscis reddidit alienum, sed quia melius quid non occurrit, secutus sum sententiam plurium. II. Si in his numis F positum esset pro Φ, mirum sane foret, non occurrere saltem

°) In Ηλις.

*) Istud cum suapte clarum sit, mirabimur sane, Berkelium Stephani editorem hoc loco pro Αλειος, reposuisse Ηλειος, atque istud tanto magis, quod ipse adserit, in Αλειος codices omnes conspirare. Thomas Pinedo alter Stephani editor sive cautior, sive eruditior, locum intactum reliquit.

Digitized by Google

interdum in numis Pherarum, Pharsali, Phocidis, quorum multos habemus peranticos, scriptum FERAION, FARΣ., FOKI. etc. Quae etiam causa fuerit, cur jam olim eruditi a Faliscis averterint animum, et ad Aeolicum digamma conversi urbem ab A inscipientem respexerint. Hos inter Havercampus Αλεαν vel Αλειαν, Arcadiae, et Thessaliae oppida praehabuit p), cujus deinde judicium amplexus est cl. Dutens q). Si numos hos restituimus Elidi, nulla amplius supererit ratio inquirendi in causam, cur nobilis hujus provinciae, suique olim semper juris, nulli superent numi ante Romanorum tempora signati. Vtinam eadem fortuna aliquando adfulgeret nobilissimae Corintho, cujus hactenus monetam veterem, antequam in coloniam abiret, incassum quaesivimus. IV. Elidi quoque eximie favet indicium abbatis Sestini testantis r), numos similes ex Peloponnesi vicinia sibi fuisse adlatos. Ipse etiam expertus non sum, hujus argumenti numos in museis Italicis magis abundare, quod evenire necesse foret, si essent Faliscorum Etruriae; neque etiam memini, cum ex Italia numorum supplementa nactus sum, numum in horum consortio similem se mihi unquam obtulisse.

Epigraphe in omnibus ΗΛΕΙΩΝ. In citato supra Autononi numo solum est Η, si modo certo huc pertinet.

Typus solitus est: *Sola epigraphe intra coronam*, vel: *aquila intra coronam*, vel: *caput Iovis Olympii*. Illustrior alius:

Vir nudus undis insidens d. coronam, s. arundinem, pro pedibus urna prominente palmae ramo, in numo Hadriani. (Mus. Caes.)

Hujus praeco Froelichius s) dum illum Elidi urbi tribueret, figuram jacentem Peneum fluvium dixit, qui eam permeabat; verum cum adstituta ludorum urna, et corona victoriae praemium, quam fluvius decumbens ostentat, manifesto ad certamen Olympicum sint referendae, illud vero non ad ipsam urbem Elidem, sed ad Olympiam juxta Alpheum fluvium perageretur, mallem fluvium in numo propositum dicere Alpheum, ex qua item causa tutius est statuere, numos inscriptos ΗΛΕΙΩΝ esse monetam regionis universae, non urbis cognominis.

In numo Gallieni, quem Arigonius edidit, videtur Satyrus sedens adstituta avi, in cujus insolentis typi explicatum inquirere operae pretium foret, si ectypis Arigonianis satis fidi posset.

AE. RR.

Imperatorii.

Sunt Hadriani, Aurelii, Severi, Caracallae, alium Gallieni adjecit Arigonius.

ALESII.

Memorati Stephano. Numum Hadriani his permisit Vaillantius inscriptum ΑΛΗCΕΙΤΩΝ, sed jure Pellerinius hanc

p) Diss. de lit. Graec. p. 275. q) Explic. de quelq. med. p. 187. r) Lettere T. II. p. 10. s) IV. Tent. p. 180.

Digitized by Google

lectionem in dubium vocat, cum numus vitiatus sit, (Mel. II., p. 69.) et conjectat alibi, (Rec. III. pag. 208.) legendum fore esse AMACEITΩN.

CHELONATES.

Promontorium cum urbe cognomine ab Harduino adficta, de cujus numo vide supra in Peloponneso in genere.

EVRIDICIVM.

Exstant *autonomi:*

Caput muliebre velatum. ☧ ETPTΔIKE-ΩN. *Tripus.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin, Pembrock.)

Cum ratio alia magis idonea non suppetat, geographorum veterum nemine urbis Eurydicii mentionem faciente, Pellerinius eos interea luco Elidis *Eurydice* dicto tribuit, cujus meminit Strabo [t]). At vero, ut jam advertit Pellerinius ipse, in MSS. Strabonis est Ευρυκιδιον, sed quod nomen ex sola Xylandri correctione evasit Ευρυδικιων. Quid quod Pausanias in principio Eliacorum [u]) mulierem prodat vocatam Ευρυνδαν, a qua verisimile est luco huic Straboniano nomen inditum, sed hoc nomen rursum a nomine in numo signato aberrat. Nihil igitur certi hactenus statui potest.

OLYMPIA.

A ludis Olympiis spectata. Nonnius [x]), et Begerus [y]) huic impertivere numos argenteos, in quorum antica: *Caput Paladis*, in ☧ *Noctua*, *adscripto in aliis* OΛTMΠIAΣ, *in aliis* OΛTMΠIΣ. Verum hos Tarento vindicandos ex similibus aliis, qui praeterea TAP. additum habent, docui alibi [z]), et supra in Tarento. Alius ibidem cum inscripto OΛTM. et Pane sedente est Arcadum, ut dicetur.

PHEA.

Autonomum ΦEA typo arietis minus integrum Pellerinius huc timide vocat.

PYLVS.

ΠTΛIΩN. *Bos gradiens, infra delphinus.* ☧ *Quadratum incusum.* AR. III. (Goltz. Graecia tab. X.)

Alius, sed pro ΠTΛIΩN *scriptum* √T. AR. III. (Mus. Caes. Pellerin. Rec. I. tab. XVIII.)

Caput muliebre. ☧ ΠTΛIΩN. *Bos gradiens, superne ramus.* AR. III. (Goltz. l. c.)

Caput muliebre. ☧ ΠTΛ. *Caper stans.* AE. III. (Hunter.)

Soli Goltziani plenum ΠTΛIΩN inscripsere, verum justus metus, ne, quod alias saepe ab erudito hoc viro factum, reliquas literas de suo ingenio adjecerit. Certa ergo argenteae hujus monetae epigraphe est √T. litera priore singulari modo formata, atque, si lubeat Goltzii testimonium negligere, necesse non est eam Pylo tribuere, sed alicui ex urbibus a binis his literis incipientibus, quae-

---

t) L. VIII. p. m. 532. u) Pag. 375. x) Goltz. T. III. p. 45. y) Th. Br. T. I. p. 432. z) Num. vet. p. 35.

Digitized by Google

cunque ea sit. Neque eam Pellerinius Pyli signatam dixisset, nisi sequendam Goltzii auctoritatem putasset. Tamen etsi certi essemus, literis ΠΤ. intelligendam Pylum, tamen nondum constaret, quae ex pluribus hoc nomine oppidis illam sibi vindicet. Fuere Pyli tres in Peloponneso, una in Elide propria, altera in Triphylia, quae fuit Elidis pars, tertia in Messenia, quam vide. Dubium etiam, cui ex his tribus permittendus postremus inscriptus ΠΤΛ.

AR. RRR. AE. RRRR.

CEPHALLENIA.

Insula juxta Elidem. Ejus incolas in numis signasse equum, tradit Pollux [a]), sed certus cum hoc typo repertus nondum est. Id quidem Pollucis testimonium movit Liebeum, ut numum aeneum, in quo: *Caput Iovis.* Ɪ *Equus, supra* KE., *infra* TEP, huic insulae largiretur indicatae literis KE[b]). Verum in aliis similibus, quorum plures edidit Pellerinius [c]), pro KE. legitur A. IA. KA., quae sunt certae notae arithmeticae, et cum in iisdem Pellerinianis constanter retineatur το TEP., certum est, his literis notari urbem horum numorum patriam, quam esse Termessum Pisidiae conjectat Pellerinius [d]).

Aeneum alium huc arcessit Pellerinius, in quo KE., et *caput arietis*, propterea maxime, quod in Sames quoque numis, quae est hujus insulae urbs, aries conspiciatur. At si veri sunt numi Goltziani cum nomine Helenes et Cranaes, de quibus egi in insulis Atticae, in quorum uno simile caput arietis conspicitur, mallem numisma illud Ceae insulae, quae Helenae fere fuit contigua, tribuere, quam certo constat fuisse fere semper in moneta sua usam inscriptione KE., quod de Cephallenia non constat. Quid quod et nob. Iacobus Gradenigo datis ad me literis testatus est, sibi per annos XXX., quibus in eo tractu morabatur, similem nunquam fuisse objectum.

* * *

Cephallenibus tamen tribuendi sequentes:

Caput Cereris spicis coronatum, juxta ΠΑ. Ɪ ΚΕΦΑΛΟC. *Vir nudus saxo insidens s. sagittam tenet.* AR. III.

ΚΕΦΑ. *Caput juvenile pileo tectum.* Ɪ *Caput muliebre, pone arcus, ut videtur.* AR. III. (Pembrock P. II. tab. 42.)

Binos similes illi, quem primum descripseram, possidet laudatus patricius Venetus Jac. Gradenigo, quorum duo ectypa amice mecum communicavit. Eos testatur repertos in ipsa Cephallenia inter rudera veteris Sames. Alium similem, in quo nitidae literae ΠΑ., vidi in museo ill. Com. Vitzai. Horum simi-

a) L. IX. c. VI. §. 84. b) Goth. num. p. 178. c) Rec. T. II. p. 150. d) L. c.

Digitized by Google

lem princeps Turris Muciae in moneta Cephaloeditanorum Siciliae, nempe re tum nondum satis explorata, recenset [e]). Vt locus, quo ejus similes effossi sunt, palam favet Cephallenibus, ita eos invicte vindicat nomen KEΦAΛOC in horum uno plene scriptum, ex quo omne Cephaloedio in hos numos jus sublatum. Ea ergo vox virum saxo insidentem certum Cephalum facit telum illud manu tractantem, quod tanquam donum nequaquam aspernandum (nunquam enim fefellerat) ab uxore Procride abstulit. Constat autem ex Pausania [f]), Cephalum occisa eodem telo imprudenter Procride Athenis exulem in hanc insulam commigrasse, eique de se Cephalleniae nomen dedisse. Neu vero dubitari amplius possit, numos similes Cephallenum esse monetam, efficiunt literae ΠA., quae sunt certae ἀρχαιεσαι Pallensium hujus insulae oppidanorum, et in quorum etiam numis, quos mox recensebimus, simile comparet Cereris caput, in nonnullorum etiam aversa granum hordei. Mirari subit, principem Turris Muciae in Sicilia sua pro certis hos Cephaloedii numis venditare, cum tamen nihil praesto haberet, quod opponeret iis, qui Cephallenibus eos tribuendos censerent, ut apparet ex ejus Auctario III. p. 165. Accedit, fateri ipsum in Sicilia sua, nullum sibi hactenus argenteum Cephaloedii in museis patriis conspectum.

Alterum quem sociavi, nolim confidentius tueri, esse Cephallenum potius, quam Cephaloedii. Huic favet, quod Sicula haec urbs constanter KEΦA., ut in numo praesente, inscribitur. At quoniam, ut dixi, nullus adhuc certus Cephaloedii argenteus cognitus est, et nihil obstat, quo minus et Caphallenes insulam suam primoribus quatuor elementis indicare potuerint, jus huic in cimelium istud adimi non poterit, nisi aliud dies doceat. Auctor musei Pembrock capite anticae effictum Vlyssem existimat, quod minus verisimile, cum hic barbatus semper fingatur. Si vere est Cephallenum, mallem in antica Cephalum, in aversa Procrin propositos credere.

AR. RRR.

Habuit Cephallenia urbes quatuor, *Cranios*, *Pallenses*, *Pronaeos*, *Samaeos* [g]), quarum modo numos proferemus.

CRANIVM.

Autonomi:

Caput arietis, in area K. Ξ KPA. *Pes bovis.* AR. III. (Mus Caes.)

KPAN. *Aries gradiens.* Ξ Δ., *vel arcus intra quadratum incusum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Alius similis, sed sine urbis nomine. AE. III. (Hunter. Neumann.)

Caput arietis. Ξ Δ *intra quadratum.* AR. IV. (Hunter.)

Horum priorem jam edidit Goltzius [h]) serius ipse restitui [i]). Eum Goltzius in-

---

e) Tab. XXVI. f) Attic. p. m. 91. g) Thucyd. L. II. h) In Ins. tab. VIII. i) Num. vet. p. 111.

Digitized by Google

sulae Helenae, quae et *Cranae* dicebatur, et fuit Atticae opposita, largitus est, ego huic Cranio Cephalleniae. Fateor tamen, cum in certis Cranaes Helenae numis, si modo certi dici possunt numi Goltziani, sit caput arietis, in utramque posse partem disputari, utrum Cranium, an Cranae numum hunc atque etiam secundum sibi possit vindicare, ut patet ex iis, quae ad Helenae insulae monetam disserui. Pro Cranio nostro momentum, quod aries comparet quoque in numis Sames ejusdem Cephalleniae, quod animal facile cum hac insula connectitur, quoniam ei nomen dedit Cephalus secundum Apollodorum Mercurii filius, cui deo aries sacer.

* * *

Quos numos aeneos Goltzius, eumque secutus Neumannus huic Cranio tribuerunt, esse potius Cragi Lyciae, in hujus numis disputabitur.

AR. AE. RRR.

Imperatorii:

Nonnullos inscriptos KPANAIΩN antiquarii hactenus omnes huc adegere. Re magis expensa videntur eidem Helenae restituendi, ut in hujus moneta probare conatus sum.

PALLENSES.

Horum nomen varie scriptum reperitur apud Cellarium. Eos vetere nomine fuisse dictos Dulychios, testatur Pausanias [k]), qui eos vocat Παλεις, recte secundum marmor Reinesii [l]) in quo Πολις Παλεων της Κεφαλληνιας. Sed variat gentile.

Caput Cereris spicis coronatum, juxta ΠΑ. ☧ ΚΕΦΑΛΟC. *Vir nudus saxo insidens s. sagittam tenet.* AR. III.

Caput Cereris simile. ☧ Π, *cui inclusum* A, *nullo alio typo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Delphinus super fluctibus maris. ☧Π *incluso huic literae hordei grano.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ☧ *Typus similis.* AR. III. (Hunter.)

Delphinus. ☧ Π *incluso hordei grano, in area* ΠΑ. AE. III. (Hunter.)

Numum ex his primum esse Cephallenem, et a Pallensibus signatum, in ipsa Cephallenia dixi, quo loco et numi argumentum explicatum habes. Binis, qui sequuntur, similes jam edidere Burmannus [m]), et Pellerinius [n]), quorum uterque Panormum respexit. Alium videre est in Khellii Adpendicula II. p. 167, qui quo vocandum putet, anceps haesit. Eorum veros natales feliciter reperit Iacobus Gradenigo patricius Venetus, qui id genus numos non infrequenter repeririad me scripserat eo praecipue loco, quo Pallensium urbs stetit, quae in hunc diem nomen *Pallicki* veteri adfine retinet. Typi urbem maritimam, et laeta Cereris praemia testantur.

AR. RRR. AE. RR.

PRONI.

Caput Iovis. ☧ ΠΡ. *in monogrammate,*

(k) L. VI. c. 15. (l) Inscr. T. I. p. 335. (m) Dorville Sicula p. 469. (n) Rec. III. p. 109.

Digitized by Google

ex quo pendet bolzus. AE. III. (Neumann Num. pop. P. II. p. 157.)

Contentis Pallensium numis mox citatis jure verisimile visum Neumanno, numum hunc ad Pronaeos hos pertinere.

* * *

Alium aeneum huc vocavit Pellerinius inscriptum ΠΡΟ. ob quandam typi conformitatem cum numo alio, quem Cephalleniae propter additum KE. tribuit, at sunt nonnulla dubia, an non posterior hic numus vindicandus sit potius Ceae insulae, quae copiosius proposui supra in numis Helenae insulae ad Atticam.

AE. RR.

S A M E.

Vrbs insulae princeps, quo nomine et universa Cephallenia ab Homero compellatur o).

Caput adversum galeatum. Σ ΣAMAI. ΩN. *Aries.* AR. AE. III. (Pellerin, Haym.)

Caput Apollinis laur. Σ ΣAMAI. vel ΣAMAIΩN. *Canis terrae inhians.* AR. AE. III. (Savorgnan, Mus. Caes.)

Caput Palladis Σ ΣAM. AKHP. *Aries dimidius.* AE. III. (Hunter.)

Haymius caput numi primi esse ipsius Cephali conjicit. Sin istud, jure aversam obtinet aries, quod hic Mercurio sacer est, quem Cephali patrem dixit Apollodorus. Numum alterum alias edidi p), dixique, canem in eo excubantem esse Laelapem, quem cursu valentissimum a Procride una cum telo fallere nescio donatum Cephalo prodidit Ovidius, sacrum etiam religione, nam eundum esse cum Sirio astro creditum nonnullis q).

AR. et AE. RR.

ZACYNTHVS.

Insula Elidi opposita.

Autonomi:

Caput Apollinis. Σ ZAKTNΘOT. *Vir imberbis seminudus sedens d. serpentem adprehendit.* AR. I. (Pellerin.)

Epigraphe utrum insulam ipsam, aut urbem cognominem indicet, an referenda sit ad figuram sedentem, perinde ac ΚΕΦΑΛΟΣ in numis vicinae Cephalleniae, incertum. Sin istud, haberi posset Zacynthus Dardani F. civis Psophidius, qui huc commigrans insulae nomen dedit r), aut Zacynthus Dardani Trojanorum regis F., de quo idem narrat Dionysius Halic s). Sed obstare videtur serpens, quem manu tractat. Quare potest putari aut Aesculapius, quem absque barba nonnunquam fictum supra in Phliuntis Achaiae moneta diximus, aut Aristaeus in hoc quoque tractu observatus, secundum ea, quae olim

o) Odyss. A. 246. p) Num. vet. p. 111. q) Schol. ad Apollon. L. II. v. 519.
r) Pausan. Arcad. p. 644. s) L. I. c. 50.

Digitized by Google

de hoc Apollonis et Cyrenes filio copiose disserui [t]).

* * *

Tripus intra quadratum. ℞ ZA. *Luna.* AR. III. (Pellerin.).

Caput Apollinis. ℞ ZA. ΔΙΩΝΟΣ. *Tripus.* AR. II. (Pembrock P. II. tab. 78.)

Numus prior per causas longae antiquitatis insignis est. Ad alterum quod attinet, testatur Plutarchus [u]), non modo Apollinis templum fuisse Zacynthi, quorsum adludit repetitus toties in ejus numis Apollo, aut ejus attributa, sed etiam Dionem Syracusanum, cum exul bellum contra Dionysium juniorem pararet, Zacyntho belli sede delecta, antequam exiret, magnificum in Apollinis templo sacrificium adornasse. Verisimile est, hac occasione signatos hos numos, opulento Dione forte sumptus suppeditante, ac propterea ejus quoque nomine numis inserto.

* * *

In reliquis epigraphe: ΠΑ. ZA. ZAKTN. Typi: *Caput Apollinis*, vel *Dianae*, in aversa: *Apollo nudus sedens s. lyram*, aut *utriusque numinis attributa*, in aliis: *diota*, *Pegasus dimidius*. Numi sunt apud Pellerinium, Hunterum, in museo Caesareo, Theupoli, in meis Numis vet. p. 130.
AR. et AE. R.

Imperatorii.

Sat frequentes enumerant Vaillantius, Arigonius, catalogus Theupoli ab Antonino usque ad Elagabalum. Epigraphe: ZAKTNΘIΩN, at in numo Aurelii: ZAKTNΘOC. (Neumann). Typi obvii. Is, quem cum capite Alexandri Sev. edidit Tristanus, est Perinthi Thraciae.
AE. R.

ITHACA.

Insula prope Cephalleniam ab Vlysse suo nobilitata.

Caput Vlyssis barbatum et pileo tectum. ℞ IΘAKΩN. *Gallus.* AE. III, (Neumann Num. pop. p. 200.)

IΘA. *Caput simile.* ℞ *Caput Palladis.* AE. III. (Hunter, Mus. Caes.)

Primus insulae hujus antiqua fama cognitae numum edidit Neumannus noster, et erudite explicavit. Vlyssem partis adversae pileus sui moris facile comprobat. At praecipuus labor fuit, gallum partis aversae cum Vlysse componere. Verisimile visum, gallum in hoc numo vicarium pro Pallade munus obire. Constat ex Pausania [x]), gallum Palladi sacrum propter pugnandi studium, ac propterea cum in pluribus Campaniae urbium numis cum Pallade sociatum. Constat vero etiam, Palladem omni-

---

t) Num. vet. p. 108. u) In Dione cap. 22. 23. x) Eliac. II. p. 518.

Digitized by Google

bus in rebus Vlyssi operam suam addixisse, sic ut de se ipse apud Sophoclem profiteatur: Νικη τ' Αθηνα πολιας, ἡ σωζει μ' ἀει, *et Victoria Minerva urbium custos, quae me semper tuetur*, quare et a bello Trojano redux fertur Αθηνᾳ Σωτειρᾳ, *Minervae Sospitae*, templum aedificasse y), quo de argumento vide plura apud Apuleium z). Cui quidem conjecturae praeclare succurrit numus alter Hunterianus, qui ipsum Palladis caput sistit, sic ut plane appareat, gallum eam stationem pro dea sua obtinere, ut saepe aquilam pro Jove ipso positam videmus.

AE. RRRR.

ASTERIA.

Insula modica inter Cephalleniam et Ithacam, jam enarrata Homero, et postea plerisque geographis. Vide Cellarium.

A. *nullo alio typo.* ☧ *Astrum.* AE. III.

Hunterianum hunc numum cl. Combius tribuit accolis montis Siculi Atabyrii, si qui unquam fuere. At dubium jam plerisque, possintne huic Atabyrio numi fidenter tribui. Quare permissum mihi, aliam huic cimelio patriam circumspicere. Et occurrit, quam dixi, insula Asteria, quam facile indicat hinc elementum princeps A, illinc astrum cum adlusione ad nomen Asteriae.

AE. RRRR.

MESSENIA.

Regio cum urbe cognomine.

Autonomi.

Caput Jovis, rarius Cereris. ☧ ΜΕΣ. utraque litera colligata. *Tripus, adscripto in nonnullis magistratu, ut:* ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΑΣ, *omnia intra lauream.* AR. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput muliebre. ☧ ΜΕ in monogrammate. *Juppiter stans d. fulmen intorquet, s. extenta aquilam, addito fere semper magistratu, ut:* ΔΙΩΝ, *in area constanter tripus et corona.* AE. III. (Ibid.)

Juppiter in Messeniorum numis frequens est Ithomates, qui magno honore in vicino monte Ithome colebatur. In simili numo Harduinus ex nomine urbis ΜΕ., et magistratu ΔΙΩΝ unam vocem composuit, cumque adeo legeret ΜΕΔΙΩΝ, numum hunc Medioni Aetoliae adsitae tribuere non dubitavit.

* * *

ΜΕCCHNIΩN. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ *Juppiter similis stans*

y) Pausan. L. VIII. c. 44. z) De deo Socrat. in fine.

Digitized by Google

in aliis: *Aesculapius stans, juxta corona.* AE. III. (Ibid.)

Numos hos, in posterius aevum locandos patet cum ex forma literarum, tum obliterato jam Dorismo.

* * *

De numis Messeniae, testibus foederis Achaici, et inscriptis: ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ, actum supra in Achaia. *AR. RR. AE. C.*

Imperatorii.

Hactenus editi Severi et familiae.

Epigraphe: ΜΕCCHNIΩN, typis obviis. (Vaill. Pellerin.) *AE. RRR.*

AEPEA.

Numus ΑΙΠΕΑΙΩΝ huic Messeniae oppido in museo Hunteriano tributus est Aegarum Ciliciae, quas vide.

AMPHEA.

Ad fines Laconiae auctore Pausania [a]), et Stephano, Graecis dicta Αμφεια.

Autonomum huic tribuit Pellerinius: (Suppl. I. p. 31.)

Caput Apollinis laur. Ϫ ΑΜΦΙΤΟΤΝ. *Juppiter sedens d. fulmen, s. hastam.* AE. III.

Existimat sic scriptum pro ΑΜΦΙΤΩΝ. Sed enim gentile Stephano est Αμφεος. Res ambigua.

ANDANIA.

Perperam Panelius huc vocat autonomum: ΙЄΡΟC. ΔΗΜΘC. Ϫ ΑΝΔΑΝЄΙΤΩΝ. *Juppiter stans d. aquilam.* Haec numi forma provinciam Asiam sapit, tum et Juppiter, qui certus est Laodicenus. Vix dubitem, in aversa legendum: ΑΙΖΑΝЄΙΤΩΝ, et esse numum Aezanitarum Phrygiae.

COLONE.

A Ptolemaeo dicitur Κολωνη, a Pausania multitudinis numero Κολωνιδες [b]), quorsum autonomum refert Pellerinius: (Suppl. III. p. 103.)

Caput Palladis. Ϫ ΚΟΛΩΝΑΩΝ, *scriptum intra radios astri.* AE. III.

Epigraphe Dorica confirmat id, quod eodem loco recitat Pausanias, urbis incolas huc ex Attica profectos tempore dialectum Doricam imbibisse. *AE. RRRR.*

CORONE.

Autonomum ΚΟΡΩΝΑΙΩΝ vide supra in Achaia inter numos foederis Achaici, qui unicus est hujus urbis hucusque cognitus.

CYPARISSIA.

Ad fines Elidis, cui etiam a Diodoro Siculo inseritur [c]).

Imperatorii.

Exstant cusi in honorem familiae Severi. (Vaill. Pellerin, Arigoni, Theupoli.)

Egigraphe: ΚΤΠΑΡΙCCIЄΩΝ, typis obviis.

---

a) Messen. c. 51. b) L. IV. p. m. 365. c) L. XV. c. 77.

Digitized by Google

Singularis omnino esset numus cum capite Drusillae, et inscriptus: ΔΡΟΥCΙΛΛΑ. CЄΒ. vulgatus ab Arigonio, nisi pro praetensa hac inscriptione legendum ΠΛΑΤΤΙΛΛΑ. CЄΒ. jure liceret suspicari.
AE. RR.

MOTHONE.

Haec urbs varie scripta in codicibus reperitur, sed vere dictam *Mothonen* probant numi, aliaque argumenta, quae uberius proposui in meis Numis vet. p. 133.

Autonomis caret, etsi aliquando horum unum vulgatum a Corsinio memoriae lapsu adfirmaveram. (Ibid.)

Imperatorii.

ΜΟΘΩΝΑΙΩΝ in sola Severi familia exstant apud Pellerinium, et in meis Numis vet. (l. c.) typis tritis.
AE. RRR.

PYLUS.

Autonomi.

Caput Neptuni. Ꝟ ΠΥ. ΕΠΙ. ΔΙΟΣΚΟΥΡ. *Tridens.* AE. II. (Pellerin Rec. I. p. 120.)

Literas colligatas Pellerinius interpretatur ΠΥλος, conjicitque, ex pluribus hujus nominis urbibus, quarum duae fuere in Elide, hos numos huic Messeniae Pylo tribuendos. Vide etiam Pylum Elidis.
AE. R.

Imperatorii.

ΠΥΛΙΩΝ in familia Severi. Typi: *Pallas stans*, *Aesculapius stans.* (Vaill. Theup. Pellerin.)
AE. RR.

THYRIA.

Graecis Θυρια, populus Θυριαται secundum Pausaniam, olim dicta *Aepea* teste Strabone.

Autonomi.

Caput Jovis diadematum. Ꝟ ΘΟΥΡ. ΝΙΚΩΝΥΜΟΣ. *Pallas stans d. hastam, s. clypeum humi attinet, in area corona spicea.* AE. II. (Mus. Caes.)

Khellium, qui numum hunc ediderat [d]), absterruit fabrica, quo minus numum hunc daret Thurio Lucaniae, cum quo si conferantur alii Messeniae numi videmus conspirare omnia, fabricam, typi et inscriptionis modum, et magistratum. Eundem numum vulgavit quoque Pellerinius, sed quoniam in eo legerat ΒΟΤΘΡΟ., eum Buthroto Epiri adscripsit [e]). Serius lapsum suum ingenue confessus est [f]), quo etiam loco profitetur, sese inique huic Messeniae Thuriae adjudicasse numum inscriptum ΘΥΡΙΑ [g]), qui est Thyriae Argolidis.
AE. RRR.

Imperatorii.

Exstant in familia Severi.

---

d) Adpendic. I. p. 36. e) Rec. I. p. 80. f) Supp. I. p. 47. g) Rec. p. 120.

Digitized by Google

Epigraphe: ΘΟΤΡΙΑΤΩΝ, quod fuisse proprium hujus urbis ἐθνικὸν, supra ex Pausania monuimus, etsi hoc Stephanus etiam Thurio Italiae tribuat [h]), qui omnia hoc loco confundit, eaque, quae Pausanias de Thuria Messeniae prodit, Thurio Italiae adscribit. Areae numi constanter inscribitur ΛΑ., ut advertit Pellerinius [i]). Constat autem ex Pausania, Augustum ademptam Messeniis Thuriam, quod hi a M. Antonio stetissent, subjecisse Lacedaemoniis [k]).

AE. RRR.

LACONIA.

LACEDAEMON.

Secundum divinas humanasque leges exulare debuit Lacedaemone pecunia omnis praeter ferream [l]), ex quo tamen ignobili metallo nullae ad nos reliquiae pervenere. Idem puta de numis scorteis, quibus in commercio usos Spartanos diserte tradit Seneca [m]). At enim reperit avaritia causas, quae praeclarum istud Lycurgi institutum infringerent. Narrat Pausanias [n]), ex omni antiquitatis memoria primos omnium Lacedaemonios hostem muneribus solicitasse, et venalem fecisse belli eventum, adlato ibi ejus exemplo, quod septem fere ante Christum natum saeculis contigit. Teste Thucydide volebant Spartani multare regem suum Agin centum drachmarum millibus, quod factum V. C. 336 [o]). Potissimum subinde Lysander auro argentoque per crebras victorias illato avaritiam simul et corruptelam intendit obnitentibus frustra ephoris. Sane Platonis aetate, ut testatur ipse [p]), plus erat Spartae argenti et auri, quam in tota reliqua Graecia. Quare passim apud citatos supra auctores, et Thucydidem, Xenophontem, Diodorum legitur de Spartanis vel auro corruptis, vel corrumpentibus. Neque alienam solum pecuniam nobilioris metalli invexere Spartani, de quo lepidam propter Gylippi noctuas Atticas historiam narrat Plutarchus [q]), sed successu temporis argenteam ipsi quoque monetam (de aurea non constat) signavere, cujus exempla cum ignota adhuc essent Oudineto, qui in Lacedaemonis numos singulari dissertatione commentatus est [r]), credidit, hunc ipsum pecuniae ex nobili metallo defectum legi domesticae tribuendum. Arei regis Spartani numisma argenteum habemus, qui regnum adiit V.

---

h) in Θυρεῖοι. i) Rec. III. p. 189. k) L. IV. c. 31. l) Aelian. V. H. L. XIV. c. 29. Plutarch. in Lycurgo, Sulla, Lysandro, de Lacon. instit. p. m. 239. Xenophon de rep. Laced. Polyb. Hist. VI. c. 47. Porphyr. de abstin. ab esu carn. L. IV. §. 3. Plato in Eryxia p. 400. Pollux L. IX. §. 79. m) de Benefic. L. V. c. 14. n) L. IV. c. 17. o) L. V. c. 63. p) Alcibiad. I. p. 122. q) in Lysandro. r) B. L. T. I. p. 227.

Digitized by Google

C. 445, et mortuus est V. C. 489. Autonomis ejusdem metalli ex fabrica et picturae modo non possumus remotum magnopere aevum largiri. Ceterum causam invecti nobilis metalli prodidit Polybius [s]), et varia eodem pertinentia dictavit eruditus Dutens [t]).

Autonomi.

Caput Palladis. Ξ ΛΑ. *Hercules nudus petrae leonis exuviis coopertae insidens, d. clavam.* AR. m. m.

Eximium istud cimelium quavis gemma praestantius edidit idem eruditus Dutens, et Lacedaemoni vindicavit [u]). Illud ipsum aliquanto post restituit insignis Blondius, at Lamiam Thessaliae vocandum censuit [x]). Verum novis iterum argumentis, quae Blondianis subjecta reperies, antiquarius Anglus veterem suam sententiam tueri perrexit, inter quae praecipuum, repertum fuisse in ipsa Peloponneso. Quod vero objectat Blondius, elegantiorem hujus numi esse fabricam, quam quae dari facile possit Lacedaemoni artibus nunquam amicae, respondet Anglus, exstare alium Lacedaemonis numum paris elegantiae, metalli, ac ponderis, quem infra in regum Laconiae numis proponam, qui adeo dubium omne de artis peristasi motum dispellit. Facile ego Dutensii partibus accedo, etsi minus probetur, quod regnante Agesilao signatum eum putat. Mortuus est Agesilaus V. C. 396, artis perfectione tum neque adhuc in reliqua cultiore Graecia, nedum Lacedaemone satis matura. Herculis cultus apud Spartam praecipuus, atque esse debuit, quod ejus reges per Proclem et Eurysthenem ab Hercule descenderunt, qui propterea etiam Laconum ἀρχηγέτης dicitur apud Xenophontem [y]). Quare in Lacedaemonis numis clava frequens est typus, nempe Herculis princeps attributum.

* * *

Caput Herculis hedera redimitum. Ξ ΛΑ. *Diota inter binos astriferos Dioscurorum pileos, in area* — A, *extra numi marginem punctatum legitur:* ΜΑΣΑΝΙΣΣΟΥ. AR. III. (Haym. T. II. p. 157.)

Caput Herculis laur. Ξ ΛΑ. *Idem typus, in area magistratus* ΓΕΙCΙΠ. *vel* ΚΙΠ. *etc. omnia intra lauream.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Prior ex his primus erat Lacedaemonis numus argenteus orbi literato cognitus. Mirum Haymio visum est vocabulum ΜΑΣΑΝΙΣΣΟΥ numi sui. Si, inquit, Massinissa Numidiae rex illo notatur, quid huic cum Laconibus commune? Si nomen magistratus, quid barbarum istud nomen inter Graecorum nominum elegantias? Sed enim, quoniam, ut ex iconismo apparet, nomen istud extra puncta, quibus finitur typus Laconicus, conspicitur, satis eo liquet, numum bis esse percussum, cumque adeo

---

s) l. c. t) Explic. de quelq. Med. p. 37. u) l. c. x) B. L. T. XL. Hist. p. 89. y) Hist. L. VI. p. m. 591.

Digitized by Google

certi esse non possimus, utrum primaevus typus revera ad hanc urbem pertinuerit, inutile est etiam, in scrutando Laconum cum Numida nexu esse curiosum. Quare et parvi facienda conjectura eruditi de Cleve, pro hac epigraphe legendum potius censentis MAXANIΔOT, qui Philopoemenis aetate Spartae tyrannus fuit [z]), neque etiam ea, quae ad numum hunc in subjecta Haymiano textui nota disserit Khellius, plus quam tenuis conjecturae nomen merentur. De Dioscuris mox.

* * *

ΣΠΑΡΤΗ. *Caput juvenile.* Ϟ ΛΑ. ΕΠΙ. ΕΥΡΥΚΛΕΟΣ. *Dioscuri equis citatis vecti.* AE. II. (Arigoni.)

Idem numus exstat etiam in museo Caesareo, sed adrosus est locus capiendo ΣΠΑΡΤΗ destinatus. Istud si vere legitur, habemus in antica Spartam, quae fuit Eurotae filia, Lacedaemonis uxor, a qua urbi nomen datum testatur Pausanias [a]). Dioscuri, aut eorum symbola obvius sunt typus in numis Laconicis omnis aetatis. Satis rationis, quod hinc pregnati fuere. Et fuit Spartanis solita jurandi formula: *ναι τω Σιω, per Dioscuros*, nam hos vocabant Σιους, de quo vide plura apud Meursium [b]). De inscripto *Eurycle* infra.

* * *

ΛΥΚΟΥΡΓΟΣ. *Caput virile barbatum.* Ϟ ΛΑ. *Clava caduceo juncta, in area* NI. *vel* ΥΙ. *etc.* AE. III. (Mus. Caes.)

Lycurgi legislatoris sacrum Spartae nomen, et grata memoria. Ceterum cum caput in his numis omnia praeferat Jovis lineamenta, dubitari forte potest, et dubitat ipse Oudinetus, Lycurgi sit, an Jovis imago. Sin Jovis, erit ΛΥΚΟΥΡΓΟΣ nomen magistratus.

* * *

ΛΙΧΑΣ. *Caput juvenile.* Ϟ ΛΑ. *Protome Dianae, in area* ΛΙ., *omnia intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΤΙΜΑΝΔΡΟΣ. *Caput juvenile.* Ϟ ΛΑ. *Diana succincta stans d. extenta, s. hastam; pro pedibus canis, in area monogrammata, omnia intra lauream.* AE. II. (Mus. Caes., Savorgnan, Neumann.)

Videntur Spartani viros etiam civitatis suae illustres numis nonnunquam intulisse, quos inter judicio Neumanni [c]) est etiam Lichas numi prioris, qui testibus Herodoto [d]), et Pausania [e]) repertis Tegeae Orestis reliquiis, iisque astu Spartam translatis civitati suae salutem attulit. Licham quoque memorat Xenophon, cujus insignis fuit in hospites liberalitas [f]).

Alterum numum olim edidi ex ectypo mihi ab illustri Savorgnano misso, sed cujus prototypon ab aevi injuriis misere habitum fuit, in quo cum aliud non legerem, quam TIMANΔP - -, putabam, ea effigie exhiberi Timandram Helenae sororem [g]). Verum numus, quem

---

z) Jobert. T. II. p. 343. a) in Lacon. c. 1. b) Misc. Lac. L. II. c. 8. c) Num. pop. p. 237. d) L. I. c. 67. e) Lacon. c. 3. f) Mem. Socrat. L. I. p. m. 721. g) Num. vet. p. 134.

Digitized by Google

coram descripsi, veram lectionem nos edocet, atque hoc loco, quae ibi cum de Timandra, tum de Philonoe altera Helenae sorore conjeceram, retracto.

Caput juvenile laureatum. Σ ΛΑ. *Diana gradiens comite cane facem gestat, in area duo pilei Dioscurorum, et* TIMO. *omnia intra lauream.* AE. II. In alio simillimo musei principis de Waldeck pro TIMO. legitur: TIMAPICTOC.

* * *

Magistratus: ΕΠΙ. ΕΥΡΥΚΛΕΟΣ. (Mus. Caes.) Dubium non est, memoratum in hoc numo Euryclem esse eum ipsum, quem per Augusti gratiam fuisse apud Spartanos facile principem narrat Strabo, sed quae ipsa viro inpotenti male vertit solum subinde vertere jusso, de quo vide plura apud Meursium [h]). Quod dixeram, confirmatur numo Augusti, in cujus item aversa scriptum: ΕΠΙ. ΕΥΡΥΚΛ - - . In alio apud Haymium est: ΕΠΙ. ΛΑΚΩΝΟC, qui in tempora Claudii differendus, nam eandem epigraphen continet aversa numi ejusdem imperatoris. (Mus. Caes.) Sed de hoc Lacone nihil aliud dicere habeo. Singularis alius apud Pellerinium [i]): ΕΦΟΡΟ - TIMAPACTOC. (forte melius TIMAPICTOC praeeunte numo Waldeckiano mox laudato). Noti apud Lacones Ephori, quorum erat, utriusque regis sui potentiam moderari. Vnicus hic est hujus urbis numus, qui ipsum hunc magistratum diserte exprimat. Ephorum vidit etiam Vaillantius in numo Ancyrae Phrygiae, sed quam lectionem valde videri suspectam, dicetur in ejus urbis moneta. Sintne etiam habendi ephori ΔΙΟΚΛΗΣ, ΚΑΙCΘΡΑΤΑ etc. qui in aliis Lacedaemonis numis memorantur, incertum.

* * *

Vt nomen urbis plerumque solo ΛΑ. inscribi solet, (plenum ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ perraro) ita non sola Lacedaemon binis his literis uti consuevit, quod non satis animadversum in fraudem induxit. Sic in binis peccavit Pellerinius, in uno, cujus typus clypeum Boeoticum offert, quem haud dubie esse Larymnae Boeotiae, supra monuimus; in altero, qui lyram sistit qui est Lappae Cretae.

AR. RR. AE. C.

Regii.

Agesilai et Polydori, qui Spartae regnum tenuere, numos jam edidit Goltzius [k]), sed quos nemo alius vidit. En tibi certum alium:

ARΕVS.

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Σ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΕΟΣ. *Jup-*

h) de regno Laced. p. m. 75. i) Suppl. IV. p. 43. k) in Graec. tab. VI.

Digitized by Google

piter sedens d. aquilam, s. hastam. AR. I. (Mus. Savorgnan.)

Egregium hunc numum primus vulgavit Froelichius, ejusque regis historiam amplis et pereruditis commentariis illustravit [l]. Areus Acrotati F. circa annum V. C. 445. Spartae regnum adit. Ejus nota est epistola data ad Oniam I. Iudaeorum pontificem, qua cognationem cum Iudaeis aperit, et amicitiam cum his renovat [m]. Eo in Creta absente Pyrrhus Epiri rex Spartam omni vi obsidet, sed adventante cum auxiliis rege discedere cogitur. Ipse ad Corinthum occumbit V. C. 489.

Numus hic praeclare confirmat, quae veteres de prolapsis Laconum institutis, et regum domesticorum ambitione, qui exteris pares videri volebant, tradita reliquere. De hac morum corruptela non pauca memorat Plutarchus [n], nimirum cum morti antea fuisset adjudicatus, qui pecunias Spartae collegerat, tamen quando Lysander captis Athenis magnam auri argentique vim intulerat, probatum istud domi fuisse, de quo etiam argumento praecepi nonnulla paullo altius. Et quod maxime huc pertinet, ipsum hunc Area scribit Athenaeus primum fuisse, qui regios animos ac mores sumeret [o]. Idem docet numus, quem proposui. Nam cum ii, qui tum fuere reges, Seleucus, Lysimachus, Demetrius ejus rationis monetam feriundam curarent, cujus nuper Alexander M., nimirum caput Herculis, et Jovem aetophorum in ea signando, et numos his simillimos imperaret Areus noster, satis apparet, eum coaevorum regum instituta proxime imitanda sibi proposuisse. Ad numi epigraphen adverto, eam, ut a Froelichio proditur, suspectam videri. Nam cum utraque ejus vox ejusdem sit naturae, singulis in ευς exeuntibus, necesse etiam est, utramque in gignendi casu eodem modo exire, sive in ΕΩΣ, quod est Atticum, sive in ΕΟΣ, quod est commune, et constanter adhibitum in numis regum Siciliae.

* * *

Caput regis imberbe diadematum. Σ ΛΑ. *Pallas stans d. elata hastam intentat, s. - - - pro pedibus caper, in area corona.* AR. I. (Bell. lettr. Hist. T. XL. p. 93.)

Hoc quoque tetradrachmum ad eandem urbem pertinere certum est non tam propter epigraphen ΛΑ., quam quod juxta Lacedaemonem inventus est a Fourmontio, et in museum regis Galliarum illatus. Cujus regis illud sit caput, quoniam inscriptio abest, decidi nequit. Non improbabile putat cl. Dutens, cujus ibi commentarii adjiciuntur, esse posse alicujus regis Macedoniae, qui Spartam sibi subjecit. Quod constet, unicus fuit ex Macedoniae regibus Antigonus Doson ea fortuna, ut Spartam antehac inexpugnabilem subjugaret, sed

---

l) ad Reg. vet. access. p. 1. m) Macchab. L. I. c. 12. v. 20. Joseph Antiq. L. XII. p. 606. et L. 13. p. 648. n) de Lacon. instit. sub. fin. o) L. IV. p. m. 141.

Digitized by Google

constat etiam, libertatem victis mox reddidisse. Narrat etiam Plutarchus p), Spartanos nulli Macedoniae regi socios sese praebuisse, aut in commune consilium, quod a reliquis saepe Peloponnesiis factum, adjunxisse, aut tributum contulisse. Vt adeo dubitari non possit, domesticum eo regem, quisquis is est, proponi. Caper, vel hircus Minervae comes res insolens, nullo forte alio exemplo. Pausanias nihil lucis suppeditat, qui complura ejus simulacra recitat, quae Lacedaemone stetere. Forte adludit animal istud ad monstrum Aegida a Pallade devictum, cujus deinde pelle pro scuto utebatur. Vide Diodorum q).

Imperatorii.

Complures cogniti a M. Antonio usque ad Saloninam. (Vaill. Arigoni, Theup.)

Epigraphe: ΛΑ. ΛΑΚΕ. ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ, quod postremum plerumque obtinet in numis posteriorum Caesarum.

Singularis est numus:

ATPATINOC. *Caput M. Antonii nudum.* Ϟ ΛΑ. ΦΙ. *Aquila stans.* (Arigoni.)

Atratinus nomen Romanum est, et quidem gentis Semproniae, fuitque L. Sempronius Atratinus praefectus classis M. Antonii, et plura numismata aenea cum hujus capite extra urbem signari curavit, de quibus agetur fusius in numis IIIviri. Videtur ergo hic a M. Antonio, cui secundum postremam divisionem Graecia accessit, Laconiae fuisse praefectus, aut forte universae orae maritimae per eum tractum.

Typi: *Aquila*, *Dioscuri*, *clava etc.* Insolentior est, quo fingitur *Mercurius puellum Bacchum ulnis suis asportans*, in numo Saloninae, (Arigoni.) quod factum etiam exstabat insculptum sellae dei Amyclaei, quae stetit Spartae, quamque late describit Pausanias r). Aliud etiam simile signum publice Spartae stetisse, idem docet s). Idem obsequium, et simillimo modo effictum Mercurius impendit Arcadi Jovis et Callistus filio in numo Phenei Arcadiae.

Magistratus: ΕΠΙ. ΕΤΡΤΚΛΕΟΣ, in numo Augusti, (Mus. Caes.) ΕΠΙ. ΛΑΚΩΝΟΣ, in numo Claudii. (Mus. Caes.) De utroque magistratu egi in autonomis.

Nescio, qua fide adserat Vaillantius, Laconum numos cum magistratu CTP. id est *praetoris*, cusos esse t). Ipse sane nullum cum hoc magistratu profert, praeterquam numum concordiae cum Smyrna sub Commodo. At numus hic certe signatus est Smyrnae, et expressus in hoc Στρατηγος ad Smyrnam, non Lacedaemonem pertinet.

Concordia cum Sagalasso et Selge Pisidiae urbibus, de qua vide, quae in his notabuntur. Cum Smyrna in numo Commodi, qui ex magistratu Aelio Heraclide praetore signatus Smyrnae agnoscitur, ut et similis Atheniensium nummus. Vide prae-

p) Lacon. instit. sub. fin. q) L. III. c. 69. r) L. III. c. 18. s) L. III. c. 11. t) Num. Graec. p. 199.

Digitized by Google

ter Vaillantium etiam Museum Pisani sub Commodo.
AE. RR.

ASINE.

Tres fuere urbes hoc nomine praeditae, una Messeniae, altera Laconiae, tertia Argolidos.

Caput Herculis. Ꝛ ΑΣΙΝ. *Clava, et arcus.* AE. III.

Ad hanc Laconiae Asinen numum hunc fert Pellerinius, quod, ut ait, fabrica cum aliis Laconicis conspirat, tum propter typum Herculis, cujus cultus cunprimis in Laconia valuit.
AE. RRRR.

De *imperatoriis* difficilius statuere, quorum complures in honorem familiae Severi signati fuere, inscripti ΑCΙΝΑΙΩΝ, quam difficultatem fusius commemorat Pellerinius [u]).
AE. RRR.

ASOPVS.

Imperatorii habentur tantum, iique in familia Severi.

Epigraphe: ΑCΩΠЄΙΤΩΝ. Typi obvii.

Primus hujus urbis numum prodidit Haymius [x]), verum Asopo Sicyoniae tribuit, quae tamen urbs non fuit, sed fluvius, et modica regio ab hoc flumine nomen adepta teste Strabone; quare merito ibi castigatur a Khellio. Non pauca de hac urbe commemorat Pausanias [y]). Praeter Haymiam ejus urbis numi proditi sunt ex museo Caesareo, a Pellerinio, et Arigonio.
AE. RR.

BOEA.

Prope Maleam. *Imperatorii* in familia Severi apud Vaillantium, et Pellerinium. Memorabilis est numus Getae propter epigraphen: ΙΟΥΛΙΟC. CЄΠΤΙΜΙCC. ΓЄΤΑC [z]). Causam vide in nemis Getae.
AE. RRR.

DYRRHACHIVM.

Autonomum dedit Pellerinius: *Caput Apollinis.* Ꝛ ΔΥΡ. ΛΑΚΟ. *Ceres gradiens utraque manu facem gestat.* AE. fere II. Iudicio capto ex Stephano, qui omnium unicus Dyrrhachium aliud ab Illyriciano in Laconia constituit, auctor vocem separat, sic ut legendum putet: ΔΥΡ*ραχη-νων* ΛΑΚΟ*νων*. Verum in numo alio, cujus mihi ectypon misit nob. Jacobus Gradenigo, legitur ΦΑΚΟ. In aliis similibus luculenta epigraphe ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ, quibus hos numos deberi, non dubito. Vide Toremuzza tab. LXXXII. n. 4. Vidi numum similem musei Vitzaiani, cujus epigaphe spectatis literis distortis revera ad Pellerinianum ΔΥΡ. ΛΑΚΟ. accedit, sed probe explorata certum denique ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ constituit.

---

u) Rec. III. p. 192. x) T. II. p. 384. y) in Lacon. z) Rec. III. p. 194.

Digitized by Google

GYTHIVM.

Fuit celebre Spartae navale.

Autonomus.

Exstat tantum in Goltzii Graecia.

Imperatorii.

In familia Severi. *Epigraphe:* ΓΤΘΕΑΤΩΝ. Typi: *Hercules et Apollo*, qui fuere urbis conditores habiti, ut dixi in meis Numis veteribus [a]).
AE. RR.

LAS.

Imperatorii tantum. Horum tres unus Pellerinus protulit, Caracallae, Getae, et quod mirere, Maximini Pii, paucis Peloponnesi urbibus ultra Severi imperium numos ferientibus [b]).

Epigraphe: ΛΑΩΝ.

Typus: *Caput muliebre velatum turritum, prae quo sceptrum, infra tres monticuli*, in numo Maximini. Teste Pausania urbs sita erat intra tres montes, qui adeo in numo hoc indicantur.
AE. RRR.

LONGOSTALETES.

Vide infra in *Taletum*.

MALEA.

Notum Laconiae promontorium. De nummis argenteis hactenus huc perperam vocatis egimus supra in Sicyone Achaiae.

PRASIAE.

Huic Laconiae urbi Haymius *autonomum* tribuit inscriptum $\frac{\Pi P}{A\Sigma}$ [c]), at eum pertinere Ascalonem, et ΠP esse notas epochae, docuit Pellerinius [d]). Alium aeneum ex museo Granelliano huc adegit Froelichius: ΠΡΑΣΙΩΝ. ΠΟ. [e]) sed legendum ΠΡΑΙCΙΩΝ. ΠΟ., alius similis musei Caesarei rite comprobat. Est hic numus Praesi Cretae, et hactenus non constat, has Laconiae Prasias honores monetarios nactas esse.

PSAMATHVS.

Autonomum vulgavit Arigonius: ΨΑ. *Caper stans*, in quo primum elementum sic formatum est, ut aeque Φ et ψ haberi possit. Ibi, ut titulus praefert, huic Laconiae urbi tribuitur, sed qui haud dubie restituendus Pharo Adriatici insulae. Alius cum capite Tiberii citatus in Thesauro Goltzii tuto negligendus.

TALETVM.

Impositum vertici montis Taygeti auctore Pausania, cui scribitur Ταλετον [f])
Exstant autonomi.

Caput virile jam diadematum, jam nudum, cui in nonnullis additur epigraphe ambigua. Σ ΛΟΓΓΟCΤΑΛΗΤΩΝ. *Tripus.* AE. II. (Pellerin, Mus. Caes.)

Hos Pellerinius huc derivat argumentis ejus generis, quae utut parum valida, impugnare tamen animus non est,

---

a) pag. 135. b) Rec. III. p. 190. c) Tom. II. p. m. 170. d) Rec. II. p. 237.
e) Not. elem. p. 107. f) L. III. c. 20.

Digitized by Google

cum, cui alteri urbi tribui possent, non satis videam. Similem jam edidit Harduinus, sed neque is, cui nihil invium erat, aut esse videbatur, superare has difficultates potuit. Non dissimulanda nonnulla indicia, quae suppeditat Barthelemyus apud Pellerinium g), plures hujus generis numos ante annos non multos repertos esse in finibus Tolosatium, horum aliquibus inscripta esse nomina parum Graeca: βωκιος vel βοκεος. ΛΟΤΚΟΤΙ, vel ΛΟΤΚΟΤΙΩΝ, unde leviter suspicatur, eos ad hunc veteris Galliae tractum pertinere. Istud certum, numos binos ejus generis, qui sunt in museo Caesareo, fabricam barbaram praeferre.

AE. RR.

Non reticendus numus singularis, quem edidit cl. Sestinius: (Lettere T. IV. p. 99.)

M. ANTONIOC. ATTOK. OIΩNICT. TPIΩN. ANΔP. *Caput M. Antonii nudum.* ℞ ΛΟΓΓΟCTAΛΗΤΩN. *Tripus.* AE. I.

Numum esse genuinum non dubito, sed neque dubito etiam, partem ejus anticam esse opus falsarii. Titulus Τριῶν Ανδρῶν nonnisi in paucissimis Antonii numis Graecis legitur, οἰωνιστῶν, *auguris*, nonnisi in Goltzianis, ut dicetur in hujus IIIviri moneta, ut taceam dubia alia, quae insolens hic numus offert.

CYTHERA.

Insula Laconiae vicina, cujus autonomus argenteus ΚΥΘΗΡΑΙΩΝ apud unum Goltzium. Ei tamen minutos aeneos KT., typo *columbae volantis* permittendos conjicit Sestinus, sed argumentis minus validis. (Lettere T. II. p. 12.)

ARGOLIS.

ARGOS.

Autonomi.

Lupus dimidius. ℞ A. *magnum additis magistratuum nominibus plerumque in compendium redactis, et sigillis admodum variis, ut: pileis Dioscurorum, noctua, triquetrae quadam specie. aquila Persei harpae insistente etc.* AR. III.

Lupi, quem obviae hae drachmae offerunt, hanc causam suppeditat Pausanias h). Corinthiorum agro a lupis infestato ostendisse Apollinem lignum, cujus cortice carnibus mista cum vescerentur lupi, hanc illis coenam fuisse lethalem, cujus gratia beneficii huic deo *Lycaei* cognomento sacellum fuisse positum. Eodem libro i) haec scribit: nobilissimum templorum omnium, quae sunt Argis, esse templum Apollinis *Lycii* hac occasione erectum: cum ex Aegypto Argos venisset Danaus, et cum Ge-

g) Suppl. IV. p. 91. h) L. II. c. 9. i) cap. 19.

Digitized by Google

lanore de regno disceptaret, pendente lite lupum ad ipsa urbis moenia cum tauro congressum victorem discessisse, cumque fervente inter utrumque animal pugna Argivi Danaum lupo, Gelanorem tauro comparassent, capto hinc augurio regnum Danao obtulisse. Similia refert Plutarchus [k]). Ex utraque Pausaniae historia antiquarii seu unam, seu alteram ad explicandum lupi argumentum amplexi sunt, pro prima, nempe Apollinis Λυκοκτονι, stetit scholiastes ad Sophoclis Electram v. 6. ὁθεν και τῳ νομισματι των Αργειων ἐγχαραττεσθαι φασι λυκους, ὡς και τας γλαυκας Αθηναι. *Vnde ajunt monetae Argivorum insculptos lupos, ut Atheniensi noctuas.* Pollucis testimonium cum numis hactenus notis non cohaeret, qui Argivos signasse murem perhibet [l]). De causa harpae Persei, cui Argos patria fuit, plura disserui in meis Numis vet. p. 78. Pilei Dioscurorum illati, quia hi etiam Argivi agniti sunt, ut dictum in numis Philippi V. Macedonis.

* * *

Caput muliebre cum corona fastigiata, et intus ornata. Ʃ ΑΡΓΕΙΩΝ. *Vir nudus defluo post tergum pallio d. gladium, s. Palladium.* ÆR. III. (Mus. M. Ducis.)

Insignem hunc numum jam olim eruditorum oculis subjeci [m]). Sistit aversa Diomedem Palladium ostentantem, quod clam Trojanis ex arce extulit. Praeclari ejus facti memoriam copiosae veterum gemmae servavere a peritissimis Graecae elegantiae artificibus incisae, numi vix unquam. Habitus ab Argivis hic honos Diomedi, quia Argivus ipse fuit. Capite anticae exhiberi Junonem Ανθειαν *Floridam*, quo nomine ejus deae templum Argis stetit, eodem loco verisimile dixi.

* * *

Pellerinius numum edidit: *Caput juvenile corona fastigiata, cui inscriptum:* ΑΡΓΕΙ. Ʃ *Pallas gradiens, et jaculum vibrans.* AE. III. Hunc auctor aliquando Argis Argolidis tribuerat, et recte quidem, ut opinor [n]). Alium, in quo *similis antica*, in Ʃ ΠΑΜΦΑΗΣ. *Pharetra, tridens, prora navis*, AE. III., quem perperam primum Panticapaeo Bospori Cimmerii [o]), serius Argis Amphilochicis una cum priore largitus est [p]). Posteriorem, qui nunc est in museo Caesareo, Khellius infirma sane conjectura Pamphium Aetoliae revocavit [q]). Veriu credam, ad hoc Argos utrumque pertinere, nam caput simile cum corona eminente exstat in numo praecedente, qui certus est hujus urbis. Quod in iis tridens, et prora conspiciantur, non probat, indicari urbem maritimam, qualis erat Argos Amphilochium, nam poterant hoc typo notari vires Argivorum maritimae, ac praeterea, etsi maritimum non erat Argos Argolidis, non tamen a mari longe distabat.

AR. C. AE. RR.

---

k) in Pyrrho sub fin. l) L. IX. c. VI. §. 84. m) Num. vet p. 135. n) Rec. I. p. 130. o) Rec. I. p. 206. p) Suppl. I. p. 48. q) Adpendic. II. p. 105.

Digitized by Google

Imperatorii.

Sunt ab Hadriano usque ad Alexandrum. His tamen priorem cum capitibus Neronis et Agrippinae, et typo gryphi in aversa editum reperio in Memoriis Trevoltiensibus [r]). Vide hujus classis numos diligenter collectos a cl. Sestino [s]).

Epigraphe constans APΓΕΙΩΝ.

Typi illustriores:

Caput muliebre alatum, ante quod uncus, quibus verbis Vaillantius describit numum Antonini. At dubium non est, esse hoc caput Persei Argivi cum harpa, qui typus obvius est in numis postremorum Macedoniae regum.

Vir militaris in erectum serpentem hastam intorquens viro alio humi prostrato jacente, in numo Severi. (Arigoni.)

Hoc typo aut exhibetur Cadmus peremptos a dracone ad fontem socios ulciscens, aut quoniam difficilius est, argumentum Thebanum Argos revocare, Archemorus puellus, quem a serpente peremptum septem duces egregie ulti sunt caeso dracone, et institutis ludis Nemeis, de quibus mox.

* * *

Ludi.

Mensa quatuor columnis fulta, supra quam hinc pavo, juxta quem HPAIA, *inde aquila, juxta* NEMEIA, in numo Antonini. (Pellerin Rec. III. p. 154.)

Etsi urbis nomen non addatur, tamen certum est, hunc numum Argis cusum. Narrat Pausanias [t]), Argis prope arcem esse stadium, in quo Jovi Nemeo, et Junoni ludi peraguntur. Satis constat, Junonem Argis summa religione cultam, unde et in numo Hadriani apud Vaillantium: APΓΕΙΩΝ. HPA, typo pavonis; constat etiam de ludis *Heraeis* Argis in Junonis, Ηραϛ, honorem celebrari solitis, quorum praemium fuit clypeus; quare frequenter apud auctores, tum et in marmoribus pro Heraeis legas: THN. ΑΣΠΙΔΑ. HPAΣ, vel: THN. ΕΞ. APΓΟΥΣ. ΑΣΠΙΔΑ. Vide de hoc plura in Meursii Graecia feriata sub HPAIA. Nemea certamina obita plures Argorum alii testantur numi. Insignis est in Thespoli: ΑΔΡΙΑΝΟC. ΚΤΙCΤΗC. *Caput Hadriani.* Ꝛ APΓΕΙΩΝ *in ambitu coronae, intra quam* NEMEIA. Vtramque numi faciem eleganter explicat Pausanias [u]), Hadrianum certum currendi morem Argivis restituisse, quo in Nemeis ludis uterentur. Nemei quidem ludi apud Nemeam Cleonas inter et Phliuntem sitam edebantur, praesidibus Corintho, Argis, et Cleone accitis, at etiam ad ipsum Argos Nemeo Jovi fuisse ludos constitutos supra ex Pausania vidimus, et cum apud auctores varient causae instituti certaminis Nemei, aliis in honorem Archemori, Jovis aliis perhibentibus, citatus supra numus Pellerinianus cum typo aquilae docet, saltem Hadriani aetate intentos fuisse honores Jovis, nisi forte NEMEIA in Argivorum numis expressa indicent ludos Argis ce-

---

r) April. 1701. p. 123. s) Lettere T. III. p. 111. t) L. II. c. 24. u) L. VI. c. 16.

Digitized by Google

lebratos, diversos ab iis, qui ad Nemeam edi solebant, de quibus supra.

Huc refer etiam: ΑΡΓΕΙΩΝ. *Corona apii, in qua* A, in numo Elagabali. Vaillantius A istud explet legendo Ακτια. Praeeunte ergo hoc numo etiam numi Aelii, Antonini, et Faustinae junioris vulgati ab Arigonio, in quibus suppresso urbis nomine exhibetur corona, intus A. AKTI. AKTIA, huc pertinere possunt. Sed litem intentat Nicopolis Epiri, in cujus aliquot numis insuper additur ΙΕΡΑ. ΝΙΚΟΠΟΛΙC, ut hic ΑΡΓΕΙΩΝ, ut in hujus urbis numis dictum.

* * *

Cum Argorum Argolidis numis hactenus permixti fuere ii, qui ad Argos Ciliciae haud dubie pertinent, et quorum complures Valeriani, et Gallieni aetate signati sunt. Neque certum est, non etiam complures cum capite praecedentium imperatorum Argis Ciliciae restituendos; nam utraque urbs una eademque usa est inscriptione ΑΡΓΕΙΩΝ. Neque ad discrimen aliquid conferunt typi, nam ex iis ipsis, quos in numis Argorum Ciliciae reperias, plerique in Argorum quoque Peloponnesi moneta habentur, cujus concordiae ratio est, quod verisimile est, hanc Ciliciae urbem fuisse alterius coloniam, quo factum, ut originis suae decus in moneta adfectaret. Novi, cl. Sestinum nullum Argorum Ciliciae numum agnoscere, omnesque Argolici velle restitui, qua de lite vide Argos Ciliciae.

AE. R.

CLEONE.

Autonomus.

Caput Herculis imberbe leonis pelle tectum Ϫ ΚΛΕΩ. *intra coronam.* AE. III. (Pellerin.)

Jure in Cleones moneta habitat Hercules, cujus prima aerumna fuit domitus leo, qui in saltu urbi vicino cubile habuit, ac propterea poetis quoque dictus *Cleonaeus.*

AE. RRRR.

Imperatorii.

In familia Severi, Commodi etiam unum adfert Vaillantius. Epigraphe: ΚΛΕΩΝΑΙΩΝ.

AE. RRR.

EPIDAVRVS.

Ab Aesculapii cultu inclyta, quem numi quoque comprobant.

Autonomi.

In iis, qui antiquitate praestant, epigraphe est ΕΠ. in monogrammate, raro literis solutis. Illustriores sunt:

Caput Aesculapii. Ϫ ΕΠ. *Hygia stans cum serpente.* AE. III. (Pellerin.)

Caput idem Ϫ ΕΠ. *Lupus jacens.* AE. III. (Pellerin.)

Caper stans. Ϫ ΕΠ. *Gallus vescens.* AE. III. (Pellerin Supplem. II. p. 97.)

De Hygia Aesculapii comite constat, ut et de gallo alite eidem sacro. Caper ad dei historiam pertinet, nam tradit

Digitized by Google

Pausanias x), Coronidem natum recens Aesculapium filium, quem ex Apolline conceperat, in monte Epidauro vicino exposuisse, infantem interea a capra lacte nutritum, et a cane custoditum. Forte animal numi II., quod Pellerinio lupus dicitur, reipsa est major quidam canis ad praestitum deo custodiam adludens, ut revera propter pedes simulacri ejus dei, quod apud Epidaurum stetit, excubabat canis y). Sin lupus est, solitum is est Argivorum symbolum, de quo vide dicta in Argis.

* * *

ЄΠΙΔΑΤΡΟΥ. ΙЄΡΑС. *Caput Aesculapii.* Ꜩ ΑСΚΛΗΠЄΙΑ. *intra lauream.* AE. III. (Mus. Savorgnan).

De Asclepeis magno sumptu apud Epidaurum editis vide Meursium z), et in meis Numis vet. p. 137, quo loco insignem hunc numum edidi.

* * *

Notanda variorum in definiendis urbis hujus autonomis admissa sphalmata. Edidit Haymius numum a): *Caput barbatum.* Ꜩ ΙЄΡΑΣ. *intra coronam.* Auctor hac inscriptione notari Hieran Germen Mysiae existimavit; at Khellius in nota ibi subjecta Hieram Aegatum insularum unam respexit. In alio simillimo juxta caput anticae Pellerinius legit ΝΙΚΟ-ΠΟΛЄΩΣ b), inductus haud dubie inscriptione aversae ΙЄΡΑΣ. Cum uterque auctor numi sui partem anticam minus integram profiteatur, praeterea capitis lineamenta certum Aesculapium prodant, dubium non est, docente numo Savorgnani mox citato legendum esse juxta caput anticae ЄΠΙΔΑΤΡΟΥ. In simillimo alio musei Hunteriani Combius legit: ΠΡ. ΤΡΤΟΥ. ΙЄΡΑΣ, eumque adeo Tyrum amandavit. At ego ausim adfirmare, numum esse mutilum, legendumque, ut in Savorgnaniano: ЄΠΙΔΑΤΡΟΥ. ΙЄΡΑΣ, quod propterea fidentius adsero, quia numus hic, si fallacem epigraphen demas, totus abludit ab ingenio monetae Tyriae. *AE. RR.*

Imperatorii.

Hactenus comperti sunt Antonini, et descripti a Pellerinio c), et Neumanno d). *Epigraphe* in his: ΙЄΡΑС. ЄΠΙΔΑΤΡΟΥ. Alius max. mod. Alexandri Sev. ЄΠΙ-ΔΑΤΡΙΩΝ. *Serpens in spiras erectus juxta aram.* e).

Epitheton ΙЄΡΑС rarum est in urbibus Europae, datumque fuit propter religionem Aesculapii.
AE. RRR.

HERMIONE.

Imperatorii tantum, iique in familia Severi.

Epigraphe ЄΡΜΙΩΝЄΩΝ. typis obviis. (Vaill. Mus. Caes.)
AE. RRR.

METHANA.

In codicibus varie scripta reperitur,

x) L. II. c. 26. y) Pausan. l. c. c. 27. p. 82. z) Graec. fer. a) T. II. p. m. 138. b) Rec. I. c) Suppl. II. p. 96. d) P. II. tab. V. e) Catal. d'Ennery.

Digitized by Google

at veram scripturam esse Μεθανα, alibi docui [f]).

Imperatorii etiam hi tantum in familia Severi, quorum binos, Domnae unum, Caracallae alterum protulit Pellerinius. Epigraphe ΜΕΘΑΝΑΙΩΝ.
AE. RRRR.

MYCENAE.

Vrbs antiqui nominis, Persei opus, sed numorum sterilis. Achaeorum quidem argenteum edidit Haymius [g]), in cujus area sigla, quam in MTϘηναι exsolvit Bayerus [h]), eumque secutus Froelichius [i]). At supra, cum de similibus signis in Achaeorum moneta contentis agerem, adfatim ostendi, iis urbium nomina contineri vix posse. Ad haec Mycenae circa anum V. C. 286 in rudera consedere eversae ab Argivis, ut docet Diodorus [k]), sic ut Strabonis aevo harum ne vestigium quidem superesset. Ignoti igitur in hunc diem hujus urbis numi.

THYREA.

Vrbs cum regione Thyreatide, ob quam cruentae saepe Spartanis cum Argivis dimicationes.

Caput Palladis Ϫ ΘΤΡΙΑ. *Noctua.* AE. III. (Pellerin.)

Caput lupi. Ϫ Η *Pharetra, galea, caput lupi, et monogramma.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum priorem Pellerinius olim Thuriae Messeniae tribuit [l]), at mutata serius mente rectius huic Thyreae Argolidis [m]). Alterum huc vocavit Khellius suadente elemento Η posito nonnunquam pro Θ, ut diximus ad Athenarum numos, atque eadem occasione alios quoque numos simili elemento inscriptos ab Haymio et Pellerinio vulgatos, et Thebis vel Thespiis tributos huic Thyreae vindicare contendit [n]), obnitente acriter Pellerinio [o]). Vix operae pretium, in causam tam levem pertinacibus conjecturis inquirere.
AE. RRR.

TROEZEN.

Autonomi.

Caput Neptuni. Ϫ ΤΡΟ. *Tridens.* AE. III. (Pellerin, Hunter.)

Caput imberbe comis revinctis. Ϫ ΤΡΟ. *Tridens.* AR. III. (Wise Mus. Bodl. p. 6.)

Nimirum teste Strabone, et Plutarcho [p]) haec urbs Neptuno sacra fuit, cujus causam mox dabimus. Numum alterum Wisius Troadem primum ablegavit, agnito subinde errore Troezenem respexit [q]). Troezenios se scripsisse etiam Trozenios, docet marmor apud Chishull [r]).

Commemorandi adhuc bini alii:

ΣΔΕΤΣ. ΕΛΕΤΘΕΡΙΟΣ. *Caput Jovis laur. imberbe.* Ϫ ΤΡΟΙΖΗΝ. *Fulmen.* AE. (Goltz.)

---

f) Num. vet. p. 133. g) T. II. p. m. 114. h) Comment. acad. Petrop. T. V. i) Annal. Syr. p. 158, et Not. elem. p. 101. k) L. XI. c. 65. l) Rec. I. p. 120. m) Suppl. I. p. 47. n) Adpendic. I. p. 41, et Adpendic. II. p. 158. o) Suppl. I. p. 60. p) In Theseo. q) Pag. 132. r) Ant. Asiat. p. 164.

Digitized by Google

ΠΟΛΙΑΣ. *Caput Palladis.* ℞ ΤΡΟΙΖΗΝΙΩΝ. *Tridens.* AE. (Goltz.)

Horum priorem non moror, quem ex numis Syracusanis ejusdem argumenti confictum ut credam, facile inducor. Alter si fictus, totus ex Pausania confictus est perhibente [s]), Minervam et Neptunum de loci praesidio disceptasse, at Jovem sic composuisse litem, ut communis utrique is honos esset; quare, addit, Troezenios venerari Minervam *Poliadem*, et Neptunum cognomine regem, quin et vetustum ejus gentis numum tridentis et Minervae imagine insignem fuisse. Tridentem eorum numis impressum prodit etiam Plutarchus [t]). *AR. et AE. RRRR.*

Imperatarii.

Cum capite Commodi, et in familia Severi.

Epigraphe: ΤΡΟΙΖΗΝΩΝ, ΤΡΟΙΖΗΝΙΩΝ. (Vaill. Arigoni, Theupoli). *AE. RR.*

IRENE.

Insula juxta Troezenem, exulis Demosthenis violenta morte cognita, dicta etiam *Calauria*, etsi diversam utramque insulam faciat Plinius.

Autonomos binos huc refert Pellerinius:

Caput Palladis ℞ IP. *Tridens.* AE. III.

Caput muliebre spicis coronatum. ℞ IP. *Fax ardens intra coronam.* AE. III.

Similem priori, nisi quod pro IP. legitur PL, olim ex museo Caesareo vulgavi, eumque propterea Rhithymnae Cretae, tribui [u]). Similis alteri, nisi quod pro IP. legitur EP., editus est in museo Hunteriano, ac propterea a Combio tributus Ereso Lesbi. Difficile est, numis tam parcae inscriptionis veram adsignare patriam.

ARCADIA.

Communi gentis nomine signati copiosi

Autonomi.

Caput imberbe nudum, cornu uno, aut binis e fronte turgentibus. ℞ Δ, *infra fistula pastoritia, per aream literae variae.* AR. IV. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput Jovis laur. ℞ *Idem monogramma. Fistula pastoritia, omnia intra quernam.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Jovis laur. ℞ *Idem monogramma. (etiam sine hoc) Pan imberbis nudus sedens extante ex fronte cornu d. elata, s. pedum, in area plerumque aquila, tum variae literae, et monogrammata.* AR. III. (Numi obvii). Insignior alter non multum absimilis, sed scripto praeterea infra ΟΛΤΜ. AR. I. (Hunter.)

Caput Panos. ℞ ΑΡΚΑΔΟΝ. *Pallas stans.* AR. max. mod. (Panel Mem. Trev. Octob. 1737.)

---

s) L. II. c. 30. t) In Theseo cap. 6. u) Num. vet. p. 155.

Digitized by Google

Pan deus Arcadiae res in vulgus notissima. Eum Arcadum numi nequaquam forma horridum, sed speciosi adolescentis ritu proponunt, qualem diximus extare etiam in insigni numo Messanae Siciliae, ubi praeterea adscriptum ΠΑΝ legitur. Fistula et pedum certa sunt Panos attributa, quanquam quod fistulam dixi, Pellerinius censet esse cistam mysticam ad Panos sacrum ritum pertinentem. Causam adfert, quod calami aequales corbem potius vimineum notant, fistula calamis disparibus constante. At sunt etiam in monumentis veterum propositae fistulae compactae cicutis aequalibus, ut apud Caylus Rec. T. I. tab. 51, et T. II. tab. 47. Adde, quae nuper cl. Frid. Münterus ad numum Syracusanum de fistula Panos cum cicutis aequalibus erudite disputavit [x]). Caput anticae videtur esse Jovis nomine Lycaei in Arcadia culti, de quo ferebat fabula, quisquis in ejus templo humana viscera cum aliarum victimarum visceribus mixta gustasset, lupum fieri [y]). Vocabulum ΟΛΤΜ. numi Hunteriani inscriptum monticulo, cui Pan insidet, videtur designare nomen ipsius montis, nempe Olympi. Nullus quidem mons hujus nominis a geographis in Arcadia memoratur. Sed narrat Pausanias [z]), monti Arcadiae Lycaeo Olympi etiam nomen fuisse, atque idem paullo infra perhibet, in monte Lycaeo fuisse Panos templum. Epigraphe in his numis monogrammate, quod literas APK. complectitur, plerumque finitur.

* * *

Caput muliebre ligatis filo crinibus intra quadratum, in area A. Ʒ *Juppiter sedens dexteram extendit, ex qua evolat aquila, s. hastam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Alius, sed in area AK. (Pellerin.)

Alii, sed in area APKA., *vel disjectis literis* ARK. (Hunter tab. 7. n. 1. II. III.)

APKAΔIKON. *Caput simile.* Ʒ *Eadem aversa.* AR. III. (Mus. reg. Daniae, Catal. d'Ennery p. 67.)

Numi hi perantiquae fabricae varias sunt vices passae. Similem jam a Paruta editum video, cui cum legendum videretur AKP., eum Agrigentinis dicavit [a]). Pellerinius literas numi sui A. K. explevit legendo: Αβδηρας Κοραξ, secutus nempe Goltzium, in cujus numo simili plene scriptum ΑΒΔΗΡΑΣ. ΚΟΡΑΣ praetenditur [b]), quo factum, ut in id genus numis aliis solitarium A esse princeps τῆ Αβδηρας elementum crederetur. At palam testatur cl. Combius, in integerrimo musei Hunteriani numo distincte legi APKA., et cum praeterea in postremo numo legatur plene APKAΔIKON, certum jam est, omnes hos numos Arcadiae restituendos. Qua in causa cum libenter Combii praeconium amplector, tum illud minus adridet, quod eos non Arcadiae Peloponnesi regioni, sed Ar-

x) Heeren Bibl. der alten Litterat. IX. Stück, S. 47. y) Plato de rep. L. VIII. p. 565.
z) In Arcad c. 38. a) Sic. num. tab. 79. b) In Graec. tab. 25.

Digitized by Google

cadiae Cretae urbi, tribuit, cujus certum nullum hactenus numum habemus. Epigraphe Pellerinii A. K. haud dubie manca est evanido medio P. Adverte rursum Goltzii malam mentem, inscriptum numo quo ΑΒΔΗΡΑΣ. ΚΟΡΑΣ profitentis, quando in numis id genus certis aliud non legimus, quam A, vel APKA. vel ΑΡΚΑΔΙΚΟΝ. Postrema haec scriptura possessivum indicat pro gentili, cujus jam exempla dedimus, et dabimus adhuc.
AR. C. AE. R.

Imperatorii.

Totius gentis non exstant, nisi huc revocare velis numos Antinoi, quos vide in hujus herois moneta.

ALEA.

Autonomi.

Aeneum ΑΛΕΩΝ typo *Jovis aetophori sedentis* huc vocandum putat Pellerinius, dubitat tamen, an non aliud forte elementum numo suo exclusum praecedat.

Certiorem ΑΛΕΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ, qui ad foedus Achaicum pertinet, protuli supra in numis dicti foederis.
AE. RRRR.

Imperatorius.

Vnicus, isque Marcianae, est apud Arigonium, si modo epigraphe rite lecta--- KIANA. CЄBAC. *Caput Marcianae.* ℞ ΑΛΕΩΝ. *Mulier humi decumbens d. arundinem, s. urnae innixa.*
AE. RRRR.

ANTIGONIA.

Vide infra in Mantinea.

ASEA.

Apud quam urbem rursum emergit Alpeus.

Numum ΑΣΕΑΤΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ dedi supra in numis foederis Achaici.

CAPHYA.

Imperatorii tantum, iique in familia Severi.

Singularis est capitis inscriptio in numo Caracallae apud Vaillantium: ANTONINON. BACI. Observat ad hunc Harduinus, το BACI. legi non posse BACIλεα, hoc enim esse contra morem Romanorum. Quare legendum: ANTΩNINON. Βιοδωρος Αγαπᾳ ΣΙτω, *Antoninum alma diligit Ceres* c). Nugae quando in numis Commodi, Nicaeae, Caesareae Cappadociae, et Cii scribi potuit KOMOΔOT. BACIΛЄTONTOC etc. Vide lites de hujus lectione vocabuli agitatas in Memoriis Trevolt. anni 1701.

Epigraphe: ΚΑΦΤΙΑΤΩΝ typis obviis.
AE. RRR.

EVA.

Numos aureos et argenteos inscriptos

c) Num. urb. III.

Digitized by Google

ETA esse potius Cyrenaicae, dicetur in hujus numis.

HERAEA.

Ad Alpheum sita.

Imperatorium unicum vulgavit Pellerinius cum capite Caracallae, et HPAЄΩN. *Fluvius decumbens, cui adstat bos.* (Lettres p. 168.)
AE. RRRR.

MANTINEA, quae et ANTIGONIA.

Autonomus.

Caput Palladis. Ξ MANTINEΩN. *Vir pileatus succincto habitu gradiens, s. hastam, vel scipionem.* AE. III. (Pellerin.)
AE. RRRR.

Eadem urbs in Antigoni Dosonis gratiam, quod is Achaeorum studiosus esset, sese *Antigoniam* Arato sic volente nominavit, ut narrat Pausanias [d]), et Plutarchus [e]), atque hoc nomine supra in moneta foederis Achaici numum ANTIΓONEΩN. AXAIΩN vidimus. Serius Hadrianus adscititium illud Macedoniae nomen sustulit revocato vetere Mantineae teste eodem Pausania [f]), et comprobant istud sequentes

Imperatorii:

In familia Severi. *Epigraphe:* MANTINЄΩN. (Vaill. Theup. Mus. Caes.)

De honoribus Antinoo hoc in oppido habitis, ejusque causis, et signata hic moneta vide, quae in Antinoi numis observabimus.
AE. RRR.

MEGALOPOLIS.

Patria Polybii, paullo post pugnam Leuctricam Epaminondae consilio ex pluribus aliis circumsitis oppidis coaluit, ut fortius resisteret Spartanis; quare Graecarum urbium νεωτατη dicebatur [g]). Chronicon Parium ejus annum natalem statuit V. C. 384.

Autonomi:

Caput Jovis laur. Ξ MEΓ. *Pan nudus rupi insidens d. elata. s. pedum, in area aquila.* AR. III. AE. II. (Pellerin.)

Simillimi his sunt argentei, quos supra recitavimus, communi Arcadum nomine signati, unde verisimile, etiam hos hoc in oppido signatos. Similes Goltzius per perem Zephyrio Ciliciae tribuit.

Numi alii inscripti MEΓ. incertum, utrum huc, an Megara sint avocandi.
AR. et AE. RRR.

Imperatorii.

Tantum in familia Severi. Hujus, et Caracallae numos tres dedit Pellerinius [h]). Domnae unum addidit Arigonius. In museo Theupoli memoratur unus Elagabali, at verius etiam hic est Caracallae. Notandum enim, plerasque Peloponnesi urbes familiae solum Severi dedicasse monetam, atque id vivo Severo, quod

---

d) L. VIII. p. 615. e) In Arato cap. 45. f) L. c. g) Pausanias L. IX. c. 14.
h) Rec. III. p 189.

Digitized by Google

colligo primum ex capite Caracallae, quod adhuc juvenile, ac plane imberbe proponitur, ex quo fit, ut facile Elagabalus haberi possit, qui reipsa est Caracalla, deinde quod in his numis Geta nunquam dicitur Augustus, sed Caesar tantum.

Epigraphe est: ΜΕΓΑΛΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.
AE. RR.

NONACRIS.

Harduinus in Plinio suo [i]) autonomum vulgavit, in quo legit: ΔΗ. ΝΩΝ., quod solvit in ΔΗμος ΝΩΝακρεινων, typus: *Protome Dianae.* Ϟ *Aquila intra laurcam.* Dubium non est, numum hunc per aetatem fuisse attritum, legendumque: ΑΒΤΔΗΝΩΝ, ut collati Abydi numi docent.

ORCHOMENVS.

Fuit praeter Orchomenum Boeoticum hujus nominis urbs alia in Arcadia.

Imperatorii.

In familia tantum Severi signati, et quidem eadem fabrica et forma, qua passim in aliis Peloponnesi urbibus hac aetate signatos videmus: ut adeo jure huic nostro Arcadiae Orchomeno sint vindicandi.

Epigraphe: ΟΡΧΟΜΕΝΙΩΝ. Sunt apud Vaillantium, Pellerinium, Theupoli, at majore numero apud Arigonium.
AE. RR.

PHENEVS.

Autonomi:

Caput Cereris spicis coronatum. Ϟ ΦΕΝΕΩΝ. *Mercurius gradiens d. caduceum, s. pusillum gestat, juxta quem scriptum:* ΑΡΚΑΣ. AR. m. m. (Pellerin). Eundem exhibet etiam Pembrock, (P. II. tab. 9.) in quo tria signa incusa conspiciuntur, quorum unum conficit epigraphen ΔΕΛΦ. Item AE. II. (Mus. Caes.)

Fuit Arcas Jovis et Callistus filius, quem Juppiter matre in ursam mutata in Arcadiam a Maja educandum misit [k]). Eo ministerio functum Mercurium hic numus docet, et jure, quod et ipse Majae filius fuit. Audi et Ciceronem [l]): *Quintus [Mercurius] quem colunt Pheneatae, qui et Argum dicitur interemisse.* Deorum omnium maxime Mercurium veneratos Pheneatas, eique ludos Hermaea fecisse tradit Pausanias [m]), et Lactantius [n]).

* * *

Caput Cereris spicis coronatum. Ϟ ΦΕΝΙΚΩΝ. *Bos gradiens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Ea iterum possessivum ΦΕΝΙΚΩΝ pro gentili ΦΕΝΕΩΝ, ut supra in Arcadia quoque vidimus.

* * *

Caput Dianae Ϟ ΦΕΝΕΩΝ. *Equus pascens, intra cujus crura monogramma.* AE. III. (Mus. Caes.)

---

i) T. I. p. 196. k) Apolledor. L. III. c. 8. §. ult. l) Nat. deor. L. III. c. 22. m) L. VIII. c. 14. n) De fals. relig. c. 6.

Digitized by Google

Vlysses cum perditas equas apud Pheneum reperisset, Dianam inde Ἐφιππιαν, *equarum inventricem*, coluisse erecto apud eam urbem templo narrat Pausanias o). Vide praeterea, quae de hoc numo alibi docui p).

AR. et AE. RR.

Imperatorii:

Aurelii, Caracallae, et Plautillae. (Vaill. Theup.)

Epigraphe ΦΕΝΕΑΤΩΝ.

Singularis est numus Plautillae in museo Theupoli citatus: ΕΠΙ. ΧΑΡΙΔΗΜΟΥ. ΦΕΝΕΑΤΩΝ. *Mulier utraque manu facem tenens.* AE. m. m. Nolim de viri eruditi adcuratione dubitare; mirum tamen videtur primo maximi moduli numisma, cum vix hac forma in Peloponnesi urbibus numi signati sint demptis iis, qui ab Achaeis et Arcadibus in Antinoi honorem cusi sunt, qui tamen proprie moneta non fuere, deinde nomen magistratus, quem numis urbium Peloponnesi sub Augustis vix solitum fuisse inscribi constat.

AE. RRR.

PHIALEA.

Antea dicta Phigalia.

Imperatorii tantum in una Severi familia complures editi, et majore numero a Vaillantio.

Epigraphe ΦΙΑΛΕΩΝ typis obviis.

AE. RR.

PSOPHIS.

Autonomum.

Dubium hujus urbis produxi supra in moneta foederis Achaici.

Imperatorii.

ΨΩΦΙΔΙΩΝ. Caracallae apud Pellerinium, Getae apud Vaillantium.

AE. RRRR.

STYMPHALVS.

Ad cujus adsitum lacum habitabant aves Stymphalides.

Caput muliebre laur. Ϟ ΣΤΥΜΦΑΛΙΩΝ. *Hercules gradiens d. clavam attollit, s. exuvias leonis, in area* ΣΟ. AR. m. m. (Pellerin.)

Caput Herculis imberbe leonis pelle coopertum. Ϟ ΣΤΥΜΦΑΛΙΩΝ. *(retrograde). Caput avis cum collo.* AR. III. (Pellerin.)

Herculem apud Stymphalum majore opere cultum, non mirum ob praestitum caede Stymphalidum beneficium. Harum imaginem in numo altero proponi existimat Pellerinius, quae tamen multum diversa sunt forma in numo Nicaeae, et monumentis aliis, quibus Herculis aerumnae proponuntur.

AR. RRRR.

TEGEA.

Diu ignoti fuere urbis hujus numi,

o) L. VIII. p. 628. p) Num. vet. p. 140.

Digitized by Google

dum eorum complures nostra aetate variorum antiquariorum ope lucem viderent.

Autonomi.

Caput Palladis. Ꝟ ΤΕΓΕ. *Noctua.* AR. III. (Mus. Caes.) In alio *solum* ΤΕ. AE. III. (Pellerin.)

Constat ex Pausania, Palladem *Aleae* cognomine ab his Tegeatis magno in honore habitam. Pellerinius aeneos suos, quos citavi, Tegeatis Cretae proprios esse voluit, qua id veri specie, magis patebit ex iis, quae mox dicentur.

* * *

Caput Palladis. Ꝟ ΤΕΓΕΑ. *Cerva puellum lactans, in nonnullorum area bina monogrammata.* AE. III. (Mus. Caes. Khell Adpendic. I. et II. Pellerin.)

Numi argumentum jam alias praeclare explicavit Khellius q). Narrat Pausanias r), Apollodorus s), et Diodorus Siculus t), Augen Alei Tegeae regis filiam ab Hercule vitiatam natum puellum primo in Palladis, cujus ea sacerdos fuit, luco deposuisse, at vulgato crimine infantem Alei jussu in monte Parthenio expositum, sed cui mox praesto fuit cerva, quae praebito lacte maternam abjecto opem tulit, ex quo facto *Telephus* est appellatus. Alibi narrat Pausanias u), in Helicone Boeotiae cervam Telepho infanti lac praebentem effictam stetisse. In hunc fere sensum Khellius. At Pellerinius aliorsum argumentum traduxit. Nam cum animal partis aversae nequaquam cervam, sed lupam putaret, et constaret ex Cretensium historia, simile beneficium Mileto suo, Apollinis filio, ab hac impensum, numum Tegeae Cretae adjudicavit, cum idem argumentum in Cydoniae quoque numis compareat x). Verum sine dubio praeferenda Khellii sententia, primum quod integerrimus numus musei Caesarei nullum de cerva dubium relinquit, deinde quod in nonnullis numis hujus thematis bina comparent monogrammata, quae eadem sunt in numis aliis certis hujus Tegeae Arcadiae, de quibus mox, quod manifeste patet collatis binis ejus numis a Khellio in Adpendicula II. productis. Accedit, quod in horum antica est Pallas multum a Tegeatis Arcadiae, ut dixi, observata, et cujus Auge Telephi mater sacerdos fuit; denique quod Tegea Cretae perobscurum fuit Cretae oppidum. Numos alios et monumenta, quae hanc Telephi fabulam multo illustrius sistunt, indicabo in numis Pergami Mysiae.

* * *

Caput Dianae prominente retro pharetra et arcu. Ꝟ ΤΕΓΕΑ. *Pallas stans s. hastam, d. aliquid imponit urnae, quam adstans puella offert, in area* ΛΑ. AE. II. (Pellerin.) *In alterius area* IE. (Khell Adpendic. II.) *In alterius area duo monogrammata.* (Khell l. c.)

---

q) LI. cc. r) L. VIII. c. 48. s) L. III. c. 9. t) L. IV. c. 33. u) L. IX. c. 31. x) Rec. III. p. 73. Suppl. I. p. 52.

Digitized by Google

ΑΛΕΟΣ. *Caput barbatum diadematum.* ℞ ΤΕΓΕΑΤΑΝ. *Heros galeatus, cetera nudus stans, s. hastam et clypeum tenens, dextera aliquid acceptat a Pallade, quod adstans puella oblato vase excipit, per aream eadem monogrammata.* AE. II. Numi hujus praecones mox citabo.

Caput Palladis. ℞ ΤΕΓΕΑ. *Heros galeatus, cetera nudus, gradiens d. ensem, s. clypeum opponit.* AE. III. (Pellerin.)

In solo numo II. morabor, qui rite explicatus reliquis lucem impertit. Eum primum edidere, sed, ut apparet, minus integrum Harduinus y), et Haymius z). Adcuratius restituerunt Wachterus a), ac praecipue Pellerinius b). Anticae explicatus planus. Sistit ea Aleum Aphidantis F., Arcadis nepotem, Jovis et Callistus abnepotem, Lycaonis adnepotem. Alei regia adhuc Pausaniae aetate Tegeae monstrabatur, ut et fanum Minervae Aleae ab eo aedificatum, de quo vide, plura apud Haymium c). At aversae explicatum nemo omnium, qui numum stitere, est adsecutus. Eum latius exposui in meis Numis vet. d) secutus Apollodorum e), et Pausaniam f), qui perhibent, Cepheum Alei filium et Tegeae regem invitatum ab Hercule, ut sese ad bellum sequeretur, sed conditiones detrectantem, quod se absente Argivorum incursionem metuebat, tum demique persuasum, cum ei Pallas detonsum Medusae crinem in amphora obtulit, quem Sterope Cephei filia, si forte hostes ingruerent, ostentare e moenibus jubebatur. Monere non attinet, numum hunc Aleo synchronum non esse, qui annis circiter 1400 ante Christum Tegeae regnaverit. Numus III. ipsum iterum Cepheum sistit, ut colligitur ex cultu, quem is in binis praecedentibus obtinet.

In area numi I. legitur ΛΑ., quo Pellerinius indicari censet aut concordiam cum Lacedaemoniis, aut Tegeatas se profiteri his subjectos. Verum cum in simili alio pro hoc legatur IE., videtur το ΛΑ. aliud significare, perinde atque in Aegira Achaiae vidimus.

* * *

Numum ΤΕΓΕΑΤΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ descripsi supra in numis foederis Achaici. *AR. RRRR. AE. RR.*

Imperatorii.

In sola Severi familia. (Theupoli, Pellerin.)

Epigraphe: ΤΕΓΕΑΤΩΝ.

Typus illustrior: *Atalanta Tegeaea aprum Calydonium hasta feriens*, in numo Domnae. (Mus. Caes.) Vide, quae huc pertinentia supra in Aetolia notavi.

AE. RRR.

THELPVSA.

Autonomi.

Caput radiatum. ℞ ΘΕΛ. *intra lauream.* AE. III.

---

y) Num. ill. in Tegea. z) T. II. p. 4. a) Archaeol. num. p. 82. b) Rois p. 33.
c) L. c. d) Pag. 142. e) L. I. c. 7. f) In Arcad. c. 47.

Digitized by Google

Similem edidit Neumannus g), sed in quo prior litera Θ deficit. At testatur idem, sese a cl. Wackero, qui praesentem nummum vulgavit, edoctum, literas ΘΕΛ. in eo esse luculentas. Idem quoque integer est Veletris in museo Em. Card. Borgia.
AE. RRR.

Imperatorii.

In Severi tantum familia.

Epigraphe: ΘΕΛΠΟΤΣΙΩΝ. (Vaill. Theup.)
AE. RRR.

THISSOA.

Dicta Pausaniae: Θισσοα ἡ προς Ορχομενῳ, et fuit una ex oppidis ex quibus conflata fuit Megalopolis h).

Numum: ΑΧΑΙΩΝ. ΘΙΣΟΑΙΩΝ vide supra inter numos foederis Achaici.
AE. RRRR.

CRETA.

Insularum hujus tractus maxima et nobilissima, Jovisque natalibus, Labyrintho, Minotauro, aliisque fabularum prodigiis inclyta, quorum haud dubie causa meritorum in antiquo lapide jactantius dicitur ab indigenis ΒΑΣΙΛΕΤΟΤΣΑ. ΤΩΝ. ΝΗΣΩΝ, *regina insularum* i). Olim centum digestam per urbes fama ferebat, quarum non paucas numi hodieque superstites nobilitant. Sunt hi argentei aeneique, aurei nondum reperti, habentque tam certum ac peculiarem characterem, ut natales suos celare non possint oculum tractandis numis adsuetum. In argenteis discrimen illud omnium maxime elucet, quod plerique praeter certa remotae antiquitatis indicia duriorem quendam picturae modum offerunt, qui neque in numis serius signatis facile mitescit, raro visis Gratiis in hanc insulam pedem intulisse.

Autonomi:

Nomine totius insulae, iique argentei sunt apud solum Goltzium, inscripti ΚΡΗ. ΚΡΗΤΑΙΩΝ, suntque cistophori omnes, quod genus, ut alibi docebitur, verisimile non est in Creta signatum, unde de vera eorum lectione jure dubitatur.

In numo Haymii k), et musei Pembrock l) cum capite Homeri male lectum ΚΡΗΤΩΝ pro ΙΗΤΩΝ, qui adeo ad insulam Ion pertinent.

Imperatorii.

Horum primus est cum capite Tiberii (Vaill.) reliqui porriguntur usque ad M. Aurelium. Major eorum numerus est cum capite Trajani, quos videsis in museo Farnesiano.

Epigraphe constans: ΚΟΙΝΟΝ. ΚΡΗΤΩΝ.

Typi: Hi fabulis domesticis plerum-

g) Num. pop. P. II. p. 161. h) in Arcadic. c. 27. i) Gruter p. 1090. 11. k) T. II. p. m. 72. l) P. II. tab. 80.

Digitized by Google

que inhaerent, sic: *Europa tauro vecta. Nympha Jovem puellum ulnis complexa, in area hinc cornu Amaltheae, inde aquila. Juppiter infans globo insidens inter septem astra adstante capra.* Hic rex deorum in Creta natus educatusque res nota, unde et dictus *Cretagenes*, de quo infra separato articulo egam. Saepe etiam occurrit *Diana*, nomine Dictynnae, aut Britomartis late in hac insula culta, de qua infra quoque recurret sermo.

* * *

Sunt aenei non pauci minimae formae cum capite Hadriani et Antonini, quorum sola inscriptio in aversa est K. K. Typi sunt: *Ara, super qua globus.* — *Miles galeatus, cetera nudus gradiens cum hasta et clypeo.* — *Diana venatrix.* (Mus. Caes. Arigoni.) In his primum K notare Κοινον, dubium non est; de altero ambigi potest, utrum Κλινιας, an Κρητων, an Κυπριων, an Καρων indicet. Pro Cilicibus stetit Harduinus. Auctor musei Theupoli eos Alexandrinis accensuit [m]), ad quos eos pertinere nulla ratio suadet. Verisimilius legendum Κρητων, nam fabrica Cretensis potius est, et typus Dianae venatricis in Cretam potius videtur invitare, et miles similis gradiens obvius est in numis Apterae.

* * *

Juppiter Cretagenes. Eum eloquuntur numi sequentes:

ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΕΠΙ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΤ. ΛΤΠΟΤ. *Caput Augusti radiatum.* Ȳ ΤΑΝ. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. ΠΟΛΤΡ. *Caput Jovis laureatum, infra quod fulmen.* AR. m. m. (Barthelemy B. L. T. XXVI. p. 546.)

ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΡΗΤΩΝ. ΕΠΙ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΤ. *Caput Augusti radiatum.* Ȳ ΤΑΝ. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. ΙΕΡΑ - - - *Caput Jovis diadematum, infra fulmen.* AR. m. m. (Liebe Goth. num. p. 364.)

ΑΤΤΟ. ΤΙΤΟ. *Caput Titi laur.* Ȳ ΖΕΤΣ. ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. *Juppiter nudus stans inter septem astra d. fulmen intorquet, s. strophio involuta.* AE. 1. Hunc numum post Tristanum et Harduinum (Num. III. in Γαζα.) adcuratius edidit Pellerinius. (Mel. I. p. 341.) Est etiam in Museo Caes.

Priores duos numos erudite explicat Barthelemyus. (l. c.) Signatus uterque in Creta, et prior quidem *Polyrrhenii*, alter *Hierapytnae*, in quo Liebei lapsum jure obelo notat. Nomen TAN Doricum est pro ZAN, vel ZHN, pro quo in numo III. multo serius signato est solitum ZETΣ. Verbum ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ significavit Jovem *in Creta genitum*, cujus alioqui natales a plerisque in Creta constituuntur. Jovem hoc nomine cultum in Creta docet foedus Olontiorum, et Latiorum, in quo: ΟΜΝΕΩ - - - ΤΟΝ. ΖΗΝΑ. ΤΟΝ. ΚΡΗΤΟΓΕΝΕΑ [n]). Ex his numis habemus etiam imaginem Jovis Cretagenis, nempe cujus attributum princeps est fulmen. Astris cingitur, quia, ut ait Nonnus [o]).

---

m) pag. 1134. n) Reines. T. I. p. 501. o) Dionys. XXXI. v. 56.

Digitized by Google

Ζευς μεν ἀναξ κατ' Ολυμπον ἐχει δομον ἐμπλεον ἀστρων.

Juppiter rex in Olympo tenet domum plenam astris.

Infra in numis Gazae Judaeae ex Marco Diacono docebo, eundem Jovem Cretagenem ante omnes deos a Gazaeis cultum, sed nomine *Marnas*, et quidem velut *dominum imbrium*, quorsum fulmen apte refertur. In numis Ephesi videbimus etiam Iovem Pluvium fulmine armatum. Ad idem argumentum pertinerent etiam numi Aegii Achaiae inscripti ΚΡΗΤΑΙΟΣ, et typo Jovis fulminantis, quos edidere Spanhemius, Pellerinius, aliique, sed in his non legi ΚΡΗΤΑΙΟΣ, sed ΚΛΗΤΑΙΟΣ in hujus numis dictum. Numum III. Harduinus ob dictas causas Gazae tribuit, verisimilius tamen est, hunc quoque in Creta flatum.

* * *

Cum hic Cornelii Lupi proconsulis Cretae facta fit mentio, juvat alios quoque numos ejus nomine inscriptos, et in variis Cretae urbibus signatos commemorare. Sunt omnes argentei, et cum capite Tiberii, et depicti exstant apud Morellium in Familia Corn. Tab. VII.

ΤΙΒΕΡΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΕΠΙ. ΚΟΡ. ΛΤ. *Caput laur.* ☧ ΣΤΝ-ΚΛΗΤΩ. ΚΡΗΤΕΣ. ΚΤΔ. *Caput Senatus barbatum velatum.* AR. m. m.

Alius, sed in aversa plene scriptum: ΚΤΔΩΝΕΑΤΑΝ.

ΤΙ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΤΔ. *Caput laur.* ☧ ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. Κ. ΚΡΗΤΩΝ. Ε. ΚΟΡ. Λ. *Caput Augusti laur.* AR. III.

ΤΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Ε. ΚΟΡ. Λ. *Caput laur.* ☧ ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΕΛΕΤΘ. *Caput Augusti radiatum.* AR. III.

ΤΙΒΕΡΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΓΟΡΤΤΝΙΩΝ. *Caput laur.* ☧ ΚΑΙΣΑ-ΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΡΗΤΕΣ. Ε. ΚΟΡ. ΛΤ. *Caput Augusti radiatum.* AR. III.

Fuit Cornelius Lupus proconsul Cretae, ut hi numi docent, et fuisse ex familia Lentulorum, probant marmora Capitolina, in quibus ad annum V. C. 697. memoratur consul *L. Cornelius Cn. F. L. N. Lentul. Lupus* p). Eum sub Claudio insidiis Suillii appetitum, interemptumque docet Tacitus; nam objectum fuisse tum inter alia Suillio: *Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, CORNELIVM LVPVM circumventos* q). Et Seneca hunc quoque Lupum inter amicos, et quidem consulares a Claudio caesos narrat r). Haec pleraque jam observavit Havercampus. Nomina igitur decurtata sic explenda: ΕΠΙ. ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ. ΛΤ-ΠΟΥ, ut plene comprobat numus Jovis Cretagenis paullo altius citatus. Habemus in numo I. caput Senatus eo cultu, qui gravę hoc conlegium decuit, non facie juvenili, ut saepe in numis Asiae. Tres priores numi signati sunt apud Cydoniam, quartus apud Eleuthernas, quintus Gortynam. Hi quoque numi quaesitum Cretensium in Augustum

p) Grut. p. 293. q) Annal. XIII. c. 43. r) Αποκολοκ. sub fin.

Digitized by Google

adfectum nos edocent, qui tantus fuit, ut a Tiberio, sub quo hi numi signati sunt, asyli jus simulacro D. Augusti petere auderent [s]). Senatum coluere, quia Creta fuit Senatus provincia, cujus exempla passim offerunt numi Asiae proconsularis.

His addendus numus similis rationis: ΤΙΒΕΡΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΕΠΙ. ΛΑΧΗΤ. *Caput laur.* ☧ ΣΥΝΚΛΗΤΩ. ΚΡΗΤΕΣ. ΚΤΔΩΝΕΑΤΩΝ. *Caput Senatus barbatum velatum.* AR. m. m.

Numum edidere Harduinus [t]), et Morellius [u]). Differt a numo II. supra descripto solo magistratu. Quis fuerit hic Laches, an proconsul, an, quod verius, magistratus Cydoniae proprius, (nam Laches nomen Graecum est) decidere nequeo.

* * *

Addendus et numus alter bilinguis: IMP. CAES. NER. TRAIAN. OPTIM. AVG. GER. DAC. PART. *Caput laur.* ☧ ΔΙΚΤΥΝΝΑ. ΚΡΗΤ. *Diana venatricis habitu rupi insidens d. telum, s. infantem tenet, adstat hinc et illinc vir armatus.* AR. III. (Tristan. in Traj. Seguin. p. 126. Theup. Vaill.)

Ex mente Tristani proponitur in hoc numo Diana, quae Graecis et *Dictynna* dicta est, insidetque monti Tityro regionis Cydoniatis, in quo ejus templum stetit appellatum Δικτυννιον secundum Strabonem. Infantem manibus tenet' quoniam Diana eadem est cum Lucina partuum praeside. Adstans uterque vir armatus Seguino in mentem revocat enopliam, seu pyrrhicam saltationem inventam a Cretensibus, nimirum Rhea Jovis, recens nati vagitum edito a Corybantibus armorum fragore obtundente. Vide plura apud Spanhemium [x]).

* * *

Dubium est, utrum Cretensis moneta sint numi Titi et Domitiani, in quorum postica: ΔΙΟΣ. ΙΔΑΙΟΥ. *Aquila stans.* AE. II. (Morelli in Tito tab. XIV. 1.) Nam et in Mysia fuit mons Ida, et hic Jovi sacer.
AR. RRR. AE. C.

ALLARIA.

Hujus Cretae urbis nulla uspiam mentio, praeterquam in vetere epigrammate, quod post alios edidit Chishull [y]), in quo dicitur: Αλλαριωταν ἁ πολις.

Caput Palladis. ☧ ΑΛΛΑΡΙΩΤΑΝ. *Hercules stans.* AR. m. m. (Pellerin Suppl. III. p. 106.) AR. III. (Mus. M. Duc.)
AR. RRR.

APOLLONIA.

Huc cl. Combius vocat argenteum Hunterianum: A. *Tripus.* Credam verius, extritam literam Z το A praecedentem, numumque esse Zacynthi.

---

s) Tacit. Ann. L. III. c. 63. t) Num. ill. sub Cydonia. u) Impp. in Tiber. tab. IV. n. 25. x) ad Callim. in Dian. v. 205. y) Ant. Asiat. p. 137.

Digitized by Google

APTERA.

Mediterranea in occidentem.

ΑΠΤΕΡΑΙΩΝ. *Caput muliebre.* ℞ *Vir stans d. quid tenet.* AR. I. (Mus. M. Ducis.)

Eadem adversa. ℞ ΠΤΟΛΟΣΤΟ. *Miles armatus stans, juxta arbutum.* AR. I. (Hunter.)

Caput Jovis. ℞ ΑΠΤΑΡΕΩΝ. *Mercurius stans d. caduceum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre. ℞ ΑΠΤΑΡΑΙΩΝ. *Miles gradiens cum hasta et clypeo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Horum prior fabricae est perantiquae, et recte inscribit ΑΠΤΕΡΑΙΩΝ, cum in reliquis aevi recentioris sit ΑΠΤΑΡΑΙΩΝ. Haec enim urbs teste Stephano, et Suida nomen traxit *ἀπο των πτερων*, quod apud hanc urbem Sirenes cantu a Musis superatae alas abjecere, de quo vide plura in meis Numis vet. [z]), quo loco numum priorem edidi, et in numis gentis Petroniae, quibus adde Tzetzem [a]), et monumentum vetus apud Winckelmannum [b]). Serius E in A, vertit receptus in Creta Dorismus. Vetus scholiastes Euripidis: *ἀτερος ὁ ἑτερος Δωριστι* [c]), et secundum enarratorem Theocriti: *Αεταμις* Dorice pro *Αετεμις* [d]).

* * *

Caput muliebre. ℞ ΑΠΤΑΡΑΙΩΝ. *Apollo nudus sedens d. pateram, s. lyrae innixus.* AR. III. (Pellerin.)

ΑΠΤΑ. *Apia.* (Harduin.)

Videntur hi numi aliam sequi famam, nimirum urbem nomen traxisse a *Ptera* quopiam, qui vetustissimum Delphis Apollinis templum struxit, unde natam fabulam, fabricatum ab apibus templum ex apum cera, et pinnis [e]).

AR. RR. AE. R.

ARCADIA.

Hujus insulae urbs secundum veterum testimonia, et maritima in ortum. Arcadum Peloponnesi coloniam fecit Pelleritiae, sed auctorem reticuit. Eidem is numum tribuit: *Caput Ammonis.* ℞ ΑΡΚΑΔΩΝ. *Pallas stans d. hastam, s. clypeum humi attinet.* AR. II. Tamen causam non adfert, cur huic Cretae urbi potius prae Arcadibus Peloponnesi tribuendus sit. Ipse discriminis hujus rationem probabilem non video. Addit: huic quoque urbi ab Harduino tributum numum, qui tamen, saltem in ejus numis illustratis, non reperitur. Videtur ergo dubium, an propria huic oppido hactenus exstet moneta.

ARSINOE.

Caput Palladis. ℞ ΑΡΣΙ. *Duo Delphini.* AE. III. (Mus. Caes.)

In hoc et fabrica et typus plane ex Cretae sunt ingenio, et est Stephano Arsinoe *ἐνιαυη Αυκτε*, quo docemur, urbem Lycto Cretae urbi paruisse. Vide, quae de hoc in meis Num. vet. p. 144. disserui.

---

[z]) pag. 143. [a]) ad Lycophr. v. 653. [b]) Monum. ant. num. 42. 46. [c]) Hippolyt. v. 894. [d]) ad Idyll. I. v. 4. [e]) Pausan. in Phocaic. p. 810. Philostrat. Vit. Apoll. L. IV. c. 10.

Digitized by Google

Similem edidit Arigonius, quem Froelichius dubitantis more Graeciae, vel Cypro tribuit [f]). Serius alium addidit Combius:

Caput muliebre. ☧ APΣI. *Miles nudus stans.* AE. II. (Mus. Hunter.)
AE. RRR.

AXVS.

Caput Jovis, in aliis Apollinis. ☧ ⌐AΞIΩN. *Tripus, per aream monogrammata, aut etiam sine his.* AE. II. III. (Mus. Caes.)

Alii similes, sed scriptum: FAΞIΩN. (Liebe Goth. num. p. 163. Hunter pag. 65. Dutens Explic. de quelq. Méd. p. 186. 195. 228.)

Quatuor produntur in Creta urbes nomine adfini, *Axus*, *Oaxus*, *Saxus*, *Naxus*. Primae meminit Stephanus: AXVS *urbs Cretae, ut Herodotus libro IV.* sc. cap. 154. Verum in hoc Herodoti loco alia MSS. habent Αξος, alia Οαξος, ut sane etiam apud Suidam, qui idem factum ex Herodoto exscripsit, legitur Οαξος [g]). Sed et alibi Stephanus: OAXVS *urbs Cretae.* Et consentiunt scriptores alii. Virgilius [h]): *et rapidum Cretae veniemus Oaxen*, ad quem versum Servius, quid statueret, incertus inter alia prodit etiam, Oaxen Apollinis filium *Oaxen* in Creta oppidum condidisse. Etiam Vibio Sequestro est *Oaxes Cretae, a quo civitas Oaxia* [i]). Denique Hierocles in Synecdemo: Οαξιος, Ελευθερνα etc. Sed videtur Axus, et Oaxus eadem fuisse civitas, de quo mox iterum. Saxum oppidum Cretae intulit, non quidem scriptorum veterum quispiam, sed Chishullius fide veteris marmoris in Creta reperti, in quo legitur ΣAΞIOI et ΣATΞIOI [k]). At enim haec Cretae Saxus suspecta est. Nam Chandlerus, qui marmor illud post Chishullum inspexit, pro ΣAΞIΩN legendum NAΞIΩN testatur [l]). Sin istud, nomine NAΞIΩN intelligenda est *Naxus* civitas, quam in Creta constituunt complures inferioris aevi grammatici, quos dabunt Stephani Byzantii interpretes Holstenius, et Pinedus [m]), a qua urbe nomen habuit celebrata a veteribus, et ipso Pindaro Ναξια ἀκονη, *Naxia cos.*

Ad numos ut revertar, eos Haymius Saxo Cretae tribuendos censuit [n]). Revera in numis copiosa sunt exempla τῦ Σ instar ⌐ formati. Et confirmata haec conjectura videbatur marmore Chishulli, quod nobis Saxum Cretae prodidit. At enim, cum hanc ex marmore lectionem, ut diximus, secundae Chandleri curae suspectam reddiderint, ad haec reperti sint numi alii, qui certam epigraphen FAΞIΩN sistunt, cujus primum elementum pro Σ haberi nequit, omittenda sine dubio est Saxus, numique tribuendi Axo, cujus gentile Stephano est Αξιος, scripto adeo in numis AΞIΩN,

f) Not. elem. p. 76. g) in Βαττος. h) Eclog. I. v. 66. i) de Flumin. k) Ant. Asiat. p. 144. l) Inscript. ant. in nota ad marm. XVIII. m) sub Ναξος. n) Thes. Br. T. p. II. 181.

Digitized by Google

sed praefixo digamma Aeolico FAΞIΩN, quo modo in numis Elidis vidimus scriptum FAΛEIΩN pro AΛEIΩN. Atqui jam alibi vidimus, et disseremus copiosius in tractatu de notis chronologicis, digamma illud promiscue jam forma ⌐, jam F expressum fuisse, quo modo in numis Capuae jam legimus KAΠF, jam KAΠ⌐. Cum igitur haec Cretae urbs, ut ex his numis discimus, spiritum aliquem nomini suo certe praefixerit, fieri poterat, ut hic a Cretensibus pronunciaretur sono, qui ad literam O accederet, unde exterorum *Oaxus* nasci facile potuit, cum interim Axus, et Oaxus una eademque urbs esset.

Combius numos cum epigraphe seu AΞ., quos vulgo Axiae Locrorum tribuimus, seu FAΞIΩN, de quibus modo agimus, Axiae Italiae largitur o). Numos AΞ. hoc loco non moror. Cur vero numos FAΞIΩN Cretenses malim, in causa est, quia Stephanus Axo Cretae gentile Αξιος adsignat, diversum vero Axiae seu Italicae, seu Locrorum.

AE. R.

CAMARA.

Autonomum argenteum KAMAPAΣ typo insolito edidit Goltzius, (in Insul. tab. IV.) quem cum is, tum Nonnius et Harduinus huic Cretae urbi Stephano memoratae donum dederunt.

CERAITAE.

Populus Cretae, ut mox probabimus. *Caput Dianae.* ⁑ KEPAITAN. *Duplex hastilis ferrum, sed forma varium intra coronam.* AR. II. (Hunter.)

Jure singulari huic numo patriam Cretam dedit eruditus Combius; nam Cretensem faciunt fabrica, typi, dialectus. At nunc propius urbs ipsa investiganda. Nomen adfine suppeditat Polybius, cum narrat, Polyrhenios, CERETAS (Κερεται) Lampaeos, Orios, Arcades a Cnossiis ad Lyttios defecisse p). Stephanus agens de poeta Rhiano: Ριανος γαρ ὁ ποιητης Βηναιος ἡν, Κερεατης, ἡ Κρης. *Rhianus enim poeta Benaeus fuit, vel Cereates, vel Cretensis.* Ex binis ergo his testimoniis habemus et *Ceretas*, et *Cereatas* Cretae. Sed magis apte ad numi epigraphen Suidas, qui eundem Rhianum laudans sic fatur: Ριανος ὁ και Κρης ὢν, Βηναιος (Βηνη δε πολις Κρητης) τινες δε ΚΕΡΑΙΤΗΝ. *Rhianus Cretensis Benaeus (est autem Bene urbs Cretae) alii vero CERAITEM* praedicant q). Eodem modo Eudocia Augusta, quae idem perhibet, Rhianum appellat Cretensem, et quidem Κεραιτην, ut Suidas r). Quocirca nequaquam, quod visum Meursio, aliisque, Suidas ex Polybio corrigendus, sed Polybius ex Suida, cujus Κεραΐτης praeclare cum epigraphe numi KEPAITAN conspirat. Satis etiam apparet, postrema Stephani verba: ἡ Κρης ex marginali glossa in textum recepta; nam nonnisi insanus diceret: Rhianum fuisse Benaeum, vel Ceraiten, vel Cretensem, quando et Benaei et Ceraitae populus fuere Cretensis.

---

o) Mus. Hunter, p. 65. p) Hist. L. IV. c. 53. q) in Ριανος. r) in Ionia sub Ριανος.

Digitized by Google

Ad situm urbis quod attinet, ex citatis Polybii verbis colligo, eam prope Polyrhenios stetisse, qui fuere populus in occidentem positus. Eandem viciniam arguit etiam typus; nam hastilis ferrum, quale in hoc Ceraitarum numo videmus, frequenter in Polyrheniorum moneta occurrit.

AR. RRRR.

CHERSONESVS.

Ex Chersonesis pluribus, quos antiquus orbis cognitus memorat, Chersoneso Cretae numi sequentes vindicandi.

Caput Dianae. ☧ XEPΣO. *Hercules d. clavam attollens, s. leonis exuvias.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput Dianae laureatum. ☧ XEPONAΣION, *in alio:* XEPΣONHΣION, *etiam* XEPΣONA., *vel* XEPΣONAΣION. *Apollo nudus cortinae insidens d. plectrum, s. lyram.* AR. I. (Pellerin Rec. III. p. 75. et Additions p. 24. Pembrock, Hunter.)

Horum priorem, qui per fabricam, et literarum formam remotissimi est aevi, a me editam vide in meis Numis vet. p. 145. Ipsa vero fabrica et typi utrumque numum huic Cretae Chersoneso invicte tribuunt. Verum cum binae fuerint in Creta Chersonesi, una in occidentali litore juxta promontorium Criumetopon, altera versus Orientem prope Lyttum, dubitari nonnihil potest, ad utram pertineant. Lucem aliquam adfert Strabo, qui de Lytti Chersoneso ait, in ea esse Britomartis templum [s]). Fuit autem Cretensium Britomartis Diana. Narrat praeterea Plutarchus [t]). Tyrrhenos ejus Chersonesi, quae juxta Lyctum est, conditores, huc detulisse signum Dianae a majoribus acceptum. Cum igitur in singulis his numis compareat hujus deae caput, videntur alterius hujus esse Chersonesi. Animadvertenda in Dianae capite corona laurea, quae in utroque numo Pelleriniano comparet, insolitum hujus deae ornamentum. Herculis gestus ictum clava minitantis indicat singulare beneficium, quo a malignis feris totam insulam purgavit [u]).

* * *

Caput Palladis. ☧ XEP. *Navis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hunc etiam huc pertinere alibi ostendi [x]). Ejus rationem non tam ex typo navis peto, quod Chersonesum hanc fuisse Lytti navale prodidit Strabo, quam quod hic numus utriusque faciei typo simillimus est alteri, quem signatum fuisse Lytti, inscriptio ΛTT. manifestat, quemque infra reperies.

AR. RR. AE. RRRR.

CNOSSVS.

Vrbs mediterranea, Minois regia, et Labyrintho celebrata, cujus exstant numi copiosi, et insignes.

---

s) L. X. p. 479. t) de Virt. mul. p. m. 247. u) Diodor. L. IV. p. 263. x) Num. vet. p. 145.

Digitized by Google

Autonomi.

Minotaurus flexo genu sinistro d. elata globum tenet. ℞ *Quadratum incusum, intra quod Labyrinthus in crucis formam.* AR. m. m. (Pellerin.)

ΠΟΛΧΟΣ. *Caput Apollinis laur.* ℞ ΚΝΩΣΙΩΝ. *Labyrinthus rotundus.* AR. m. m. (Chishull. Ant. As. p. 127. Pellerin.)

Caput Jovis. ℞ ΚΝΩΣΙΩΝ. *Labyrinthus quadratus.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Labyrinthus, opus Daedali a Minoe imperatum, subinde cum Minotauri, tum artificis ipsius carcer, res notior, quam ut commemorando immorer. Eum jactant numi Cnossi, quia prope hanc stetit, et quidem frequentes, ab iis, quos hic descripsi, nonnihil discrepantes, sed quos omnes recitare non attinet. Ex his numus primus omnium maxime insignis cum propter indicia certa longae vetustatis, propter quam et citatus, et propositus est a Barthelemyo y), tum propter ipsum Minotauri typum.

ΠΟΛΧΟΣ numi II. esse nomen magistratus, quis dubitabit post tot alia exempla, quae sufficiunt numi urbium Creticarum? Verum non ita visum Chishullo, cujus lepidam interpretationem ex etymologiae penu petitam, neque improbatam Pellerinio legisse non poenitebit z).

* * *

NIKA. *(etiam sine hoc.) Caput barbatum diadematum.* ℞ ΚΝΩΣΙΩΝ. *Labyrinthus.* AR. m. m. (Pellerin Rois tab. III.)

Existimat Pellerinius, hoc capite proponi veterem Cnossi regem Minoem, et sic ejus in his numis memoriam a grata posteritate renovatam.

* * *

Caput Jovis. ℞ ΚΝΩΣΙΩΝ. *Aquila stans explicatis alis.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΚΝΩΣΙΩΝ. *Caput Jovis.* ℞ ΜΝΑΣΙΘΕΟΣ. *Aquila stans explicatis alis.* AE. II. (Hunter.)

Caput Jovis. ℞ ΚΤΔΑΣ. *Aquila stans explicatis alis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Jovis. ℞ ΑΡΙΣΤΙΩΝ. *Aquila stans explicatis alis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Horum duo priores sequentium veram patriam edocent, nam fuere olim, qui numum tertium Cydoniae tribuerent, quantumvis ΚΤΔΑΣ multum differat a ΚΤΔΩΝΙΑ vero urbis nomine. Ergo ΚΤΔΑΣ aliud non est, quam magistratus nomen, nam et Cicero memorat *CYDAM Cretensem: portentum insulae, hominem audacissimum, et perditissimum* a). Quin et Livius binis locis Cydantes Cretenses aetate postremorum Macedoniae regum florentes prodidit b). Idem sentiendum de vocabulo numi ΑΡΙΣΤΙΩΝ. Similes Pellerinius Aristaeo ignobili Thraciae urbi adjudicavit c). Khellius, cum scriptum sibi videretur ΚΑΡΙΣΤΙΩΝ, quae epigraphe etiam in

y) Mem. B. L. T. XXIV. p. 30. z) l. c. a) Philipp. V. c. 5. b) L. XXXIII. 3, et XLIV. 24. c) Rec. I. p. 195. Suppl. I. p. 52.

Digitized by Google

numo Arigonii praetenditur [d]), eum Caristo Ligurum dedit [e]). Verum istud APIΣTIΩN non notare urbem, sed magistratum *Aristionem*, alibi luculente comprobavi [f]), ipso Pellerinio serius mecum sentiente [g]).

* * *

Caput Dianae. Ɪ ΚΝΩΣΙΩΝ. *Pharetra pendentibus loris.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Dianae. Ɪ ΘΑΡΣΤΔΙΚΑΣ, *vel:* ΑΤΡΙΑΔΑΒ. *Pharetra pendentibus loris.* AE. II. (Mus. Caes.)

In numis loci II. literae per arcam saepe miro modo confusae apparent. Ceterum dubitari nequit, esse magistratuum nomina.

* * *

In numis aliis valet etiam epigraphe ΚΝΩ. ΚΝΩΣΙ.
AR. R. AE. C.

Imperatorii:

Bini hactenus comperti, Augusti: ΓΝΩΣΣΙΩΝ. *Labyrinthus.* Tiberii: ΓΝΩΣΙΩΝ. *Minotaurus.*
AE. RRRR.

CYDONIA.

Ex clarissimis Cretae urbibus una, maritima in ora septentrionali versus occasum.

Autonomi.

ΝΕΤΑΝΤΟΣ. ΕΠΟΕΙ. *Caput muliebre floribus redimitum.* Ɪ ΚΤΔΩΝ. *Vir nudus utraque manu arcum tenens.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput simile. Ɪ ΚΤΔΩΝ. *Vir nudus arcum ad subjectum ignem parans, cui praeterea in nonnullis adblanditur canis.* AR. I. (Mus. Caes. le Blond.)

Numus prior propter anticae epigraphen est unum ex illustrioribus musei Caesarei cimeliis. Ejus sensus: *Nevantus fecit.* Ea si ad ipsum numi opus adludit ut dubium non videtur, unicum istud habemus exemplum artificis, nomen suum in moneta professi, quod in gemmis minus rarum. Froelichius pro ΝΕΤΑΝΤΟΣ legit ΗΡΙΚΑΝΤΟΣ, at quam proposui lectionem, duo alii ejusdem musei numi confirmant.

Typo partis aversae indicari videtur Cretensium, ac privatim Cydoniatarum solertia in aptandis arcubus, quam praecipue celebrat Claudianus [h]):

Quis labor humanus tantum ratione sagaci
Proficit? Eripiunt trucibus Gortynia capris
Cornua, subjectis eadem lentescere cogunt
Ignibus, intendunt taurino viscere nervos, — —

Et mox infra:

— — — morem hinc traxisse Cydonas Bellandi.

Similem etiam parandi arcus morem jam commemoravit Homerus [i]):

Αγχει δη πυκνειον ἐνι μεγαροισι, Μελανθω,

---

[d]) Num. urbb. tab. V. [e]) Adpendic. II. p. 90. [f]) Num. vet. p. 146. [g]) Addit. p. 73. [h]) in Idyll. Histrix. [i]) Odyss. Φ. v. 176.

Digitized by Google

Παρ δε τιθει διφρον τε μεγαν, και κωας ἐπ' ἀυτῳ,
Εκ δε στεατος ἐνεικε μεγαν τροχον ἐνδον ἐοντος,
Οφρα νεοι θαλποντες, ἐπιχριοντες ἀλοιφῃ
Τοξῳ πειρωμεσθα, και ἐκτελεσωμεν ἀεθλον.
Age, ignem accende in domibus, Melantheu,
Et appone sedemque magnam, et pellem super ipsam,
Et profer sevi magnam massam, quod intus est,
Vt juvenes calefacientes, inungentes unguine,
Sic demum arcum tentemus, et perficiamus certamen.

* * *

ΠΑΣΙΩΝ. *Caput Dianae cum pharetra et arcu.* Ϟ ΚΤΔΩΝΙΑΤΑΝ. *Figura succincta stans dexteram versus adstantem canem extendit, s. praegrandem lampadem, omnia intra lauream.* AR. m. m. (Pellerin.)

Numus mole spectabilis, etsi argumenti, si conjecturas excludas, mihi ignoti.

* * *

Caput Bacchae hedera et corymbis redimitum. Ϟ ΚΤΔΩΝ. *Lupa puellum lactans.* AR. I. (Hunter.)

Caput Palladis. Ϟ ΚΤΔΩΝ. *Idem typus.* AR. III. (Pellerin.)

Argumentum istud frequentius in imperatoriis, quam autonomis conspicitur. Exhibet Miletum filium Apollinis et Acacallidis Minois filiae, quae patrem verita natum puerum in silva exposuit, ubi eum lupae jussu Apollinis custodiverunt, et lac praebuerunt, qui adultus in Cariam profectus urbem sibi cognominem aedificavit. Haec Antoninus Liberalis [k]). At secundum Pausaniam Acacallidis Minois filiae, et Mercurii filius fuit Cydon, sed utrum hic a lupa nutritus sit, non addit [l]).

* * *

In numis aliis aeneis III. formae: ΚΤ. ΚΤΔΩ. *Canis excubans — Noctua — Astrum et luna.* Inscriptos ΚΤΔΑΣ esse Cnossi, supra in hac diximus.

* * *

Memorandus denique numus insignis argumenti:

ΑΙΘΩΝ. *Caput Palladis,* Ϟ ΚΤΔΩΝΙΑΤΑΝ. *Noctua diotae insistens, in area Hercules nudus gradiens, et clava ictum intentans.* AR. I.

De hoc numo cum typo utrinque Attico vide, quae in moneta Atheniensium disserui.

* * *

Magistratus. Hunc nonnunquam Cydoniae monetae fuisse inscriptum, probat numus supra citatus adstituto ΠΑΣΙΩΝ. Ejus alterum meo arbitratu exemplum offert nomen ΑΙΘΩΝ, scriptum juxta caput Palladis in numo argumen-

k) Cap. 30. l) L. VIII. c. 53.

Digitized by Google

ti Attici, quem continuo obtuli. Novi, visum aliquando erudito Dutens, posse illud vocabulum significare epitheton Palladis, quod interpretari liceret *flava* saepe huic deae tribui solitum [m]), neque alienum fuisse ab hac sententia praeclarum Villoisonium, qui binis literis eidem operi subjectis [n]) comprobat, posse τὸ ΑΙΘΩΝ etiam in genere feminino usurpari. Sed enim cur illud verbum violentius cogamus induere naturam cognominis, cum sese magistratus appellationi ultro adcommodet? Si ΑΙΘΩΝ facimus cognomen Palladis, faciamus et ΠΑΣΙΩΝ cognomen Dianae, aut si hoc est nomen certum magistratus, cur non et illud? Neque vero Αἰθὼν nomen veteribus ignotum. Teste Homero Aethonem se dixit Vlysses, cum in Ithacam rediret, et teste Dutensio [o]) ΑΙΘΩΝ inscribitur etiam numo Lysimachi, in cujus moneta non raro scripta magistratuum nomina occurrunt.

AR. RR. AE. R.

Imperatorii.

Horum non paucos reperias ab Augusto ad Antoninum.

Epigraphe solita: ΚΤΔΩΝ. ΚΤΔΩΝΙΑΤΑΝ.

Typi potiores: *Miletus lactens*, de quo in autonomis.

Juppiter puer caprae insidens.

Singularis est numus aeneus I. formae in museo Caesareo cum capite Claudii, in quo tam inscriptio capitis: ΤΙ. ΚΛΑΤ. ΚΑΙCΑΡ, quam aversae ΚΤΔΩΝΙΑΤΑΝ retrograda est, quo docemur, epigraphen retrogradam non semper altae vetustatis, sed etiam nonnunquam ingruentis barbariei esse indicium, ut revera typus quoque in hoc numo informis est.

* * *

Magistratus in numo Tiberii ex catalogo Theupoli proditur ΕΠΙ. ΣΤΡΑ - - - exeso indicati praetoris nomine. Fuerintne in Cretae urbibus strategi, cum *cosmi* passim memorentur, dubitandum videtur. — ΕΠΙ. CABINOT. in numo Domitiani. (Morelli Impp.)

* * *

Insignes sunt numi argentei, etiam max. mod., cum capite Tiberii, Augusti, Senatus, et mentione Lupi procos. et Lachetis, et Communis Cretensium, quos supra in numis Cretae in genere produxi.

AR. RRR. AE. RR.

ELEVTHERNAE.

Mediterraneae Lappam inter, et Gortynam. Earum *autonomi* alii sunt formae antiquissimae, alii recentioris.

Antiquiores:

Caput muliebre. Ϫ ΕΛΕΤ. ΕΛΕΤΘΕ. ΕΛΕΤΘΕΡΝΑΙΩΝ. *(scriptura recta, vel retrograda.) Apollo nudus stans d. malum, s. arcum.* AR. I. (Mus. Caes. Pellerin.)

---

m) Explic. de quelq. Med. p. 65. n) pag. 229. o) l. c.

Digitized by Google

Omnia in his numis remota tempora spirant, ac praecipue literarum modus, quem cape sive a numis ipsis, sive eorum iconismis.

Recentiores.

Caput Apollinis laur. Ʞ ΕΛΕΤΘΕΡΝΑΙΩΝ. *Apollo nudus cortinae insidens d. pomum gestat adstituta lyra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hujus generis unum, inscriptum ΘΕΡΝΑΙΩΝ, admorso nempe epigraphes principio Goltzius Thernae Thraciae tribuit, inique istud, etsi Harduinus similem ex museo regio produxerit, sed, ut certum est, aeque vitiatum. Pauci sunt typi alii, iique vulgares.

AR. RR. AE. R.

Imperatorii.

Tiberii cum mentione Lupi procos., isque argenteus descriptus est supra inter numos Cretae in genere.

AR. RRRR.

ELYRVS.

Mediterranea in occasum.

MI. *Apis.* Ʞ ΕΛΤΡΙΟΝ. *Caput caprae silvestris, infra venabulum.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.) *In simili additur magistratus* ΤΡΙΑΚΙΝΙΩΝ. (Hunter.) In alio: *Capra silvestris stans, et arbutum adrodens.* AR. III. (Beger.) Sunt etiam fere similes aenei.

Capra silvestris in numis Elyri typus fere perpetuus, seu quod eo animali prae ceteris abundabat Creta, seu quod secundum Elyriorum praeconium Phylacidi et Phylandro Apollinis filiis lac praebuit, ob quam causam et capellam aeneam Apollini Delphico donum misere, ut narrat Pausanias p). Frutex numi Begeriani videtur esse decantatus dictamnus, cujus pastu capras Cretenses sagittis iotas ejecisse ferrum veteres complures meminere.

AR. et AE. RR.

GORTYNA.

Vrbs mediterranea illustris famae, quam et copiosa numismata non inficiantur. Fuisse coloniam Gortynis Peloponnesiae, testatur Plato q).

Autonomi:

Virgo insidens trunco arboris ramosae, cui saepius et aquila insidet. Ʞ ΓΟΡΤΤΝΙΟΝ. *(retrograde) etiam sine omni epigraphe. Taurus.* AR. I. In alio: ΓΟΡΤΤΝ. *Europa tauro vecta.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Virgo in commercio cum aquila expansis alis. Ʞ *Bos stans et respiciens.* AR. I. (Hunter.)

Numi sunt fabricae perantiquae. Argumentum explicat Plinius r): *Est Gortynae platanus - - statimque ei Graeciae fabulositas superfuit, Jovem sub ea cum Europa concubuisse.* Ejusdem scenae socius est taurus partis posticae, nempe quem ad fallendam puellam mentitus est rex deorum.

---

p) in Phocic. p. 835. q) de Legib. L. IV. p. 708. r) L. XII. §. 5.

Digitized by Google

* * *

Caput Jovis diadematum. ℞ ΓΟΡΤΥ-ΝΙΩΝ. *Miles nudus gradiens d. scutum humi attinet, s. hastam.* In aliis: *Vir rupi insidens s. arcum tenet, per aream literae solitariae* A *vel* B. AR. III. (Mus. Caes.)

Adde aeneos alios typis *raptus Europae, tauri cornupetae etc.*

* * *

De Gortyniorum numo cum typo Attico vide, quae in moneta Atheniensium advertimus.

AR. R. AE. C.

Imperatorii:

Obvii sunt cum capite hinc Germanici, inde Caligulae, addito ΕΠΙ. ΑΤΓΟΤ-ΡΕΙΝΩ. ΓΟΡΤ. Est Augurinus cognomen gentis Minuciae, videturque pro consule rexisse Cretam, unde eum Cretae urbes, (nam et Hierapytnae et Polyrhenii numi ejus meminere) monetae suae inseruere. Alios citat Vaillantius, unum Trajani inscriptum ΓΟΡΤΤC. In alio Hadriani: ΓΟΡΤΤC. ΚΟΙΝΟΝ. ΚΡΗ-ΤΩΝ, et testatur Stephanus, eam serius Γορτυς dictam fuisse.

* * *

Insignem argenteum cum mentione Lupi proconsulis vide descriptum supra in numis Cretae in genere.

AR. RRRR. AE. R.

HIERAPYTNA.

In litore meridionali versus orientem.

Autonomi:

Caput muliebre turritum. ℞ ΙΕΡΑΠΤ. ΙΕΡΑΠΤΤΝΙ. *Aquila expansis alis stans juxta palmam, in area* ΜΕΝΕΣΘΕ. *vel* ΙΜΕΡΑΙΟΣ, *vel* ΑΡΙΣΤΑΓΟΡΑΣ *etc.* AR. I. (Theupoli, Pellerin.)

Typus aquilae cultum Jovis, palma uberem in Creta ejus arboris proventum videtur spectare. Nomen urbis duci a Cretico πυτνα, quod idem esset cum πετρα, probat Chishull [s]).

* * *

Astrum. ℞ ΙΕΡΑ. ΚΑΛΛ. *Palma.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

Singulare tetradrachmum cum typis utrinque Atticis a me olim editum vide supra in moneta Atheniensium. Legitur in hoc magistratus ΖΗΝΟΦΙ. id est: *Zenophilus*, quod nomen exstat quoque in lapide vetere apud Hierapytnam reperto, quem descriptum edidit Donius [t]).

ΤΑΝ. ΔΑΜΑΤΡΑ. ΚΑΙ. ΤΑΝ. ΚΟΡΑΝ. ΑΡΧΕΔΙΚΑ. ΖΗΝΟ-ΦΟΙΛΩ. ΜΕΤΑ. ΤΑΝ. ΠΕΡΙ-ΣΤΑΣΙΝ. ΤΠΕΡ. ΤΑΣ. ΠΟΛΕΟΣ. ΙΔΡΤΣΑΤΟ.

Patet ex ipso hoc numo, male in hoc marmore aut scriptum, aut ex eo lectum ΖΗΝΟΦΟΙΛΩ pro ΖΗΝΟΦΙΛΩ.

AR. RR. AE. RRR.

s) Ant. Asiat. p. 132. t) Inscr. Cl. I. n. 56.

Digitized by Google

Imperatorii.

Argenteum cum capite Divi Augusti, et nomine Lupi procos, et in aversa typo Jovis Cretagenis vide supra in Creta descriptum.

Caligulae bini citantur apud Vaillantium: ΙΕΡΑΠΤΤΝΙΩΝ. Neronis est in Theupoli.

Magistratus. ΕΠΙ. ΑΤΓΟΤΡ., qui etiam est in numo Gortynae. In alio: ΕΠΙ. ΦΛΑΟΤΙΟΤ. Vterque in citatis Caligulae numis.

AR. RRRR. AE. RRR.

ITANVS.

Maritima in ortum.

Caput Palladis. Ϟ ΙΤΑΝΙΩΝ. *Aquila stans, in area nonnunquam mulier in piscem desinens, et s. tridentem tenens.* AR. I. II. III. (Mus. Caes.)

Monstrum in area positum Amphitriten censet Pellerinius. Sed eam in piscem exivisse, vix probaverit. Videtur verius esse una ex Tritonum choro.

* * *

Huc etiam pertinet numus similis ΤΑΝΙΩΤ, quem auctor musei Theupoli ad Cretae urbem *Tanum* adegit [u]), sed excidit litera ἀρχαικά I.

AR. R.

LAMPA, LAPPA.

A veteribus *Lampa*, et *Lappa* in Creta memorantur. *Lampen* habet Polybius, cujus incolas vocat Λαμπαινς [x]), et Dio Cassius [y]). Stephano est Λαμπη, Αγαμεμνονος κτισμα, Λαμπαιος. In Notitia eccles. Λαμπαι. Apud Scylacem: Λαμπαια. Plinius quoque *Lampen* citat, sed Arcadiae oppidum. *Lappen* in eadem Creta constituunt Ptolemaeus, Dio [z]), Theophrastus: ἐν τῃ Λαππαια [a]). Denique in marmoribus habemus ΛΑΠΠΑΙΟΝ [b]), et ΛΑΜΠΑΙΩΝ [c]).

Quaestio a nonnullis agitata, sitne una eademque urbs haec Cretae Lampa, et Lappa. Adfirmant istud, qui Stephanum sequuntur, cujus verba sunt in Λαμπη: Ξενιων δε ἐν Κρητῃ, δια δυο πι γραφει την πολιν τῃν Κρητικῃν. Spanhemius, quod in numis constanter ΛΑΠΠΑΙΩΝ scribi animadvertit, omnem *Lampes* mentionem fastidit, et Stephanum ipsum culpat, cui numorum fidem longe praefert. Dionis vero duplicem lectionem scribarum injuria intrusam adserit, ut adeo unica illi sit Cretae urbs dicta *Lappa* [d]). At praeter Dionis et marmorum testimonium credo posse ex Polybio argui, et Lampen et Lappen in Creta exstitisse. Cum Lyttii, ait [e]), suscepto adversus Cnossios bello omnes suas copias in horum agrum deduxissent, conversos repente Cnossios Lyttum praesidio vacuam occupasse, et incendisse, liberis conjugibusque Lyttiorum Cnossum missis. Reversos mox Lyttios conspecta urbis suae fortuna in Lampaeorum urbem concessisse, atque adeo unius diei spatio fuisse ex-

u) Pag. 1301. x) Hist. L. IV. y) L. LI. z) L. XXXVI. a) Hist. plant. b) Gruter p. 1091. 9. Chishull Ant. Asiat. p. 122. Doni inscr. pag. 206. c) Mabillon Mus. Ital. p. 43. d) T. I. p. 342, et Orb Rom. p. 243. e) L. IV. c. 54.

Digitized by Google

torres urbe sua, et hospites in aliena, ἀπολιδες ἐν ἡμερα μια και ξενοι. Necesse ergo est, hanc Lampen fuisse Lytto vicinam, ut una eademque die se videre potuerint excidisse patria, et facta alio discessione hospites alterius urbis, et cum Lyttus a Ptolemaeo dicatur ultima mediterranearum in ortum, et Lappa inter primas in occidentem, haec Lappam commigratio unius diei angustiis concludi non poterat cum ob unius ab altera distantiam, tum quod per hosticum fuerat eundem, si Lappam meditarentur, quod morae et periculis obnoxium fuerat. Ex quo patet, esse verisimilius, Lampen et Lappen binas fuisse distinctas Cretae urbes. Idem discrimen numorum quoque testimonio videbatur posse confirmari, sed aliter fors cecidit, ut mox dicetur.

Autonomi.

Caput muliebre laur. Ϟ ΛΑΠΠΑΙ. ΣΤΑΩΚΟΣ. *Apollo nudus stans cum lyra.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput Apollinis laur. Ϟ ΛΑΠΠΑΙΩΝ. *Lyra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre laur. Ϟ ΛΑ. *Lyra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput virile. Ϟ ΛΑΠΠΑΙΩΝ. *Tres spicae.* AE. III. (Pembrock.)

Spanhemius numum similem illi, quem primum dedi, ex museo Christinae citat inscriptum ΑΣΤΛ. ΛΑΠΠΑC., quo probat, habuisse Lappam *asyli* jura f). Sed aliud docent numi integerrimi, quos descripsi.

Numum III. solo ΛΑ. notatum edidit quoque Pellerinius, sed perperam Lacedaemonem revocavit. Non modo typi Lappae favent, sed et fabrica, quae in hoc numo Cretica tota est.

Idem Pellerinius huc vocavit numum: ΛΑΜΠΑΙΩΝ. *Caput muliebre turritum.* Ϟ *Aquila volans intra lauream.* AE. III. Cum nullum ipse de numi lectione dubium moveret, effecit, ut alteri simili, sed in quo adrosa fuit epigraphe, in urbis hujus moneta stationem adsignarem g). At serius numos similes integriores nactus facile vidi, nequaquam ΛΑΜΠΑΙΩΝ, sed ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ legendum, et esse utrumque Cassopes Epiri. *AR. et AE. RR.*

Imperatorii.

In adcuratioribus catalogis recensentur Augusti, Domitiani, Domitiae, Commodi. (Vaill. Theup.)

Epigraphe. ΛΑΠΠΑΙΩΝ.

Typus in Augusti numis; *Apollo cum lyra*, ut in autonomis, reliqui variant. *AE. RRR.*

L A S O S.

Hujus urbis unus Plinius meminit, cui numum hactenus unicum olim vindicavi: (Catal. mus. Caes.)

Caput Dianae. Ϟ ΛΑΤΙΩΝ. *Mercurius gradiens cum caduceo.* AE. III. (Mus. Caes.)

f) T. I. p. 662. g) Catal. mus. Caes.

Digitized by Google

ΛΑΤΙΩΝ pro ΛΑΣΙΩΝ Doricum est, ut ΘΑΤΙΩΝ pro ΘΑΣΙΩΝ. In marmoribus saepe Λάτιων ἀ Πολις [h]), quae docent, fuisse Lasios Oluntiis finitimos, qui ipsi siti fuere in littore septentrionali versus ortum.
AE. RRRR.

LISSVS.

A Ptolemaeo in litore meridionali locatur, aliis fere ignota.

Caput muliebre. Ϟ ΛΙΣΙΩΝ. (βυστροφηδόν). *Delphinus, cui insculptae literae* ΑΔ. AE. III.

Singularem hunc numum, et hactenus unicum olim ex museo Caesareo vulgavi. (Num. vet. p. 152.)
AE. RRRR.

LYTTVS.

Mediterranea in ortum, urbs perantiqua, et jam Homero Hesiodoque memorata, et credita Spartanorum colonia, de quo vide plura apud Meursium [i]). Dicta a scriptoribus *Lyctus*, et *Lyttus*. Numi posteriorem modum sequuntur.

Aquila volans. Ϟ ΛΥ. ΛΥΤ. ΛΥΤΤΙΟΝ, *etiam retrograde. Caput apri.* AR. I. III. (Mus. Caes. Pellerin). *Alii typo fere simili.* AE. III. (Mus. Caes.)
Argentei, quos citavi, vetustissimae sunt fabricae, quorum similes Goltzius, quod ΑΚΤΙΩΝ in iis legeret, Actio tribuit. Aenei plerique recentius opus arguunt, et forte omnino numus desiit anno V. C. 534, quo excisa fuit a Cnossiis, ejusque se oppidani cum Lampaeis miscuere, de quo vide dicta in *Lampa*. Polybius, qui haec prodidit, tamen serius attributi Lyttiis agri meminit [k]).

* * *

Caput Mercurii. Ϟ ΛΥ. *Caduceus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. Ϟ ΛΥΤ. *Navis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Altero numo usus sum ad stabiliendam Chersonesi Cretae monetam [l]).
AR. et AE. R.

OAXVS.

Vide supra *Axus*.

OLVS.

In litore septemtrionali in ortum.

Caput Dianae. Ϟ ΟΛΟΝΤΙΩΝ. *Jupiter aetophorus sedens.* AR. I. (Liebe p. 191. Hunter.)

Caput anticae esse Dianae Britomarti dos censet Liebeus, cujus signum a Daedale elaboratum Olunte fuisse Pausanias tradit [m]). Olontii frequenter memorantur in marmoribus Cretensibus, quae recitat Chishull.
AR. RRRR.

PHAESTVS.

Maritima fere in medio litoris Africam respicientis. Vrbs antiqui nominis, condita secundum aliquos a Minoe, se-

h) Chishull Ant. Asiat. i) In Creta L. I. k) Excerpt. leg. c. 45. l) Num. vet. p. 152. m) Boeot. p. 314.

Digitized by Google

cundum alios a Phaesto Herculis progenie, ut dicetur.

[ΕΛΥΑΝ. *(retrograde) Vir nudus sedens d. gallum tenet, inde porta, ut videtur, pone arbor, et superne virgulta dependentia.* ℞ ΦΑΙΣΤΙ. *(retrograde) Bos gradiens.* AR. I. (Mus. Caes. et M. Ducis).

Hercules nudus stans d. clavam, s. exuvias leonis, hinc draco se erigens, inde arbor Hesperia. ℞ *Sine epigraphe. Bos gradiens pedibus laxe colligatis.* AR. I. (Mus. M. Ducis.)

Herculis cum hydra pugna, ad ejus pedem humi cancer marinus. ℞ *Sine epigraphe. Bos cornupeta.* AR. I. (Mus. Caes.)

Hercules stans d. clavam, s. arcum, in arca exuviae leonis. ℞ ΕΛΙΜΤΙΑΩΝ *(retrograde). Bos pedibus colligatis.* AR. I. (Pellerin.)

ΦΑΙΣΤΙΩΝ. *Hercules nudus leonis exuviis insidens, pone praegrandis clava.* ℞ *Bos gradiens.* AR. I. (Pellerin.)

En Phaesti numos maxime illustres, et plerosque remotae antiquitatis. In numo I. censebam aliquando forte exhiberi Idomeneum Minois nepotem, qui revera a Cretensibus pro deo cultus est, et in cujus scuto, quod ejus signum manu tenebat, pro insigni fuisse gallum gallinaceum ex Pausania docui [n]). Herculem in Phaesti moneta saepe proponi, nequaquam mirum, quod, ut dixi, condita ferebatur a Phaesto Herculis nepote auctoribus Stephano, et Eustathio. At Pausanias Herculis filium facit, qui omisso Sicyonis regno in Cretam navigavit [o]). Herculis cum hydra pugna res est in veterum artefactis obvia, at non perinde adstitutus Herculis pedi cancer marinus, quem praeterea sistit numus III., et cujus causam suppeditat Apollodorus, narrans [p]), cancrum eo in certamine hydrae admorso Herculis pede opem tulisse. [ΕΛΥΑΝ et ΕΛΙΜΤΙΑΟΝ, etsi vocabula peregrinae Graecitatis, esse nomina magistratuum, mihi facile persuadeo. Bos partis aversae haud dubie laeta pascua indicat, praecipue quod frequenter ejus pedes laxius colligati comparent, quod factum, ne a grege latius aberret. Revera Festus Avienus Phaestum *sola propter pinguia* commendat [q]).

* * *

Vir nudus praegrandibus alis instructus gradiens utraque manu globum jactat. ℞ ΦΑΙCΤΙΩΝ. *Lupus gradiens.* AE. II. (Pellerin, Theupoli.)

Quem utriusque faciei typus sensum includat, libenter ab alio edoceri me patiar.

* * *

Sunt in museo Caesareo, et apud Pellerinium complures argentei inscripti ΦΑ, et typo tridentis. Hos ut jubente fabrica certum est esse Cretenses, sic aeque decidi nequit, an non ad aliam aliquam Cretae urbem sic incipientem pertinerint,

n) Num. vet. p. 154. o) L. II. c. 6. p) Bibl. L. II. c. 4. §. 2. q) Descript. orb. v. 133.

Digitized by Google

et forte ad Phalasarnam, cui etiam similes tribuit Combius, aut ad sequentem Phalannam, aut aliam hujus initii. Quo magis dubitari potest, utrum ad hanc urbem pertineant aenei, in quorum aversa praeter solum Ϸ nulla alia legitur litera, quorum binos offert Pellerinius.

AR. R. AE. RRR.

PHALANNA.

Abbas Sestinus vulgandis numis anecdotis musei Ainslieani praeclare de arte nostra meritus sequentem etiam numum insignem nobis obtulit. (Lettere T. III. p. 145.)

Caput imberbe tectum corona fastigiata. Ʇ ΦΑΛΑΝΝΑΙΩΝ. *Duo pisces marini situ parallelo, quos inter dimidium animal mihi ignotum.* AR. I.

Oblatus oculis meis numi hujus iconismus me continuo Cretae admonuit. Corona fastigiata ceu in numis Tylissi, pisces situ parallelo dispositi, et quae alia modum monetae Cretensis eloquuntur, qui magis oculis percipitur, quam verbis potest explicari. At enim frustra sic ratiocinabar, nisi praeter notam Thessaliae Phalannam etiam de altera Cretae constaret. Haec animo versantem sublevavit testimonium Stephani, qui laudata Thessaliae Phalanna continuo subjicit: *Est etiam altera Cretae*, addita etiam altera peristasi, *ex qua fuit Phaniades peripateticus.* Fuit ergo in utraque regione urbs ejusdem nominis, quemadmodum fuit Phaestus et Thessaliae et Cretae urbs. Adversus Phalannam Thessaliae et illud pugnat, quod pars aversa exhibet pisces maris incolas cum tamen mediterranea fuerit, et satis a mari remota.

AR. RRRR.

POLYRHENIVM.

Versus litus occidentale.

Autonomi.

Caput Jovis laur. Ʇ ΠΟΛΤΡΗΝΙΩΝ. ΧΑΡΙΣ - - *Caput bovis cum infula.* AR. I. (Mus. Caes. Pellerin, Pembrock.)

Videtur typus eo adludere, quod narrat Suidas, Cretenses apud hanc urbem sacra facere esse solitos.

* * *

ΠΟΛΤΡΗΝΙΩΝ. *Caput bovis cum infula.* Ʇ ΠΟΛΤΡΗΝΙ. *Pilum hastae.* AR. II. (Mus. Caes.)

Sunt etiam in museo Caesareo aenei cum iisdem typis, quos inter unus tam fabrica, quam litterarum forma adeo insigniter barbarus, ut mirum videri possit, artem unquam in Creta tam turpiter prolapsam.

* * *

Protome Dianae adversa. Ʇ ΠΟΛΤΡΗΝΙΩΝ. *Vir nudus gradiens d. extenta, s. hastam transversam gestat.* AR. III. (Mus. Caes.)

Apud Polyrhenium stetisse Dictynnae fanum narrat Strabo.

AR. AE. R.

Imperatorii.

Insignem argenteum cum capite D. Augusti, Jove Cretagene, et Cornelio Lupo

Digitized by Google

procos. vide supra in numis Cretae in genere.

ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΓΕΡΜΑ--- *Caput Caligulae laur.* ΣΙΓΕΡΜΑΝΙ---ΟΤΡΙΝΩ. ΠΟΛυεηνιοι. *Caput Germanici laur.* AE. III. (Mus. Com. Vitzai.)

Explendum: ἐπι ἀυγΟΤΡΙΝΩ, nimirum Minucio Augurino, quem habent quoque numi Gortynae, et Hierapytnae.

ΠΟΛΤΡΗΝΙΩΝ. *Fluvius decumbens*, in numo Trajani. (Pellerin.)
AR. et AE. RRRR.

PRAESVS.

Mediterranea in ortum. Straboni dicitur *Prasus*, sed quod corrigendum cum ex auctoribus aliis, tum numis.

Neptunus sedens d. delphinum, s. tridentem. Σ ΠΡΑΙ. *Bos cornupeta.* AR. I. (Pellerin)

Caput muliebre. Σ ΠΡΑΙΣΙΩΝ. *Bos cornupeta, superne flos.* AR. I. (Mus. M. Ducis a me editus Num. vet.)

Caput Apollinis. Σ ΠΡΑΙΣΙΣ. *(sic.) Dimidius caper silvestris, et pilum hastae.* AR. (Pembrock.)

* * *

Caput Apollinis. Σ ΠΡΑΙCΙΩΝ. Π. *vel* ΠΟ. *Fulmen.* AE. III.

Hujus similem primus edidit Liebeus [r]) at Pellerinius binis locis eum Poemanenis Mysiae restituendum monet [s]). Perperam, nam ejusdem numi bina exempla integerrima exstant in museo Caesareo, et Liebeum absolvunt. In simillimo, sed minus integro, Froelichius legit ΠΡΑCΙΩΝ, eumque adeo Prasiis Laconicae tribuit [t]), sed restituendus nostrae Praeso. Huic similem editum etiam vide in Pembrock [u]).
AR. RRR. AE. RR.

PRIANSVS.

Autonomi.

ΠΡΙΑΝΣΙΕΩΝ. *Neptunus stans d. tridentem tenet, vel d. delphinum, s. tridentem.* Σ *Mulier sedens dexteram versus serpentem extendit, pone palma.* AR. I. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput muliebre. Σ ΠΡΙΑΝΣΙΕΩΝ. ΠΡΙΑΝCΙΩΝ. *Palma inter gubernaculum et delphinum.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Vrbem hanc scriptorum nullus diserte memorat. Ejus tamen vestigia reperio apud Stephanum: Πριαισος πολις Κρητης, pro quo certe legendum Πριανσος. Enim vero numos, quos citavi, ad Cretam pertinere, fabrica Cretensis, quae adsuetum oculum vix fallit, aperte monet. Sed neque numi soli Priansum in Creta stabiliunt, nam et in marmoribus, quae restituit Chishull [x]), ejus luculenta fit mentio: Πριανσιων τοις κοσμοις — ἐν Πριανσιῳ — Πριανσιεις — Πριανσιοι praeclare secundum numos. Fuisse vicinam Hierapytnae, colligitur ex foedere inter hanc et Priansum constituto, quod legitur locis citatis, tum et inter marmora Oxoniensia num. III.

In collocandis his numis varie ab eru-

r) Goth. num. p. 194. s) Rec. II. p. 57, et III. p. 71. t) Not. elem. p. 107.
u) P. II. tab. 25. x) Ant. Asiat. p. 122. 129.

Digitized by Google

ditis erratum. Priorem Froelichius Prienensibus Ioniae tribuere non dubitavit y). Wildius, et Panelius, cum in similibus legerent vel ΠΡΙΑΠΕΙΩΝ, vel ΠΡΙΑΝΕΙΩΝ, eos vel Priapum Hellesponti, vel Prienen Ioniae extorres fecere, ut jam monuit Pellerinius z).

AR. RR.

In *imperatorio* Hadriani, quem citant Vaillantius et Harduinus, promulgatur epigraphe ΠΡΙΑΠΕΩΝ typo delphini et gubernaculi, quem etiam in autonomis existere dictum. Jure epigraphen in dubium vocat Pellerinius a), videturque hic numus aequa lege Priansum revocandus.

RHAVCVS.

Mediterranea, secundum Stephanum in medio insulae.

Neptunus nudus stans s. equum retinet, d. tridentem. Ʃ PATKION. (βυστροφηδον) *Tridens.* AR. I. (Mus. Caes.)

PAT. PATK. *Tridens, vel navis.* (Mus. Caes.)

AR. RRR. AE. RR.

RHITHYMNA.

Maritima in latere insulae septentrionali, olim parum cognita, hodie illustrior nomine *Retimo.*

Caput Palladis. ƩPI. *Trideus*, vel: PIΘT. *Duo delphini.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numis his hactenus ignotis certam olim in hac insula stationem adsignavi b).

AE. RR.

SAXVS.

Numi huic Saxo tributi, sunt verius Axi ejusdem Cretae, quam vide.

AE. R.

SYBRITIA.

Hujus oppidi nomen varie a veteribus proditur, at exarandum esse *Sybritia*, docet monumentum a Chishullio productum, in quo ΣΥΒΡΙΤΙΩΝ. Α. ΠΟΛΙΣ, et infra: ΕΞΥΒΡΙΤΙΑΣ c), quod postremum positum est pro: ΕΚ. ΣΥΒΡΙΤΙΑΣ, qui contrahendi modus, etsi non obvius, tamen et alibi occurrit. Sic in marmore Prienes Joniae, quod exhibet Chandlerus d), legas:

Τιγωδης Φιλιος, Κυπριος γενος, ἐξαλαμινος Τιος κ. τ. λ.

Dormitans Philius, Cyprius genere, ex Salamine Filius etc.

ubi habes ἐξαλαμινος pro ἐκ Σαλαμινος, nempe ex Salamine Cypri urbe. Commonere istud necesse visum, quod hanc contrahendi rationem non satis video eruditis cognitam; nam et Chandlerus, vir sane eximius, vertit: *Hexalaminis filius.* Eadem lex numis quoque stabilitur. Ptolemaeo est mediterranea circa Lappam.

ΣΥΒΡΙΤΙΩΝ. *Mercurius nudus stans d. pateram, s. caduceum.* Ʃ *Bacchus Indicus seminudus sedens d. dioisam, s. thyrsum.* AR. I. (Pellerin Additions p. 22).

Bacchus panthera vectus s. thyrsum. Ʃ ΣΥΒΡΙΤΙΩΝ. *Mercurius pedem saxo impositum calceat, in area caduceus.* AR. I. (Hunter.)

y) Cim. Vindob. p. XXXIV. z) Rec. III. p. 71. a) L. c. b) Num. vet. p. 155. c) Ant. Asiat. p. 113. d) Inscr. ant. p. 13.

Digitized by Google

Caput Bacchi hedera coronatum, pone botrus. ℞ ΣTBPITIΩN. *Mercurius nudus stans d. oblongum caduceum.* AR. I. (Hunter.)

Caput Bacchi Indici barbatum et hedera redimitum. ℞ *Sine epigraphe. Caput Mercurii pileatum, prae quo caduceus.* AR. I. (Hunter in incertis tab. 66. n. 28.)

Dubitare possis, utrum Creta perfectius quidquam ab artis commendatione dederit. Adeo in his numis eximia omnia, etsi numus primus sit remoti aevi, et oppidum ipsum parum cognitum. Omnes Bacchi et Mercurii cultu occupantur. Postremum, etsi anepigraphum, huc pertinere, collati alii invicte docent.

* * *

Caput Jovis, in aliis: *Mercurii.* ℞ ΣTBPITIΩN. *Delphinus.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin).

Similem primus vulgavit Maffeius [e]), addidit alium Pellerinius, tertium ego ex gaza Caesarea [f]).

AR. RRR. AE. RR.

TANOS.

Vrbs praeter Stephanum a nemine laudata.

Caput Jovis. ℞ TANOΣ. *Aquila stans.* AE. III.

Nisi Pellerinio hujus numi praeconi accidit, quod auctori musei Theupoli, quem legisse TANIΩN pro ITANIΩN supra diximus, habemus numum Stephani testimonium confirmantem, quanquam illud et Holstenio suspectum visum est, qui pro Ταvος legendum Ιταvος existimat.

AE. RRRR.

TEGEA.

Autonomos varios Pellerinius huic Cretae Tegeae muneratus est. Ego verisimilius hos omnes Tegeae Arcadiae restituendos supra in hujus urbis numis dixi.

THENAE.

Vrbs Stephano et Callimacho inter Creticas urbes memorata.

Numi inscripti ΘΕNEΩN nimis obiter meminit Holstenius ad Stephanum p. 134.

TYLISSVS.

Caput muliebre cinctum corona floribus distincta. ℞ TTΛIΣION *(retrograde) Vir nudus stans d. caput caprae silvestris, s. arcum.* AR. I. (Mus. Caes.)

Numum hunc post Liebeum alii omnes Tyli Thraciae urbi obscurae dederunt. At cum numos similes omnes, quotquot in variis museis viderim, Cretensis esse fabricae facile agnoscerem, malui eos Tylisso Cretae vindicare, cujus nomen in Plinio et Solino valde corruptum multo olim labore integrum, sanumque restitui [g]). Nonnullos hujus urbis numos vidi de fraude omnino suspectos, ac praecipue aeneos, quorum unus etiam exstat in gaza Caesarea, et suspectos similes in utroque metallo sibi oblatos

---

e) Ant. Gall. p. 116. f) Num. vet. p. 156. g) Num. vet. p. 156.

Digitized by Google

testatur Pellerinius [h]). Adverte praeterea, omnes hujus urbis numos inscribi TTΛΙΣΙΟΝ, et deceptum videri Liebeum, qui unus in suo vidit TTΛΙΣΙΟΜ, quo praeconio inductus Minervinus, cum terminatio in OM propria sit urbium Italicarum, numos similes Telesiae Campaniae tribuendos putavit [i]).
AR. RR.

EVBOEA.

Secundum Cretam in hoc mari insula maxima.

Communi insulae nomine sunt:

ET. ETBO. ETBOIEΩN, in Pelleriniano etiam ETBOT. Typi: *Caput bovis cum, vel sine infulis, bos gradiens, vel cornupeta*, qui typi ad nomen insulae adludunt; etiam *navis etc.* Sunt in museo Caesareo, apud Pellerinium, aliosque.

* * *

Numos aeneos III. formae, in quorum antica est: *Columba addito nonnunquam* ΣI. ⊼ ET. *intra lauream*, quos alii Euboeae, alii Siphno largiti sunt, esse Sicyonis Peloponnesi mavult Sestinus [k]).
AR. AE. RR.

AEDEPSVS.

Autonomus AIΔHΨIΩN apud unum Goltzium. (in Graecia).

CARYSTVS.

Autonomi.

KAPTΣTIΩN. *Gallus stans.* ⊼ *Bos vitulum lactans.* AR. I. (Mus. Savorgnan.) *Caput Herculis leonis exuviis tectum.* ⊼ KAPT. *Bos jacens, in area tridens, vel clava.* AV. III. (Mus. Caes.) AR. III. (Mus. Savorgnan). In alio: *Caput bovis cum infulis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput bovis. ⊼ KAP. *Duae palmae.* AR. III. (Mus. Caes. Gradenigo).

Caput Neptuni. ⊼ KAPTΣTIΩN. *Tridens, cui implexus delphinus* AE. III. (Hunter).

Caput bovis. ⊼ K. *tantum.* AE. III. (Mus. Caes. Hunter).

Priores tres olim edidi, et animadversionibus illustravi [l]), erantque hi primi certi hujus urbis numi, nisi velis et certis adnumerare aureum Goltzii, qui hinc *caput Mercurii*, illinc *gallum* offert, praecipue cum gallus quoque numum ex citatis primum insideat.

Eodem loco typos numi I. liberaliter explicavi. En compendio: Carystios bovem aeneum dedicasse Apollini ob victoriam Medicam, nimirum quod propter hanc permissum paterna rura libere bobus suis exercere, narrat Pausanias [m]).

---

h) Additions p. 74. i) De monte Vulture p. 201. k) Lettere T. I. p. 49, et p. 151.
l) Num. vet. p. 160, et Sylloge I. p. 30. m) L. X. p. 835.

Digitized by Google

Atque eodem consilio Plataeenses quoque dedicasse Apollini buculam, idem perhibet n). Galli typus videtur allegoricus; nempe pugnax est istud animal, ac cumprimis cum de sterquilinio suo agitur, quo Carystiorum virtus in pellendis Persis, qui laribus suis imminuere, videtur innui, qua de causa etiam constitutus apud Athenienses ἀγων ἀλεκτρυονων, *gallorum certamen*. Adde, creditum gallum in ipsos olim Persas exercuisse imperium, quapropter et dictus fuit Περσικος ὀρνις, *Persicus ales* o). Adludere etiam potest ad vetus adagium, cujus meminit Plutarchus p): ὁτι τους ἐν εἰρηνῃ καθευδοντας ὐ σαλπιγγες, ἀλλ' ἀλεκτρυονες ἀφυπνιζουσι, *in pace dormientes non a tubis, sed gallis e somno excitari.*

* * *

Numum Arigonii cum praetensa epigraphe ΚΑΡΙΣΤΙΩΝ esse Cnossi Cretae, in hujus numis monui.
AV. RRRR. AR. et AE. RR.

Imperatorii.

Proditi sunt cum capite Trajani, et Antonini. (Mus. Caes. Vaill.)

Epigraphe: ΚΑΡΤΣΤΙΩΝ.

In Antonini quoque numo typus est gallus.

* * *

Mamaeae numum inscriptum ΚΑΡΤ-ΣΤΙΩΝ. ΝΑΤΑΡΧΙ. unus Harduinus, et perfunctorie citat, quin typum, aut museum manifestaret.
AE. RRR.

CERINTHVS.

Autonomus ΚΗΡΙΝΘΙΩΝ apud Goltzium.

CHALCIS.

Insulae totius facile princeps, sita ad Euripum.

Autonomi.

Caput Apollinis. Ϟ ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *addito magistratu, ut:* ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΩ-ΡΟΤ *etc. Lyra.* AV. (ex museo M. Ducis a me editus in Num. vet. p. 161.) AR. I. II. III: (Mus. Caes. Pellerin).

Caput muliebre. Ϟ ΧΑΛ. *(etiam retrograde).* ΧΑΛΚΙ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *Aquila serpentem, rarius leporem depascens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre adversum margaritis profuse ornatum. Ϟ ΧΑΛΚΙ. ΣΩΣΙΠΑ. *Prora navis.* AR. III. (Mus. Caes.)

Sunt hi nobiliores hujus urbis numi, ex quibus maxime obvii, quos secundo loco descripsi. Caput numi III. esse Junonis, patebit ex iis, quae in imperatoriis dicentur.

* * *

Caput Neptuni cum tridente. Ϟ ΧΑΛΚΙ-ΔΕΩΝ. *Templum distylum, intra quod lapis conoidicus,* AE. III.

---

n) L. X. p. 833. o) Aristoph. in Avib. v. 483. p) in Nicia cap. 9.

Digitized by Google

Nulla satis probabili ratione Pellerinius numum hunc Chalcidi Syriae tribuit q). Observandi Neptuni plus rationis habuit haec Euboeae urbs ad Euripum posita, tremoribus et procellis, ut testatur Strabo, misere obnoxium.
AV. RRRR. AR. C. AE. R.

Imperatorii.

Huc vocandi videntur sequentes:
ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *Caput Augusti.* ℞ *Caput muliebre turritum.* (Pellerin).
ΕΠΙ. ΚΛΑΥ. ΕΤΘΥΚΛΙ. ΧΑΛ. *Caput muliebre turritum*, in numo Neronis. (Pellerin).
ΗΡΑ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *Juno rupi insidens d. pateram, s. hastam*, L. Veri. (Mus. ill. com. Vitzai in meis Num. vet. p. 162. Neumann).
ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *Caput muliebre ornatum*, Severi, (Theup.)

Pellerinius et auctor musei Theupoli numos suos, quos hic descripsimus, Chalcidi Syriae sunt largiti. Sed enim aut nulla est ratio, cur huic Chalcidi sint adimendi, aut sunt variae, cur illi permittendi. Numos Augusti, et Neronis vix esse posse Chalcidis Syriae, argumento est etiam, quod eorum aetate, et usque ad Vespasianum satis constet, Chalcidenen variis regibus paruisse, ut videre est apud Norisium r). Numos duos postremos huc pertinere, eo etiam probatur maxime, quod ex iis abest το ΦΛ. seu praenomen *Flaviae*, quo Chalcis Syriae inde a Vespasiano in numis uti consuevit.

Juno in numo Veri diserte notatur addito ΗΡΑ. Et fuisse Junonem magnis apud hanc urbem adfectam honoribus, ipsi etiam autonomi probant, in quibus ex margaritarum luxu haec deorum regina facile agnoscitur, praecipue cum eundem cultum in numis Plataearum quoque non longe trans fretum dissitarum praeferat. Nescio, utrum satis evincat cl. Neumannus, hos Veri numos inscriptos ΗΡΑ potius Chalcidi Syriae esse tribuendos s).
AE. RR.

ERETRIA.

Haec quoque nobilis hujus insulae urbs.
Caput Dianae cum pharetra. ℞ ΕΡΕΤΡΙΕΩΝ. ΦΑΝΙΑΣ. *vel:* ΧΑΡΙΔΑΜΟΣ *etc. Bos jacens.* AR. I. II. (Mus. Caes. Pellerin, Hunter.)
Caput simile. ℞ ΕΡΕΤΡΙΕΩΝ. ΑΜΦΙΝΙΚΟΣ *vel cum aliis magistratus nominibus. Duo botri pendentes.* AR. III. (Mus. Caes.)
Caput Palladis. ℞ ΕΡΕ. *Diana gradiens arcum tendit.* AE. III. (Hunter.)

Offert antica caput Dianae Amarynthidis apud Eretrienses celebratae, et sic dictae a vicino pago Amaryntho, de quo vide Strabonem t), et Livium u). Etiam Aelianus Eretriensium Dianam citat, sed eam vocat Εμβεϊνθον x), pro quo legendum item videtur Αμαρυνθιον.

Eretrienses Jovi Olympio dedicasse bo-

---

q) Boc. II. p. 210. r) Epoch. Syrom. p. 272. s) Num. pop. P. II. p. 70. t) L. X. p. m. 448. u) L. XXXV. c. 38. x) Nat. anim. L. XII. c. 34.

Digitized by Google

vem aeneum auctor est Pausanias. Vide, quae de similibus donariis in numis Carysti mox notavimus.
AR. RR. AE. RRRR.

HISTIAEA.

Fuisse urbem εὐδαίμονα, comprobant numi insignes.

Caput Bacchae racemis redimitum. Ꜩ ΙΣΤΙΑΙΕΩΝ. *Mulier prorae navis insidens s. velum explicatum tenet.* AR. m. m. AR. III. *In his nonnunquam epigraphe retrograda.* (Pellerin. Mus. Caes.)

Caput simile. Ꜩ ΙΣΤΙ. *Bōs stans, retro vitis.* AR. III. AE. III. (Mus. Caes.)

Typum Bacchae et vitis explicat Homerus, cum urbem vocat: πολυσταφυλον Ϝ' Ἱστιαιαν, *et uvis abundantem Histiaeam.* At mulierem partis aversae eam puto, de qua Eustathius ad citatum versum Homeri y): καὶ ἑτερα δε Ἱστιαια ἀρχαια ἡρωις θυγατης Τριοπος, ἀφ' ἡς ἡ πολις ὠνομασται, *et alia quaedam Histiaea vetus heroina Hyrici filia, a qua urbs nomen accepit.* Confirmare istud videtur velum latius, et ad ostentationem extentum, nam velum Graecis ἱστιον tam ad heroinam, quam nomen urbis adludit.

Exstant etiam aenei typo non multum absimili.

* * *

Huc etiam Pellerinius, aliique traxere aeneos ΙΣ. typo capri, quos esse Issae insulae Adriatici, in hac demonstravi.
AR. C. AE. RR.

STYRA.

Concha. Ꜩ ΣΤΥ. *Aquila insistens fulmini.* AE. III. (Hunter.)

Sunt bini similes in museo Caesareo, sed quos ex fabrica et typis Graeciae M. partus potius agnosco.

INSVLAE AEGAEI MINORES EVROPAEAE.

Hoc titulo comprehendimus parvas Aegaei maris insulas, quas geographi Europae adhuc accensent, et quarum pleraeque inter Cyclades et Sporades referuntur.

AMORGVS.

Sporadum una, Naxo vicina.

Caput Apollinis laur. Ꜩ AM. *Sphaera tripodi imposita.* AE.

Numum hunc ex museo suo promulgavit Pellerinius, addito, a Goltzio jam fuisse editum z). Verum in Goltziano plene scribitur AMOΡΓΙΝΩΝ a), quanquam juxta addatur, alter inscriptus item AM. sed typo spherae et circini. Praeterea Goltzius ex binis suis numis unum aureum, alterum argenteum profitetur, at suum Pellerinius aeneum b). Verius istud, nam minorum Archipelagi insularum paucos

y) Il. B. v. 537. z) Rec. III. p 27. a) Insul. tab. XXII. b) Rec. III. p. 266.

Digitized by Google

habemus argenteos, aureum certum hactenus nullum. Sed satis constat, non defuisse Goltzio artem multis anxie quaesitam, vile aes in nobile metallum convertendi.

AE. RRRR.

ANDRVS.

Cycladum una, Bacchi cultu celebris.

Autonomi.

Caput Bacchi hedera coronatum. ℞ ANΔP. ANΔPI. *Thyrsus, vel panthera.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Mulier stans d. - - - s. hastam. ℞ ANΔPI. *Diota.* AE. III. (Mus. princ. de Waldeck.)

Sunt hi insulae hujus numi certi. Verum ab eruditis variis ei numi tributi sunt, qui aliorsum sine dubio sunt vocandi. Chiffletius, ut est apud Spanhemium [c]), binos vulgavit, quorum unum cum epigraphe ANΔPIΩN jure sibi vindicat Apollonia Illyrici, ut jam observavit Spanhemius ipse. Alter neque typi causa, neque inscriptionis, qua caret, huc referri potest. Aeneum edidit Pellerinius, quem huic Andro largitur: ANΔPΩN. *Fulmen.* Ejus gentile constans fuit Ανδριος juxta scriptores omnes, atque etiam, ut vidimus, numos. Videtur ergo το ANΔPΩN esse magistratus, ut Ανδρων Tejus memoratur scholiastae Apollonii Rhodii [d]). Aureus ANΔPIΩN typo hinc Palladis, illinc bovis ad aram stantis uni, quod sciam, notus fuit Goltzio.

Typi Bacchum praedicant, cui sacra insula. In ejus templo quotannis Nonis Januariis fontem vini sapore fluxisse, narrat Plinius [e]).

AE. RR.

Imperatorium.

Antonini obiter recitat Harduinus sine mentione typi. *Epigraphe*: ANΔPIΩN.

CEOS vel CEA.

Versus Sunium Atticae promontorium. Numos habemus non modo nomine insulae, sed etiam duorum oppidorum in hac sitorum *Carthaeae* et *Julidis*, quos continuo subjiciam.

Autonomi.

Caput barbatum laureatum, in aliis *quasi radiatum*, in aliis: *Caput imberbe.* ℞ KE. KEΩN. KEI. KEIΩN. *Canis dimidius intra radios.* In aliis videtur esse: *Equus dimidius.* AE. III. (Pellerin, Khell Adpendic. II. Mus. Caes.)

Communem typum mox in Carthaea videbimus. Eum Khellius erudite ac apposite ad Aristaeum Apollinis et Cyrenes filium refert, de quo copiosa, quae huc valere possunt, jam dedi in meis Numis vet. (Pag. 108.) Quod vero propius huc pertinet, est, quod narrat Diodorus [f]), Aristaeum, cum in Cea degeret, Graeciam peste laborantem liberas-

---

c) Tom. I. p. 209. d) Ad. L. II. v. 354. e) L. II. §. 106, et L. XXXI. §. 13.
f) L. IV. p. 324.

Digitized by Google

se. Ampliorem lucem adfundit Apollonius perhibens g), Aristaeum in communi illa lue in Cea insula sacra fecisse Jovi et Sirio astro, ut Etesiarum ope aeris salubritas restitueretur; addit interjectis aliquibus, hodie quoque Ceos sacerdotes ante Canis, nempe Sirii, exortum vota concipere, quod et confirmat Cicero h). Igitur caput seu barbatum seu imberbe haud dubie est ipsius Aristaei, neque haec varietas officit, nam idem Aristaeus jam Juppiter, jam Apollo habitus est, ut docet Athenagoras i), et jam alias ex Pindaro ostendi k), uti quoque, fuisse eum per Graeciae urbes instar dei cultum, et quidem Αγεως nomine, et huic hoc nomine signatos in Corcyra numos. In cane autem posticae possumus intueri ipsum Sirium, seu Caniculam, qui radiis ambitur, nimirum quia astrum est, secundum quod explicari etiam debet astrum, quod occupat aversam numorum Carthaeae. Caput Sirii radiatum habes etiam in gemma, opere Caji, quam sistunt Natterus l), et Worlidge m).

* * *

Numum ΚΕ. ΤΡΙΠΟΡΙΟΣ a Pellerinio inique huc vocatum vide in Thebis Boeotiae.
AE. RR.

Imperatorii.

Huic insulae in museo Theupoli tributi sunt Cii Bithyniae.

CARTHAEA.

Ejusdem insulae Ceae urbs.

Caput laureatum barbatum, in aliis imberbe. Ϟ ΚΑΡ. ΚΑΡΘΑ. ΚΑΡΘΑΙ. *Canis dimidius intra radios, in aliquibus juxta apis.* AE. III. (Khell Adpendic. II. Pellerin.)

Caput juvenile laur. Ϟ ΚΑΡΘΑΙ. *Astrum.* AE. III. (Ibid.)

Caput Bacchi hedera redimitum. Ϟ ΚΑΡΘΑ. *Botrus, juxta astrum.* AE. III. (Ibid.)

Horum explicatio numorum ex prioribus petenda. Notanda praeterea in his apis. Praeclare istud ad Aristaeum, qui passim auctor mellificii est habitus, ut alibi ostendi n).

Pellerinius et Khellius primi huic Carthaeorum monetae lucem adfudere, quae hactenus non quidem ignota fuit, sed aliorsum injuste aversa; nam binos edidit Haymius o), at cum in iis legeret ΚΑΡΡΑΣ, eos Carrhas in Mesopotamiam traduxit. Alium cum botro et astro protulit Arigonius lecto ΑΡΠΑ, quo errore eum Harpasae Cariae urbi proprium dedit.
AE. RR.

JVLIS.

Haec quoque Ceae urbs.

Autonomi:

Caput laureatum barbatum. Ϟ ΙΟΥΛ. *Apis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Dubium non est, caput hujus num esse Aristaei, ad quem refertur apis po-

g) Argon. L. II. v. 500. h) De Divinat. L. I. c. 57. i) Legat pro Christ. k) Num. vet. l. c. l) Traité p. 27. m) Num. 1. n) Num. vet. p. 106. o) Tom. II. p. m. 141.

Digitized by Google

sticae, nam eum in Cea reperisse mellis usum, jam ante ad numos Carthaeae monui. Similis huic, sed in cujus antica est caput nudum imberbe, est apud Pellerinium p), item alius apud Hunterum cum capite Herculis.
AE. RR.

Imperatorium

M. Aurelii inscriptum IOΤΑΙЄΩΝ typo Neptuni, editum a Froelichio q) Pellerinius putat hujus esse urbis r), sed quem esse Juliae Phrygiae, in hac dicetur.

CIMOLIS.

Cycladum una.

Caput Palladis. Ϫ ΚΙΜΩΛΙ. *Tridens.* AE. III.

Vnicus hic ex Pellerinio cognitus. Sed forte etiam huc pertinet sequens:
Caput Mercurii. Ϫ ΚΙΣΩ. *Delphinus.* AE. IV. (Pembrock P. II. tab. 14.) Nimirum scripto forte ΚΙΣΩ pro ΚΙΜΩ.
AE. RRRR.

CYTHNVS.

Cycladum una.

Caput Apollinis. Ϫ ΚΤΘΝΙ. *Lyra.* AE. III. (Pellerin, Hunter.)

Caput muliebre. Ϫ ΚΤΘΝ. *Balaustium.* AE. III. (Pembrock.)

Goltzius cum argenteos, tum aeneos prodidit, in quibus epigraphe ΚΤΘΝ. ΚΤΘΝΙΩΝ. In horum omnium aversa est canis stans, et in uno supra canem quiddam rotundum, quod Begerus caseum Cythnium summe laudatum censet s), quam sententiam suo calculo adprobat Winckelmannus t). At aliud dicunt numi alii a variis editi. In argenteo Pellerinii juxta canem stantem, supra quem similis clypeolus, legitur ΗΛΙΕΙΕ., et dubitat ipse vir eruditus, an non Cydoniae potius sit restituendus. In aeneo musei Caesarei stat canis intra IV. annulos eadem linea situ omnes perpendiculari collocatos, sed nulla adstituta epigraphe. Princeps Turris Muciae id genus numos, etsi anepigraphos, in Segestanis Siciliae numerat, jure, nam in horum aliis adscriptum urbis nomen.
AE. RRR.

DELVS.

Cycladum notissima ob Apollinis et Dianae natales. Ejus historiam et monumenta late descripsit Dorvilius in Observationibus Crit. mox citandis.

Autonomi.

Caput Apollinis. Ϫ ΔΗ. *Lyra.* AR. III. (Pellerin.) AE. III. (Mus. Caes.) *adstituto etiam cycno.* AE. III. (Hunter.)

Sunt hi soli certi hujus insulae numi. Aliorum esto judicium, utrum parem fidem mereantur Goltziani: ΔΗΛΙΟΤ. ΔΗΛΙΑΣ. ΔΗΛΙΩΝ. typis *Apollinis solis*, et *Dianae lunae.* Aenei cum tribus astris et totidem lunulis, quos Goltzius

---

p) Suppl II. tab. VIII. n. 9. q) IV. Tent. r) Rec. III. p. 49. s) Spicil. antiq. p. 29. t) Pierr. grav. de M. Stosch p. 73.

Digitized by Google

et Arigonius Delum comportant, sunt Veliae Lucaniae, et esse Deli non posse, ipsi globuli adstituti abunde loquuntur.
AR. et AE. RRRR.

Imperatorii.

Horum cum nullus cognitus esset, erat Pyrrhus Ligorius, ut nos docet Holstenius [u]), qui horum plures possedit, et quidem Antonini cum lepida capitis epigraphe: ANTΩN. POMTΛOT. BACIΛЄΩC. Σ KOINON. ΔHΛIATΩN. *Romulus et Remus lactentes.* Alium Aurelii et Commodi, in quorum aversa: MANTEION. ΔHΛIATΩN. NЄΩKOPΩN. *Templum monti impositum etc.* At nimio cognitum, nullam in re numismatica esse Ligorii fidem, quam et ipsa ejus numorum descriptio elevat, et satis incaute Holstenius ex his probat, etiam Δηλιατης fuisse Deliorum gentile, quod ignoraverit Stephanus. Vide ineptos hos numos laxius, quam meruerunt, reprobatos in Miscell. Observat. critic. Amstaelod. 1736 p. 86.

I O S.

Sporadum una.

Autonomi.

Caput muliebre laureatum. Σ IH. *Ancora.* AE. III. (Pellerin.)

Simillimum aversae typum habes in numis Abydi.

* * *

Caput Bacchi Indici. Σ IHT. *Palma.* AE. III. (Pellerin.)

Apposite ad hunc typum Plinius et Stephanus, adfirmantes, hanc insulam et *Phoenicen* fuisse vocatam.

* * *

OMHPOC. *Caput laureatum, in aliis diadematum.* Σ IHTΩN. *Pallas stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus hinc ara ignita, illinc clypeus.* In aliis: *Pallas hastam vibrans.* In aliis: IHTΩN *intra lauream.* (Mus. Caes. Pellerin.)

Fuit Ietis Homeri in numis signandi gravis ratio; nam teste Strabone sepultus erat in hac insula, et secundum Stephanum, et Pausaniam [x]) ejus mater hinc fuit oriunda. Plutarchus in fortunae casibus putat [y]), δυειν ὁμωνυμων τοις ἐυωδεστατοις φυτοις πολεων, Ιε και Σμυρνης, τον ποιητην Ομηρον ἐν μεν γενεσθαι λεγουσιν, ἐν δ' ἀποθανειν. *Cum duae essent urbes ejusdem cum plantis fragrantissimis nominis, Ios et Smyrna,* (viola et myrrha) *in harum una ajunt natum poetam Homerum, in altera mortuum.* Sed et alii natum eum in hac insula praedicant, ut docet notus versiculus apud Gellium [z]), etsi in hoc alii pro Ιος legendum Χιος putent, tamen eodem loco Gellius, tum et auctor vetus vitae Homeri eum letam domo faciunt citato teste gravi Aristotele [a]). In numo simili musei Pembrock

---

u) Ad Steph. in Δηλος. x) L. X. c. 24. y) In Sertor. sub. init. z) L. III. c. 11. a) Sub. init.

Digitized by Google

pro IHTΩN perperam legitur KPHTΩN [b]), erroris utique auctore Haymio [c]).
AE. RR.

Imperatorii.

Bini hactenus comperti, IHTAN. *Palma*, Faustinae jun. [d]). Alter: IHTΩN. *Pallas stans, et jaculum vibrans, humi serpens*, est Lucillae, editus ab Havercampo [e]), quem numum vidi ipse Romae in museo Christinae, eumque integerrimum, at quem Vaillantius perperam Bargyliae Cariae tribuit.
AE. RRRR.

MELOS.

Ex illustrioribus Cycladum.

Autonomi.

Malum Punicum. Ϫ M. *scriptum in area quadripartita.* AR. II. Est fabricae perantiquae. (Hunter.)

MA. *Malum Punicum.* Ϫ *Area quadripartita.* AR. II. Est fabricae item perantiquae. (Hunter.)

Malum Punicum. Ϫ MA. *Diota, ex cujus ansis pendet botrus.* AE. III. (Pellerin Rec. III. tab. CIII. num. 12.)

Caput Palladis. Ϫ MAΛIΩN. ΛTΣANIAΣ. *Malum Punicum, omnia intra coronam.* AE. III. (Harduin. Num. urbb. sub *Melos*, le Blond. B. L. T. XL. p. 90.)

Caput Palladis. Ϫ MAΛIΩN. ΣΩΣAPXΟ. *Iuvenis curto habitu indutus saxo insidens s. lyram tenet.* AE. m. m. (Pellerin Rec. I. tab. 27.).

Numi hic descripti quorsum pertineant, disputatum ab eruditis. Harduinus et Barthelemyus numos IV. et V. (ab his disputationem ordiri juvat) insulae Melo, Pellerinius et Blondius Maliensibus Thessaliae proprios dixerunt. Blondii argumenta sunt, I. hactenus cognitos non esse argenteos Meli numos. II. omnes hujus insulae numos inscribi constanter MHΛIΩN. III. Herodotum, Thucydidem etc. eam constanter appellare Μῆλον, nunquam Μᾶλον. Sed enim multo mihi videtur verisimilius, utrumque numum Melo restituendum, quod ut comprobem, molliendae primum difficultates a Blondio objectae. Ait primum, ignotos Meli numos argenteos. At non longum tempus, quo adhuc legis instar fuit creditum, non modo non exstare argenteos Lacedaemonis numos, sed etiam per severum Spartanorum institutum ne exstare quidem posse. Adfirmat deinde, omnes Meli numos inscribi MHΛIΩN, non MAΛIΩN. Verum hoc ipsum est, quod quaeritur. Esto, Herodotum, aliosque, quorum bene multos ordine recenset, dixisse semper Μῆλον, at iidem hi auctores constanter quoque dixere Θασος, Μεσημβρια, Μηθυμνα, Κυρηνη, Ηπειρος, et tamen in numis legitur ΘATION, METAMBPIANΩN, MAΘTMNAIΩN, KTPANAIΩN. AΠEIPΩTAN. Si auctores hi scripsissent Dori-

b) Part. II. tab. 80. c) Tom. II. p. 72. d) Pauel. Mem. Trev. e) Med. de Christine Tab. LXI.

Digitized by Google

ce, pro Μηλος dixissent quoque Μαλος, cumque insula nostra nomen traxerit ἀπο τυ μηλυ, a *malo*, cujus per rotunditatem speciem referebat, (nam omnium insularum rotundissimam dixit Plinius) recte Dorice dicebatur Μωλος, et sic constanter Doricus Theocritus dixit μαλον, unde Latinorum *malum*. Non nego, in aliis Meli numis, quos continuo describam, legi MHΛIΩN, nimirum etiam urbium, quos modo recensui, numi alii inscribuntur Dorice, alii dialecto communi ΘΑΣIΩN, MEΣHMBPIANΩN, MEΘTMNAIΩN etc.: qui mos varius pendebat a varia aetate, et variis incolis.

At quod caput est, epigraphe MAΛIΩN Maliensibus Thessaliae competere nullo pacto potest. Horum gentile, ut in eorum moneta diximus, perpetuum fuit Μηλιευς, vel Μαλιευς, a quo recte deducitur Μαλιεων, quod praeferunt quoque numi; verum an et Μαλιων formari inde potest? Atqui gentile Meli fuit Μηλιος, secundum quod in numis MHAIΩN, et quod sequitur, Dorice MAΛIΩN. Quod ad typos attinet, caput Palladis sistitur etiam in agnitis Meli numis, quos videbimus, et in iisdem est etiam malum Punicum, aut, si mavelis, pepo, nempe cum adlusione ad vocem μηλον, vel μαλον, ut diximus. Offerunt hi numi nomina magistratuum, ut et numi Meli alii, quos citabimus, nullo hactenus incerti Maliensium numis comperto magistratu. Quod numos ea argenteos signavit, cum tamen Aegaei insulae minores rarissimos ex hoc metallo offerant, in causa esse puto, quod teste Strabone vicinarum insularum fuit ἀξιολογωτερα, cumque constet ex Thucydide [f]), fuisse Melios Spartanorum colonos, tum ex Conone apud Photium [g]), Melum a Spartanis exulibus conditam, sic ut propterea Sparta et Melus foedere semper junctae essent, causam etiam dialecti Doricae manifestam habemus.

His constitutis cum malum Punicum frequens sit in Meli numis typus, et ipsa insula Dorismi patiens, habemus quamdam velut impositam legem, ut numos tres, quos primo loco descripsi, huc avocemus. Novi, numum tertia sede positum a Pellerinio tribui Methymnae, nimirum suadente MA., et diota ejus formae, qua eam in certis aliis Methymnae numis fictam videmus. Verum hujus formae diota minus tutum judicium constituit; simillimam enim offerunt numi Corcyrae, Boeotorum, Minyae Thessaliae, Naxi vicinae, aliarumque urbium, atque si pertinacius a Meli quoque numis ejusmodi diotam exigas, habebis eam etiam in numo imperatorio, quem infra citabo. At certius discrimen suppeditat malum Punicum, rarum in numis symbolum, quod in certis Methymnae numis nunquam, in certis Meli frequenter conspicitur, sic ut etiam, cum alium inferre typum principem placuit, tamen in nonnullorum area, ut videbimus, minoris formae aliud expressum sit, qui mos apud Sidetes quoque valuit. Nihil ergo amplius

f) L. V. c. 84. g) Narrat. 37.

Digitized by Google

dubii reliquum, quin malum Punicum cum litteris MA. conjunctum certam constituere Meli monetam existimemus.

Commemorandum adhuc, numum V. a Panelio ex museo le Bret fuisse editum, at cum in eo legeret ΙΔΑΛΙΩΝ, eum Idalium Cypri perperam ablegavit.

* * *

ΜΗΛΙΩΝ--ΑΡΣΑ. *Protome Palladis, juxta astrum*, vel: ΜΗΛΙΩΝ. ΔΗΜΟC. *Caput nudum barbatum*, vel: ΜΗΛΙΩΝ. *Caput Palladis, pone malum Punicum.* Ϫ ΕΠΙ. ΤΙ. ΠΑΝΚΛΕΟC. ΤΟ. Γ. *intra lauream.* AE. I. (Mus. Caes.) AE. II. (Pellerin.) AE. III. (Hunter.)

Malum Punicum. Ϫ ΜΗΛΙΩΝ. *Hermathena jaculum vibrans.* AE. II. (Pellerin.)

Tria mala Punica ex uno stamine excrescentia. Ϫ ΜΗΛΙΩΝ. *intra lauream.* AE. II. (Pellerin.)

Vir philosophi habitu sedens d. elata. Ϫ ΜΗ. *intra lauream.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. Ϫ ΜΗΛΙΩΝ. *intra lauream.* AE. II. (Mus. Caes.)

Mulier stans d. columnae innixa, s. infantem tenet, in area ΤΤΧΗ, *omnia intra lauream.* Ϫ ΜΗΛΙΩΝ. *intra lauream.* AE. I. (Pellerin.)

Numos hos descripsi adcuratius, quoniam propter repetitos Palladis et mali Punici typos multum illustrant numos, quos supra recitavi. Horum non pauci in opere hiulco scripturam offerunt retrogradam, nullo vetustatis argumento, ut jam ad numos Cydoniae observavi. Similem illis, quos primos proposui, edidit auctor musei Theupoli, verum cum literas ΤΟΓ incautius conjungeret, in iis epochae annum vidit, cum tamen aliud non notent, quam *Tiberium Panclea* fuisse *tertium* magistratu functum.

Numi postremi typus puerperam sistit, sed quam, incertum. Quidquid erit, signum sic propositum fuisse Fortunam urbis habitum, docet scriptum juxta ΤΤΧΗ, nam sic legendum illud vocabulum, non ΝΙΚΗ, ut habet numus Pellerinianus, jam advertit Neumannus [h]).

AR. RRR. AE. C.

Imperatorii.

Horum binos reperio vulgatos, unum Nervae: ΜΗΛΙΩΝ, *Pallas stans*, (Pellerin Rec. III. p. 224.) alterum Elagabali: ΜΗΛΗΩΝ (corrige ΜΗΛΙΩΝ.) *Duo hirci coniscantes media diota ejus formae, quam offert argenteus supra descriptus.* (Arigoni.)

AR. RRRR.

MYCONVS.

In Cycladum numero.

Autonomi.

Caput Jovis. Ϫ ΜΤΚΟ. *Botrus.* AR. (Wheler Voyage L. I. p. 100.)

Caput Bacchi adversum. Ϫ ΜΤΚΟ. ΜΤΚΟΝΙΩΝ. *Botrus et hordei granum.*

h) Num. pop. P. II. p. 234.

Digitized by Google

In alio: *Duae spicae junctae.* AE. III. (Mus. Caes. et in meis. Num. vet. p. 159.)

Minus certum, utrum hujus sit insulae numus Pellerinianus: *Caput Bacchi*, Σ - - ΚΩΝ. ΕΚΑΤΑΙΟΣ. *Botrus.* AE. I. In urbis hujus nomine Ω pro O permutari nequit, ex quo verisimile, aliter explendam epigraphen.
AR. AE. RR.

Imperatorius.

Cum capite Augusti apud unum Pellerinium. (Rec. III. p. 224.) ΜΥΚΟΝΙ-ΩΝ. *Bacchus stans.*

Frequens Bacchi, ejusque attributorum in Myconi numis typus Plinii testimonium confirmat vinum Myconium eximie laudantis, quod hodieque in hac insula copia et bonitate praestat teste Tournefortio.
AE. RRRR.

NAXVS.

Cycladum una.

Autonomi:

Caput Bacchi hedera redimitum, jam barbatum, jam imberbe. Σ ΝΑ. ΝΑΞΙ. *Diota, adstituto etiam thyrso, vel ambiente eam hedera, rarus magistratus, ut:* ΛΕΩΚΡ. AE. I. II. III. (Pellerin. Mus. Caes.)

Jure Bacchum in moneta sua praedicat insula. Nam tanta fuit in ea vinearum fertilitas, ut propterea *Dionysias* quoque diceretur [i]), et Solinus eam hospitam Libero patri adfirmaret, et Maro [k]): *Bacchatamque jugis Naxum.*

Sunt hi certi Naxi autonomi, quos etiam per ipsam fabricam, quae tota est ex insularum hujus tractus ingenio, facile huc vocaveris. Argenteos omnes Naxi nomine insignes pertinere ad Naxum Siciliae, ut aeneos ad Naxum insulam, satis in Naxi Siculae moneta disputavi.
AE. RR.

Imperatorii.

Sunt in familia Severi, edente horum aliquot Vaillantio.

Epigraphe ΝΑΞΙΩΝ. Typi: *Bacchus stans*, vel: *Tres Gratiae se mutuo complexae.*
AE. RRR.

PARVS.

Cyclas, marmoris praestantia commendata.

Autonomi.

Caput Bacchi hedera coronatum. ΣΠΑ-ΡΙΩΝ. ΣΙΛΗΝΟΣ. *Mulier cistae insidens d. duplex folium, s. thyrsum tenet.* AR. m. m. (Hunter.)

Aversa praeclari hujus numi exhibet Baccham mysticae Dei sui cistae insidentem. Ad haec ejus augetur pretium propterea, quia unicus est certus hujus insulae numus, reliquis argenteis aeneisque, quos hactenus justo numero huc

i) Plinius L. IV. §. 22. k) L. III.

Digitized by Google

vocare consuevimus, tutius Pario Mysiae restituendis ut in hac dicetur.

* * *

Pariis drachmis insculptam fuisse effigiem Arati, ex vetere epigrammate docet Diogenes Laertius l), sed ejusmodi numus nondum in conspectum venit, et mihi plane videtur verisimile, vocabulum Ἀρατος hujus epigrammatis in mendo cubare, quod jam ante me a viris eruditis ad hunc Diogenis locum fuit observatum. Brunckius in Analectis suis Vol. I. p. 141. n. 80 pro Ἀρατος legit ἀκατος, quod est poculi, vel navigii genus. Verum mutatae lectionis in observationibus suis causam non addit.

AR. RRRR.

Imperatorii.

Vnicus hujus classis compertus, isque M. Aurelii: ΠΑΡΙΩΝ. *Protome galeata.* (Theupoli.)

AE. RRRR.

RHENE.

Modica insula Delo vicina.

Imperatorium ΡΗΝΙΩΝ cum capite Maximi dedit Tristanus, aliosque in fraudem induxit m). Legendum in hoc ΤΗΝΙΩΝ, et est Teni insulae.

SCYRVS.

Ad Euboeam. Argenteus ΣΚΥΡΙΩΝ apud unum Goltzium.

SERIPHVS.

Cycladum una et ignobilis, autonomos tamen illustres habet.

ΣΕ. *Chimaera.* Ɍ *Columba volans intra lauream.* AR. I. III. (Mus. Caes.)

Mirum videatur, tam obscuri nominis insulam, quae Tacito per contemptum *saxum Seriphium* dicitur n), quam et ignobilitatem ei palam imputant Cicero o), et Origines p), tam illustres, neque infrequentes numos feriisse, cum tamen multo insigniores aliae ejus tractus numis argenteis fere destituantur. Occurrit quoniam Siphnus insula locuples, ac Seripho fere contigua simillimos tam metallo et fabrica, quam utriusque faciei typis numos signavit, hujus egestatem illius opibus sublevatam, et utramque insulam felici inter se concordia et bonorum communione vixisse ea aetate, qua hi Seriphiorum numi cusi sunt. Ceterum quando, ut saepe factum videmus, in numis similibus solum Σ inscribitur, discerni nequit, ad utros hi pertineant, etsi certum sit, ad alterutros pertinere. Vide, quae de his alia ad proximam Siphnum notabuntur.

* * *

Caput juvenile tectum galea alata in volucris caput exeunte. Ɍ ΣΕΡΙ. *Harpa.* AE. III. (Hunter.)

Praeclarum numus hic continet argumentum. Capite anticae quis negabit exhiberi heroem Perseа lectis iis, quae

l) L. IV. c. VI. in fine. m) Tom. II. p. 435. n) Annal. IV. c. 21. o) De Senect. c. 3. p) Contra Celsum L. I.

Digitized by Google

ad numos Philippi V. Macedoniae regis, Larissae Thessaliae, Iconii Lycaoniae, aliarumque urbium adfatim disseruimus? quibus locis egimus etiam de harpa, quam aversa sistit, cultro uni fere Perseo proprio. At quid Perseo cum Seripho commune, expediendum. Narrant Hyginus [q]), Apollodorus [r]), et Lucianus [s]), Perseum ex Danae recens natum ab avo Acrisio, qui oraculi monitu nepotis se manu caesum iri cognoverat, arcae inclusum, et in mare dejectum Seriphum forte delatum, repertumque a piscatoribus ad insulae regem Polydectem delatum, ac liberaliter in templo Minervae fuisse educatum. Serius etiam reversum in insulam tradit Apollodorus [t]), regemque Polydectem quod asperius matrem tractaverat, objecta Gorgone in saxum vertisse. Praeclare secundum hunc numum Pausanias, qui cum narrasset, Perseo prope Mycenas honores haberi, addit, multo vero maximos in Seripho [u]), nimirum ob dictas causas, atque etiam hoc suo cive gloriatos scribit Aelianus [x]).

AR. R. AE. RRRR.

SICINVS.

Inter Cycladas exigui nominis.

Caput virile nudum. Ϟ ΣΙ. *Apis.* In aliis: ΣΙΚΙ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin, Hunter.)

AE. RRR.

SIPHNVS.

Cycladum una, quae teste Herodoto [y]) ejus viciniae insularum ditissima habita fuit propter auri, argentique fodinas, quibus opulentiam suam debuit, et quas testantur quoque Pausanias [z]), et Eustathius [a]). Has opes confirmant residui magna copia argentei etiam tetradrachmi.

Autonomi.

ΣΙ. *Chimaera.* Ϟ *Aquila, vel columba volans intra lauream, adduntur saepe variarum vocum principia.* AR. I. III. (Mus. Caes.)

Numos simillimos a vicina Seripho fuisse signatos, in hac vidimus, sed causam illatae utrisque Chimaerae nondum divinare licuit. Qui utrumque populum Corintho oriundum dixere, ii potius conjecturam a typo Chimaerae petitam, quam certam auctoritatem secuti sunt, quos inter Begerus [b]). Atqui hoc pacto Chios quoque statuemus aut Aegypto, aut Boeotia oriundos, quia Sphingem in moneta sua signavere.

Hactenus illustres hi numi in sua tuti statione videri poterant, cum litem iis nuper intendit cl. abbas Sestinus, dejerans, eos injuria in Siphnum fugitivos herae Sicyoni restituendos. Causas adfert, I. quia hodie frequentius in vicinia veteris Sicyonis effodiuntur. II. quia ejusdem sunt fabricae cum certis Sicyonis numis. III. quia typum habent

---

q) Fab. LXIII. r) L. II. c. 4. s) Dial. mar. 12. t) L. II. c. 4. §. 3. u) L. II. c. 18. x) De Nat. anim. L. III. c. 37. y) L. III. c. 57. z) L. X. c. 11. a) Ad Dionys. Perieg. v. 525. b) Thes. Brand. T. I. p. 436.

Digitized by Google

Chimaeram proprium Corinthi symbolum, cui Sicyon vicina fuit c). Verum, pace viri clarissimi dixero, non possunt omnes hae causae persuadere, ut novae huic sententiae subscribam, praevalente ex causis solidioribus vetere, cujus argumentum princeps est perfecta horum numorum similitudo cum numis Seriphi quos profecto non distingueres, nisi epigraphe in illis ΣΙ., in his ΣΕ. discrimen faceret. Non negat Sestinus, numos inscriptos ΣΕ. esse Seriphi, quo ergo pacto negare potest, numos cum epigraphe ΣΙ. esse Siphni, quando nonnisi utriusque vicinia, et politicus inter utramque nexus tam anxiam monetae concordiam imperare potuit? Abstineo in re, ut opinor, evidente argumentis aliis.

* * *

Caput muliebre. ☧ ΣΙΦ. *Avis sursum evolans intra quadratum.* AR. I. (Pellerin.)

Numus est operis pervetusti.

Caput muliebre nudum. ☧ ΣΙΦ. *Aquila volans rostro serpentem stringit.* AE. III. (Hunter.)

Caput Apollinis laur. ☧ ΣΙΦΝ. *Tridens.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Jovis laur. ☧ ΣΙΦΝ. *Arbor.* AE. II. (Pellerin.)

ΕΠΙ. ΗΡΟ. *(retrograde) Protome Palladis.* ☧ ΣΙΦΝΙΩΝ. *Columba stans.* AE. II. (Pellerin.)

In postremo hoc numo epigraphe retrograda vetustati numi tribuenda non est, cum aversa inscriptionem recentis formae offerat. Simile ingruentis barbariae exemplum in Meli moneta vidimus.

* * *

Peractis numis hujus insulae ad incertos progrediamur, quos quidem cl. Sestini censura ad unum omnes, tanquam certos Sicyonis, Siphno eripiendos adserit. Juvat eorum illustriores commemorare, nam omnium adcuratum catalogum idem vir eruditus composuit.

Caput Apollinis laur. ☧ ΣΙ. *Columba volans.* AR. IV. (Hunter.) AE. III. (Mus. Caes.) *addito in nonnullis magistratu, ut:* ΑΙΝΕΑΣ — ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΤ — ΚΛΕΑΝΔΡΟΤ etc. AE. III. (Mus. Caes. Hunter.)

Columba stans, in area ΑΝΔΡΟΓΙΜΟΣ. ☧ ΣΙ. *Tripus intra lauream.* AE. III. (Hunter.)

ΣΙ. *Planta incerta.* (Sestino *Columba stans.*) ☧ ΕΤ. *Tripus intra lauream.* AE. III. (Neumann, et in meis Numis vet. p. 159, sed quem ibi perperam causa τς ΕΤ., et extrito ΣΙ. Euboeae tribueram. Sed et similem Pellerinius, cum juxta ΣΙ. scriptum videret ΔΗ., Sidetibus Pamphyliae inique tribuit.)

Caput Apollinis laur. ☧ ΣΙ. *intra lauream.* AE. III. (Pellerin in numis Mileti.)

Hos numos esse Sicyonis, diserte adfirmat Sestinus. Causa illi una, quod in eo tractu sunt obvii testibus eo commeantibus. Sit sua huic testimonio re-

c) Lettere. T. I. p. 142.

Digitized by Google

verentia. Hoc misso magis in Siphnum inclinat animus. Columbam volantem in certis Siphniorum argenteis vidimus, et in certo eorum aeneo vidimus caput Apollinis, quod nunc in praesentibus quoque recurrit, aut pro hoc ejus attributum tripodem. Auctore Stephano [d]) fuit in Siphno oppidum dictum *Apollonia*, ex quo liberalior ejus dei in hac insula cultus potest adfirmari. Sin parum validum quis putaverit hoc argumentum, is validius aliud pro Sicyone adferat. In numo postremo a Pellerinio lectum M pro Σ, eumque propterea perperam donatum Mileto, diximus in numis Sicyonis.

* * *

Σ. *Columba volans.* ℞ *Columba volans.* AR. III. IV. (Mus. Caes. Sestini.) AE. III. (Neumann.)

Columba volans, in area ΑΛΕΞΙΩΝ, *vel* ΟΛΤΜΠ. *etc.* ℞ ΣΙ. *intra lauream.* AE. III. (Hunter. Pellerin.)

ΣΙ. Columba stans. ℞ ΕΤ. intra lauream. AE. III. (Sestini.)

Columba volans. ℞ ΕΤ. *vel* ΘΕΤΦ. *intra lauream.* AE. III. (Pellerin, Neumann.)

Omnes item hos numos Sicyoni largitur Sestinus. Vt non nego, eos Sicyonis esse posse, ita exclusa Siphno Sicyoni debere tribui, certam rationem non video. Causas pete ex iis, quae jam dicta sunt.
AR. RR. AE. C.

Imperatorii.

Vulgati sunt: Balbini unus: CIΦNIΩN. *Pallas stans jaculum vibrat.* (Arigoni.) Alii Gordiani cum eodem typo. (Vaillant, Arigoni.)
AE. RR.

SYRVS.

Cycladum una.

Dimidius bos cornupeta. ℞ ΣΤΡΙΩΝ. *Spica.* AV. VI. (Theupoli.)

Moneta aurea e minoribus his insulis nondum prodiit. Adverto, bovem cornupetam et spicam occurrere etiam in numis Syracusarum. An non forte in orbiculo minuto fugientibus reliquis literis legendum ΣΤΡΑΚΟΣΙΩΝ?

* * *

Caput barbatum turgente e fronte uno vel duplice cornu. ℞ ΣΤΡΙ. ΣΤΡΙΕΩΝ. *Caper stans propter arbutum, vel spicam.* AE. III. (Pellerin.)

Mirum in numo altero gentile ΣΤΡΙΕΩΝ, cum ΣΤΡΙΩΝ et analogia et Stephanus exigant. Antica exhibet Pana, ejusque comitem caprum aversa.
AV. RRRR. siquidem est Syri. AE. RRR.

TENVS.

Inter Cyclades.

Autonomi.

Epigraphe. TH. THNI. THNIΩN. In argenteo Hunteri, si modo huc pertinet, est solum T.

Typi: *Caput cum cornu arietis, in aliis barbatum, in aliis imberbe.* ℞ *Neptunus stans vel sedens d. delphinum, s. tridentem, in area saepe balaustium.* AR. II. (Hunter.) AE. II. III. (Pellerin, Mus. Caes.) In aliis: *Neptunus, aut ejus attributa etc.*

d) In Απολλωνια.

Digitized by Google

In parte antica videntur expressa capita Jovis Ammonis, ejusque filii Bacchi. Vide, quae de his observabimus in moneta Cyrenaicae.
AR. RRRR. AE. C.

Imperatorii.

Inscripti THNIΩN proditi sunt Sabinae, (Pellerin.) Antonini, Alexandri, et Maximi. (Vaillant.)

Typi obvii praeter sequentem: *Tridens, cui implicatus serpens*, in numo Alexandri. (Vaill.) Narrat ex Philochoro Clemens Alexandrinus *), Neptunum in hac insula pro medico habitum. Quae causa est juncti tridenti serpentis.
AE. RR.

THERA.

In mari Cretico, Cyrenensium metropolis.

Autonomi:

Caput juvenile adversum. Ϫ ΘH. *Tres delphini.* AE. III. (Pellerin.)

Vnicum hunc certum habemus hujus insulae numum, quem enim alterum conjungit Pellerinius scripto supra navim ΘHPA, certus est Corcyrae numus, ut manifestant non modo typi, sed et numus alter geminus, cujus ectypon mihi miserat nobil. Jacobus Gradenigo, qui praeterea literas luculentas KO. exhibet.
AE. RRRR.

Imperatorii.

ΘHPAIΩN, ΘHPЄΩN memorantur cum capite Aurelii, Veri, et Commodi, (Vaill. Theup.) typo plerumque *Hermae.*
AE. RRR.

*) Admonit. ad gent.

Digitized by Google

ASIA.

BOSPORVS CIMMERIVS.

Regnum Bosporanum a Bosporo Cimmerio, quod nomen est angusto freto, quo palus Maeotis cum Ponto Euxino committitur, in Bosporanos Europaeos, et Asiaticos secatur. Europaeos, quatenus numismatici sunt, lustravimus in Taurica. Restant Asiaticorum urbes binae ex numis quoque cognitae.

GORGIPPIA.

Vrbs memorata Straboni. Apud Demosthenem queritur Dinarchus rhetor, Athenis in foro erectas fuisse statuas aeneas Paerisadi, Satyro, Gorgippo, dirissimis tyrannis [a]). Fuit Paerisades rex Bospori, Satyrus tyrannus Heracleae, uterque aequalis Demosthenis. Videtur ergo circum eadem tempora fuisse Gorgippus rex Bospori, saltem in ejus parte, atque ab hoc Gorgippia nomen traxisse.

Autonomi.

Caput Apollinis. ℞ ΓΟΡΓΙΠΠΕΩΝ. *Tripus inter duo monogrammata.* AE. II.

Binos similes exstare in museo Pellerinii, ex Cl. Blondii literis intellexi. *AE. RRRR.*

PHANAGORIA.

Ad ipsum Bosporum, Bospori Asiatici urbs princeps.

Autonomus.

Caput barbatum nudum. ℞ ΦΑ. *Arcus et sagitta.* AE. II. (Pellerin.)

Hic aversae typus frequens est per Bosporum, et Chersonesum Tauricam, quae causa fuit, cur numum hunc Pellerinius omissis aliis urbibus a ΦΑ. incipientibus huic Phanagoriae tribuendum putaverit.

Caput Panos. ℞ ΦΑΝΑ. *Arcus et sagitta.* AE. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 100.)
AE. RRRR.

* * *

Numos REGVM BOSPORI vide in regibus Ponti.

COLCHI.

Euxino et regno Bosporano in orientem adsita. Argenteos binos prodidit Goltzius inscriptos ΚΟΛΧΩΝ et ΚΟΛΧΟΙΣ [b]), quos esse hujus gentis est ar-

[a]) Contra Demosth. p. 178. B. [b]) In Asia tab. I.

Digitized by Google

bitratus. Eos altero errore Harduinus Golgo Cypri dedit. Satis nunc constat, numos similes pertinere Miletum Ioniae, quod docent typus leonis astrum respectantis et adstitutum monogramma MI. Vnicam urbem numismaticam habet Colchis, nempe Dioscuriadem, de qua continuo.

DIOSCVRIAS.

Maritima.

Autonomi.

Duo pilei Dioscurorum. Ϟ ΔΙΟΣΚΟΥΡΙΑΔΟΣ. *Meta, vel pharus.* AE. II. (Haym, Pellerin, Arigoni.)

Pilei ad urbis nomen, et Dioscurorum cultum, a quibus urbs nomen traxit, adludunt, ut revera ab his condita fuit teste Mela, aut si fides Ammiano [c], et Plinio [d], ab Amphito et Telchio Spartanis, penes quos nota Dioscurorum veneratio. Sed Milesiorum fuisse coloniam, seriusque dictam Sebastopolin scripsit Arrianus [e]. Secundum Strabonem [f], et Iustinum [g] post expeditionem Argonauticam huic orae praefuerunt Rhecas, et Amphistratus Dioscurorum aurigae, unde populus dicti *Heniochi*, *aurigae*. Ad haec Pontus Euxinus a Dioscuris, qui zodiaci partem geminorum nomine constituunt, regitur teste Manilio [h]:

Euxinus Scythicos Pontus sinuatus in arcus
Sub Geminis te, Phoebe, colit.

Ex quibus omnibus causis tenemus cur adsitae Euxino urbes, ac praecipue Dioscurias frequentius Dioscurorum pileos in numis jactent. De typo aversae minus confidenter possum arbitrari, quod in eo definiendo variant auctores. Haymius metam dixit, Pellerinius pharum.

AE. RRR.

PONTVS.

PROLEGOMENA.

Quod factum in Campania, et Creta vidimus, et videbimus iterum in Lycia, ut unius regionis tractusve urbes conspirarent non typis solum, sed toto numorum modo, id ab urbibus Ponti, et nonnullis finitimae Paphlagoniae multo luculentius, multoque certiore consilio factum videmus. Atque haec in typis, metallo, voluminе concordia tanta est, atque haec omnia sic uni Ponto, et Paphlagoniae propria, ut numum hoc ingenio praeditum, etsi epigraphe vitium fecit, continuo pronunciemus Ponticum, et si forte urbs numo inscripta hoc nomine nulla in hoc tractu a geographis memoretur, non dubitemus tamen ex ipsis his typis dicere Ponticam, et a veteribus omissam statuere. Possu-

---

c) L. XXII. cap. 8. d) L. VI. §. 5. e) Peripl. Ponti. f) L. XI. p. m. 758. g) L. XLII. c. 3. h) L. IV. v. 753.

Digitized by Google

mus in nonnullis causam typorum solidis conjecturis eruere, in aliis non item. Ea tibi eorum catalogum additis nonnullis observationibus.

* * *

Caput Palladis. ℞ *Vir juvenis galeatus, ala nonnunquam galeae adfixa, vestitus stans d. porrecta gladium, plerumque unco munitum, s. caput resectum, jacente pro pedibus trunco, hoc quoque in nonnullis alato.* AE. I. In numis Amisi, Cabirorum, Comanorum Ponti, Amastrios et Sinopes Paphlagoniae.

Caput juvenile tectum galea recurva mentum includente ℞ *Pegasus pascens sublato pede dextero anteriore.* AE. II. In numis Amisi et Chabactorum.

Argumentum numorum, quos priore loco stiti, late olim explicavi [i]), cujus epitome est: ab omnibus causis invicte argui, proponi in iis Perseum Medusae percussorem, has vero causas constituere galeam in nonnullis alatam, gladii modum, nempe harpam, et quod serius compertum, ipsum etiam Medusae corpus in nonnullis pennis instructum, quae omnia ad unum hujus caedis argumentum possunt referri. Praeclare etiam cum hoc facto in parte antica conjungi Palladem, cujus consilio Perseum istud ausum constat. Denique et in numis alterius loci, quos infra in Amiso magis illustrabo, ex galea et conjuncto Pegaso agnoscendum Perseum. Attuli etiam causam, cur hic Danaes filius majore studio a Ponti urbibus observatus fuerit, Gravium nempe scriptorum auctoritate constare, quos inter eminent Herodotus [k]), et Plato [l]), creditum Persis, genus sese nomenque ipsum ducere ab heroe Perseo. At non minus constat, Ponti reges a Persis, et nobilissima Achaemenidarum stirpe descendisse, quam prosapiam testantur numi quoque, non modo horum Ponti, sed et Cappadociae regum (nam et hos a Persis ortos consentiunt veteres) in quorum area solis lunaeque astra plerumque collucent, tracta nimirum a Persis religione, apud quos utrumque sidus magno in honore, et pr[illegible]tium numinum loco fuit. Placuit ergo urbibus Ponti, et Paphlagoniae, quae Ponti regibus paruere, non modo illustre hoc Persei factum, sed et solis lunaeque astra, (nam et haec frequenter aream numorum, quos Ponti urbes percussere, occupant) monetae inferre, ut hoc pacto illustrem, et a priscis regibus deductam regum suorum originem praedicarent.

Haec ordine atque nitide comprobata credideram, neque de eruditorum consensu dubitaveram, cum repente cum admiratione viderem, sententiam meam a viro summo Pellerinio in postremo suo opere, quod *Additions aux recueils des Médailles* inscripsit, acriter impugnari stabilita nova sua, quam paucis lectori proponere lubet [m]). Ait, hoc typo in suo Amastrios numo exhiberi Tiridatem percussorem Phereclis sive Agathoclis,

---

i) Num. vet. p. 172. k) L. VII. c. 50. l) in Alcibiad. I. p. 120. m) Pag. 54.

Digitized by Google

qui pro Antiocho II. Syriae rege provincias omnes trans Tigrim sitas rexit, et propter crudelitatem fuit exosus omnibus, ac privatim Tiridati, quod ejus pudicitiam tentaverat. Ergo Amastrianos origine Persas veteris patriae amore Persis hoc numo Phereclis caedem gratulatos, quod ea perpetrata vetus majorum suorum regnum recuperavere. Satis apparet, scripsisse haec Pellerinium, quando oppressus senectute cum oculorum acie memoriae etiam jacturam coepit experiri. Adeo inconsulta omnis haec est oratio, et invitis Musis prolata, et praetereunda potius videre[illegible]quam refutanda, nisi metus esset, [illegible]cuiquam attento imponat praestantis ejus viri auctoritas. Iam primum istud ignoro, cur is in numo Tiridatem potius videat, quam Arsacem fratrem, quando historia, quae Phereclis caedem refert, in genere memorat, Arsacem cum fratre minore et conjuratis eam caedem peregisse? Sed esto levius istud. Quod ait, Amastrianos origine Persas laetatos eo, quod Phereclis caede majorum hi regnum recepere, numos hujus facti testes feriundos curasse, bis gravissime offendit. Nam primum non reflexit animum vir eruditus, eundem typum non in unis haberi Amastrios numis, sed et Amisi, Cabirorum, Comanorum, Sinopes. An vero et harum cives origine Persae? An non ex hac typi concordia palam fit, eo contineri argumentum, quod ad omnes Ponti urbes aeque pertineat? Deinde quo pacto Amastriani poterant Persis suis receptum regnum gratulari, quando per Phereclis caedem non hi, sed Parthi adepti sunt imperium, Persae vero eo facto non libertate servitium, sed dominos tantum mutavere? Denique meminisse oportuerat Pellerinium, quod ipse omnium optime noverat, in numos Graecos veteris ejus aevi, quo similes numi malleum experti sunt, vix vocata fuisse argumenta historica, aut si forte admissa sunt, symbolis potius fuisse involuta, neque tam manifeste proposita. Abstineo pluribus argumentis aliis, quae qui volet, adeat cl. Neumannum, male consutam hanc Pellerinii doctrinam praeclare ac solide impugnantem n).

* * *

Caput juvenile galeatum. ℞ *Pharetra.* AE. II. In numis Amasiae, Amisi, Chabactorum, Gaziurae, Laodiceae, Pimolisorum, Amastrios, Sinopes.

Dixi: caput juvenile galeatum, quod alii definite Palladis dicunt. At in multis, quos vidi, non ambigua sunt lineamenta viri, quae Martem potius faceren. Accedit, in numo Pimolisorum, quem edidit Pellerinius, galeatum illud caput revera esse barbatum. At constat a Graecis Martem jam barbatum, jam imberbem fictum.

* * *

Aegis Palladis inserto Medusae capite.

n) Num. pop. Part. II. p. 1.

Digitized by Google

℣ *Victoria gradiens elato super humerum palmae ramo.* AE. II. In numis Amisi, Cabirorum, Comanorum, Laodiceae, Amastrios, Sinopes.

Caput Jovis. ℣ *Aquila insistens fulmini.* AE. I. II. In numis Amasiae, Amisi, Cabirorum, Gaziurae, Amastrios, Sinopes.

Caput juvenile diadematum, in aliquibus alatum. ℣ *Cornu copiae inter binos Dioscurorum pileos.* AE. III. In numis Amasiae, Amisi, Sinopes.

Caput Cupidinis ℣ *Pharetra et arcus.* AE. III. In numis Amisi et Sinopes.

Horum rationem typorum velle expedire inutilis videatur opera, et in meras denique conjecturas exitura. Satis esto, hoc catalogo concordiam numorum Ponticorum, fortasse in commercii commodum constitutam, ob oculos posuisse.

AMASIA.

Mediterranea ad Irin fl., urbs celebris, et Strabonis nostri patria. Videtur Amazoni originem suam debuisse; nam in numo concordiae cum Nicomedensibus Amasea proponitur Amazonis cultu. (Vaill. sub Commodo.)

Autonomi.

Caput juvenile galeatum. ℣ AMAΣ-ΣEIA. *Pharetra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Jovis. ℣ AMAΣΣEIAΣ. *Aquila fulmini insistens.* AE. III (Mus. Caes.)

Caput imberbe diadematum. ℣ AMAΣ-ΣEI. *Cornucopiae inter Dioscurorum pileos.* AE. II. (Wilde.)

Omnes hi typi in moneta Pontica sunt obvii, de quibus vide, quae mox supra dixi in prolegomenis ad numos Ponticos.

AE. RR.

Imperatorii.

Majore numero exstant a Domitiano usque ad Mamaeam. De numo Claudii dubio vide infra sub *Concordia.*

Epigraphe: AMA. AMAC. AMACEIA. AMACIAC. In numo Trajani musei Caesarei AMACEΩN. quod verum est urbis gentile ipsi Straboni familiare; sed in numo Commodi AMACEIT. (Pellerin Rec. III. p. 208)

Typi illustriores.

Substructio quadrata, juxta constanter minuta arbor. Substructioni saepe impositum est templum 4. columnarum, vel pro hoc est aquila, tum praeterea in numis Commodi et Alexandri superne Sol quadrigis vectus. (Mus. Caes. Pellerin.)

Hujus typi in Amaseae numis obvii explicatum me ignorare profiteor.

* * *

Fluvius unus vel duo decumbentes, Faustinae jun. Commodi. (Vaill.)

Cum unus est, Irin haud dubie notat, qui urbem praeterlabitur. Cum duo, alter videtur Halys, ad quem Amasensium ager se porrexit teste ipso Strabone °).

°) L. XII. p. m. 840.

Digitized by Google

Serapis sedens cum calatho in capite d. extenta, s. hastam, pro pedibus animal triceps, Caracallae. (Vaill.)

Serapis jure in numum Ponticum vocatur, cum constet, numen istud ex Ponto in Aegyptum evocatum. Tamen animal adstitutum minus recte Cerberum dixit Vaillantius, ut dicemus in prolegomenis ad numos Alexandrinos.

* * *

Conditor:

ЄΡΜΗС. ΚΤΙСАС. ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ. *Aquila rostro coronam stringens trunco arboris insistit*, Severi. (Haym.)

Sensus epigraphes est: *Mercurius, qui urbem condidit.* At enim tacentibus mythologis ignoramus, quae causa fuerit, cur pennatus hic deus, ut Apollo et Neptunus Troiam, sic ille Amaseam muniret.

* * *

Nomina ab Impp.

Nomen *Hadrianae* primum comparet in numis Commodi, et constanter retinetur in numis sequentium imperatorum. Sub Severo dicitur *Hadriana, Severiana, Antoniniana*, sub Alexandro: *Hadriana, Severiana, Alexandrina.*

* * *

Metropolis Ponti. ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΤ. Hic titulus occurrit primum in numo Trajani, (Arigoni.) et Plotinae, (Vaill.) cumque exstet numus alius Trajani cum simplice AMACЄΩΝ, (Mus. Caes.) verisimile est, Amasiae metropoleos Ponti honorem a Trajano tributum. Vaillantius id factum contendit ab Hadriano p) immemor numi Plotinae, quem ipse citat. Harduinus cum in numo Aurelii legeret: ΜΗΤ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ., arguit, Amasiam fuisse primam Ponti metropolin q), verum το ΠΡΩΤ. referri non posse ad ΜΗΤ., docent numi Severi inscripti: ΜΗ. ΝЄ. ΠΡ. Π., in quibus metropoleos et primatus tituli a neocoratu dirimuntur. Metropoles Ponti se scripsere etiam Neocaesarea vicina, et Tomi Moesiae, fuitque et Amasiae et Neocaesareae metropoleos dignitas iterum confirmata a Justiniano r).

* * *

Prima Ponti. Π. Π. — ΠΡ. Π. — ΠΡΩ. ΠΟ. — ΠΡ. ΠΟΝΤΟΤ. — ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤΟΤ. Haec obvia. In numo Commodi: ΠΡ. Τ. ΠΟΝ. nempe: ΠΡωτη Τ⁊ ΠΟΝτ⁊. (Pellerin Rec. III. p. 208.) Rursum perstringendus Vaillantius, qui concessum a Commodo primatus Ponti honorem adserit s), cum tamen ipse Faustinae jun. numum cum hoc epitheto promulgarit. Harduinus M. Aurelii numum jam cum ejus honoris mentione citat. Videtur ergo ab hoc ad hunc apicem evecta.

* * *

Neocoratus honorem videtur adepta a M. Aurelio; nam in numo M. Aurelii,

p) Num. Graec. p. 207. q) Num. ill. sub. Amasia. r) Novell. XXVIII. tit. IV. c. 2. s) Num. Graec. p. 210.

Digitized by Google

quem refert Harduinus, et in praecedentibus ejus mentio non fit. Occurrit autem primum in numo Faustinae jun. (Vaill.) et in sequentibus omnibus. Non igitur ex numis probari potest, neocoratum urbi tributum ab Hadriano, quod sanxit Vaillantius [t]).

* * *

Concordia memoratur in numo Claudii, si fidem Harduino eum prodenti, ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΑΜΑΣΕΙΑΣ. At verior ejus lectio: ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΜΝΑΣΕΑΣ., ut dicetur in Sardibus. Concordia cum Nicomedia est in numo Commodi.

* * *

Epocham sedulo monetae suae inscripsere Amasenses praefixo plerumque ЄΤ. vel ЄΤΟΤС.

ΒΙΡ. Trajani. (Mus. Caes.)

ΡΝЄ. ΡΝΗ. Antonini. (Haym, Pellerin.)

ΘΞΡ. Faustinae jun. (Vaill.)

ΡΠϘ. Faustinae jun. (Harduin ex museo regio, Num. ill. sub *Amasea*, et Hist. Aug. p. 789.)

ΡΠΘ. Commodi. (Pellerin Rec. III. p. 208.)

ΡϘΘ. Commodi (Vaill.)

CΗ. Severi, Domnae, Caracallae, Getae. (Vaill. Mus. Caes.)

CΘ. Severi, Caracallae. (Mus. Caes. Vaill.)

CΙΓ. Getae. (Catal. d'Ennery.)

CΚΗ. Alexandri. (Mus. Caes. Pisani, Theupoli.)

CΛΔ. ejusdem. (Vaill.)

CΜΒ. Mamaeae. (Vaill.)

In figendo aerae Amasensis principio variarunt eruditi, divisi inter annos V. C. 743. 744. 746., de quo vide plura apud Belleyum [u]). At demonstravit Mazzolenus, alium ab anno V. C. 747. esse non posse [x]). Non posse incipere hoc anno serius, minus quidem tuto probat ex anno Mamaeae CMB. Etenim hoc admisso mors Alexandri longius differtur, quam ut istud cum rationibus chronologicis consistere possit, quod quidem luculente me probaturum spero in moneta ejus imperatoris. Forte igitur rectius in hoc numo legendum CΛΑ. At vero habeo numum alium, qui idem praestat officium, eumque certae fidei, intelligo numum Commodi cum anno ΡϘΘ. 199. Hunc si addas ad 747., intelliges, numum signari debuisse ab autumno V. C. 945., cujus ipsius anni die ultimo caesus est Commodus. Ergo aera Amasensis serius anno V. C. 747. initium ducere non potuit. Non potuisse incipere citius, conficit numus integerrimus Alexandri, isque maximae formae musei Caesarei cum anno CΚΗ., 228., qui, si addatur ad 747., prodibit annus V. C. 974, a cujus anni autumno usque ad autumnum 975. supponitur signatus numus. Jam vero Alexander, qui in hoc numo Augusti et titulo et ornamentis omnibus condecoratur, mense Martio anni

t) Num. Graec. p. 217. u) Mem. B. L. T. XXX. p. 330. x) Mus. Pis. Part. II. p. 147.

Digitized by Google

Juliani 975. caeso Elagabalo imperium auspicatus est. Ergo hoc anno maturius numus hic feriri non potuit, neque adeo epocha in annum anteriorem promoveri. Turbat quidem hanc legem citatus Faustinae jun. numus cum anno ΠΠΘ, qui adeo signatum se profitetur V. C. 935., cum tamen haec Faustina jam V. C. 928. diem obiverit. Verum aut Amasenses imperante Commodo hujus matrem etsi mortuam memoriae causa restituerunt, aut annus ab Harduino, qui solus hactenus hunc numum promulgavit, male est lectus. Manet ergo pro initio aerae Amasensis immotus annus V. C. 747.

Idem aerae initium habuere etiam Germanicopolis, et Neoclaudiopolis Paphlagoniae urbes, ut in his probabitur. Quam aerae concordiam in numis urbium Ponti cum videret Belleyus, conjecit, Augustum hoc anno V. C. 747. ex Bithynia, Paphlagonia, et Ponti parte unam constituisse provinciam, quod refert Strabo, etsi hic annum dissimulet, atque hinc urbes instituendae novae epochae ansam cepisse.

AE. RR.

AMISVS.

Maritima Halyn inter et Irin fluvios, urbs celebris, Atheniensium et Milesiorum colonia secundum Strabonem, et Arrianum y), neque opibus numismaticis minus clara.

Autonomi.

Caput juvenile tectum galea recurva mentum includente. Ɪ AMIΣOT. *Pegasus pascens sublato pede dextero anteriore.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput juvenile nudum alatum. Ɪ AMIΣOT. *Cornucopiae inter binos Dioscurorum pileos.* AE. III. (Mus. Caes. Wilde, Pembrock Part. II. tab. 35.)

Caput juvenile numi prioris esse herois Persei, abunde docuimus in prolegomenis ad numos Ponticos. Cum eo jungitur Pegasus ex causa certa. Secundum enim mythologorum doctrinam natus ex defluo Medusae sanguine, cum ejus collum demeteret Perseus, hujus beneficio ortum suum debuit z). Aliud praeterea docet haec aversa, nimirum tetradrachma Mithridatis VI. Ponti regis, in quorum aversa est Pegasus, in eadem hac Amiso signata, quod opinari facit non quidem sola causa Pegasi, sed quod hic eodem prorsus modo, quo in dicto Amisi numo, et pascit, et dexterum crus attollit. At constat etiam teste Cicerone a), fuisse Amisi ejus regis domicilia. Similes utrinque typos vide infra in numo Chabactorum. Sine caput numi alterius Persei quoque, decidere vereor. Confidentior Wildius propter adpositam alam Calaidem Boreae F. statuit, a quo ait conditam Amisum, nullo tamen prodito auctore b). Ex Amazone, quam habet numus *Concordiae*, arguendum, creditum Amisenis, urbem suam ab Amazone conditam.

* * *

y) Peripl. Eux. z) Hesiod. Theog. v. 280. Apollodor. L. II. c. 4. §. 2. a) Pro leg. Manil. b) Sel. num. p. 57.

Digitized by Google

Caput muliebre turritum. ℞ AMIΣOT. *Noctua intra coronam.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Bacchi hedera coronatum. ℞ AMIΣOT. *Cista mystica, cui incumbit thyrsus, per aream varia monogrammata.* AE. III. (Mus. Caes.)

Habes in numo I. noctuam, quia ut diximus, condita ab Atheniensibus Amisus ferebatur.

* * *

Caput Palladis. ℞ *Perseus stans d. harpam, s. caput Medusae resectum, trunco pro pedibus jacente.* AE. I. (Hunter.)

Caput Jovis ℞ *Aquila fulmini insistens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Caput juvenile galeatum. ℞ *Pharetra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. ℞ *Victoria gradiens palmae ramum super humero effert.* AE. III. (Mus. Caes.)

Protome Cupidinis alata. ℞ *Pharetra et arcus.* AE. III. (Pellerin.)

Horum aream numorum saepe insident astra solis et lunae, Pontica item symbola, quae, ut et numismata hoc loco descripta habes explicata in prolegomenis ad Ponti numos.

* * *

De numis argenteis inscriptis ΠΕΙΡΑ huc forte vocandis vide, quae docebimus in numis Sinopes Paphlagoniae.

* * *

Nexum cum Roma adhuc libera profitentur sequentes:

ΑΜΙΣΟΤ. *Protome Palladis.* ℞ ΕΠΙ. ΓΑΙΟΤ. ΠΑΠΕΙΡΙΟΤ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. *Roma galeata sedens d. Victoriolam, s. clypeum, infra:* ΡΩΜΗ. AE. II. (Pellerin. Suppl. II. p. 24.)

Alius, sed cum magistratu: ΕΠΙ. ΓΑΙΟΤ. ΚΑΙΚΙΛΙΟΤ. ΚΟΡΝΟΤΤΟΤ. AE. II. (Vaill. in fam. Caecil.)

Non pauci exstant numi urbium Bithyniae, Paphlagoniae, Ponti, qui *C. Papirium Carbonem* offerunt, qui eas provincias exeunte saeculo VII. urbis condidit rexit, de qua numorum classe agam copiosius in prolegomenis ad numos Bithyniae. Numus alter *C. Caecilium Cornutum* memorat. Eo Vaillantius intelligendum putat Caecilium Cornutum praetorium, qui sub Tiberio accusatus sibi ipsi mortem consoivit [a]). At cum numus hic, si magistratum demas, praecedenti, ut gutta guttae, similis sit, nolim utrumque intervallo centum fere annorum dirimere, et magis verisimile puto, Cornutum circum eadem Papirii tempora eas provincias rexisse.

* * *

Imperatorum aetate signati sunt: ЄΤ. CƎH. *Caput Bacchi.* ℞ AMIϹOT. ЄΛЄϹ. *Cista Bacchi et thyrsus.* AE. III. (Pellerin.)

AMIϹOT. ЄΛЄΤΘЄΡAC. *Protome Palladis.* ℞ ЄΤOTϹ. - - - *Fluvius decumbens s. urnae innixus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Prior per annum epochae, de qua in-

a) Tacit. Ann. IV. 28.

Digitized by Google

fra, in imperium Maximini cadit. De titulo ЄΛЄΤΘЄΡΑC agetur in imperatoriis.

AE. C.

Imperatorii.

Primorum imperantium aetate Amiseni aut nullam signavere pecuniam, aut nonnisi autonomos. Caput extulere Hadriano demum imperante, monetam suam imperatoriam ab elegantibus drachmis auspicati, paucis urbibus Graecis permisso, ex argento ferire nummos. Sed et hic sive mos, sive privilegium paullo post Hadrianum sub Antonino exspiravit, reliqua inde ejus moneta usque ad Saloninum tota aenea.

Epigraphe: AMIϹOT. rarius: AMIϹOC., at AMIϹHNΩN. in numo Concordiae, de quo mox, et alias rarius.

Typi: qui sunt in moneta argentea, eos infra in epocha memorabo. Qui sunt in aenea, idoneum nihil offerunt.

* * *

ЄΛЄΤΘЄΡΑC. *liberae* constanter amabat addere, ut et Plinius senior eam dixit *Amisum liberam*, et Plinius junior scribens ad Trajanum [d]): *Amisenorum civitas et libera et foederata beneficio indulgentiae tuae legibus suis utitur.* De hoc argumento vide plura infra in epocha.

* * *

Concordia in binis celebratur: AMIϹOC. AMAϹTPIC. *Duae Amazones stantes*, in numo Antonini. (Vaill.) In altero Maximini praeter solitum AMIϹOT. ЄΛЄΤΘЄΡΑC. ЄT. CΞH. additur: AMIϹHNΩN. MIΛHCIΩN. *Serapis stans*, qui Amisum respicit, (ducto nempe ex Ponto ejus dei cultu) *et Apollo sedens*, qui Miletum jure pertinet. (Vaill.)

* * *

Epochae annum Amisi numi omnes, modo integri sint, ostentant praefixo vocabulo ЄTOTC. En eorum catalogum praemissis argenteis, alioquin et tempore prioribus.

Argentei Amisi cum epocha.

PΞΓ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. clypeum*, Hadriani. (Mus. Caes.)

PΞΔ. *Capricornus cum globo et cornucopiae*, Hadriani. (Vaill.)

PΞЄ. *Ceres stans*, Hadriani. (Mus. Caes.)

PΞϛ. *Mercurius stans*, Hadriani, Sabinae. (Vaill. Mus. Caes.)

PΞZ. *Mulier stans d. extenta, s. hastam*, Hadriani, Sabinae. (Mus. Caes.)

PΞH. *Mulier stans d. pateram, s. hastam*, Sabinae. (Vaill.)

PΞH. *Ceres stans.* Hadriani. (Mus. Caes.)

PΞΘ. *Venus genuflexa d. speculum*, Sabinae. (Vaill.)

PΞΘ. *Aequitas stans*, Aelii Caes. (Vaill.)

PΠΘ. Fortuna stans, Antonini. (Mus. Caes.)

---

d) L. X. ep. 93.

Digitized by Google

Aenei Amisi cum epocha.

CMЄ. Caracallae. (Mus. Caes. Vaill. Liebe.)

CMH. Caracallae. (Mus. Caes.)

CMΘ. Diadumeniani. (Vaill.)

CΞH. Maximini, (Vaill.) et in autonomo supra citato.

Aerae Amisenae initium antiquarii hactenus fere omnes duxerunt ab anno V. C. 721. Rationem repetunt a Strabone, cujus verba sunt: *liberatam a D. Caesare* (nempe victo Pharnace, ut ad annum V. C. 707. refert Dio) *Antonius regibus subjecit; deinde vexata est a Stratone tyranno, liberata rursum ab Augusto post victoriam Actiacam.* Cum igitur definite Strabo tempus liberatae ab Augusto urbis pronunciet, fieri potuit, quod opinatur etiam Vaillantius e), ut Amiseni se ipsos antea a Stratonis violentia liberarent adjuvante fors M. Antonio, eamque libertatem serius Augustus confirmaret.

Ducendam aeram ab anno V. C. 721 ex numis Diadumeniani et L. Aelii conficiunt eruditi. Annus CMΘ. in numo Diadumeniani rite comprobat, non potuisse incipere citius, ut patebit ducenti calculum. At non perinde firmum argumentum captum ex numo Aelii cum anno PΞΘ., non potuisse epocham incipere serius, quod verum esse potest tantum in eorum sententia, qui Aelium Kal. Ian. V. C. 890. vita functum statuerunt. Nam si pro aerae principio sumas annum sequentem 722., annus PΞΘ. incipiet in autumno V. C. 890., Aelio jam Kalendis Ian. ejusdem anni e vivis sublato. At vero cum certum sit, Aelium mortuum non Kal. Ian. 890., sed 891., ut probabimus in moneta hujus Caesaris, vi hujus numi poterit initium hujus aerae differri in annum V. C. 722., non refragantibus huic calculo reliquis Amisi numis hactenus cognitis. Certiora docebit dies.

Pro simplice hac Amisi aera triplicem varia aetate usitatam ex numis stabilire aggressus est Abbas Mazzolenus f), unam ab anno V. C. 707. teste numo Caracallae cum anno CNЄ., quem citat Holstenius g), alteram, quae eadem est cum nostra, ab anno V. C. 721., tertiam ab V. C. 723. jubente istud numo Aelii cum anno PΞЄ., quem ex regia Gallorum gaza vulgavit Pagius. Nihil agit vir eruditus, cum vero propius sit, utrumque numum male lectum. Quod ad Caracallae numum attinet, est in museo Caesareo numus similis illi, quem citat Holstenius, typo etiam Victoriae in bigis, sed in quo luculentus est annus CMЄ. non CNЄ. Male igitur novam aeram stabilimus ex prono errore seu Holstenii inconsultius legentis, aut typothetae M in N mutantis. Simile peccatum agnosco in anno PΞЄ Aelii, pro quo haud dubie reponendum PΞΘ. Elementum Θ, si, circuli pars dexterior aevo erosa est, facile potest elementi Є speciem praebere, quod Hadriani jam aetate in ipsis etiam Amisi numis arcuatum fuit. Et vero numus hic quem Pagius ex regia gaza citat, Vaillantio, qui eam solvite excussit, ignotus

e) Num. Graec. p. 249. f) Mus. Pisan. Part. II. p. 621. g) Ad Stephan. in Ἀμισός.

Digitized by Google

tamen fuit, at bene cognitus alter Aelii cum anno PΞΘ. ex eodem museo. Taceo absurda alia, qua ex hac triplicis aerae doctrina consequuntur, et quae jam alibi prolixius exposui h).
AR. et AE. RR.

ASIBA.

Mediterranea in Ponto Cappadocico, cujus meminit Ptolemaeus.

Imperatorius.

Gordiani: ACIBAIΩN. *Juppiter sedens.* (Vaill. Harduin.)
AE. RRRR.

CABIRA.

In Ponto Cappadocico versus Armeniam minorem.

Autonomi.

Caput Palladis. Ɪ KABHPΩN. *Perseus stans caede Medusae occupatus.* AE. I. (Haym.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. Ɪ KABHPΩ. *Victoria gradiens palmae ramum super humero effert.* AE. II. (Pellerin.)

Caput imberbe galeatum. Ɪ KABHPΩN. *Aquila fulmini insistens.* AE. fere I. (Hunter.)

Sunt hi typi omnes Pontici, quos explicavi in prolegomenis ad numos Ponti. Spectata orthographia differunt numi a scriptoribus, Strabone, Plutarcho, Appiano, qui urbem τα Καβειρα appellant, ut et Latini *Cabira.*
AE. RRR.

CERASVS.

Maritima in Ponto Polemoniaco, unde arborem cognominem pomis suis nobilem, Hygiae donum, advexit Lucullus teste Ammiano i).

Imperatorii.

KЄPACOTNTIΩN. -- COΔ. *Juppiter stans*, Hadriani. (Panel ex le Bret Mem. Trev.)

KЄPACOTNTIΩN. ЄT. H. *Satyrus stans d. taedam, s. pedum*, M. Aurelii. (Vaill.)

Posteriorem hunc numum mendose promulgavit Spanhemius, cum pro dicta epigraphe legeret: KЄPACOTN. TIANЄΩN k).

Arrianus in Periplo ex Pharnacia, de qua infra, et Cerasunte unam eandemque urbem facit, cum ait: *haec Pharnacia olim Cerasus vocata fuit.* Huic orationi jam contradixit Cellarius teste usus Strabone multo aliud adserente, et utrumque oppidum disjungente. At Arrianum adfligunt etiam numi praesentes ei ipsi coaevi, qui diserte docent, valuisse adhuc tum Cerasuntis nomen, neque ab adventitio Pharnaciae fuisse extrusum.

Epochae annum utrum significent literae COΔ. in citato Hadriani numo, incertum.

Annus imperii M. Aurelii τῳ ЄT. H. expressus.
AE. RRRR.

CHABACTA.

Vnus Strabo urbis hujus meminit Irin

h) Num. vet. p. 166. i) L. XXII. c. 13. k) Caess. Julian. p. 45.

Digitized by Google

inter et Halyn sitae, sed quam χαβακα apellat, vocabulo utique per librarios luxato, ut numi docent.

Autonomi.

Caput imberbe galeatum. Ɪ XABAKTΩN. *Pharetra, in area astra solis et lunae.* AE. II. (Haym, Pembrock.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. Ɪ XABAKTΩN. *Victoria gradiens elato super humerum palmae ramo, in area eadem astra.* AE. II. (Haym. Hunter.)

Caput juvenile tectum galea recurva mentum includente. Ɪ XABAKT. *(retrograde) Pegasus pascens sublato pede dextero anteriore.* AE. II. (Pellerin Suppl. I. p. 32.)

De numis binis prioribus cum typis Ponticis vide prolegomena ad numos Ponti. Tertio simillimum jam vidimus in moneta Amisi, unde explicationem pete. Confirmatur adeo ab his numis id, quod tradit Strabo, fuisse Chabacta Amiso vicina.

AE. RR.

COMANA.

Mediterranea in Ponto Galatico ad Irin Fl., ubi vetustissimum et sanctissimum Bellonae templum stetit, ut refert Hirtius [1]), aliique.

Autonomi:

Caput Palladis. Ɪ KOMANΩN. *Perseus stat Medusae caede occupatus.* AE. I. (Theupoli.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. Ɪ KOMANΩ. *Victoria gradiens elato super humerum palmae ramo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hos Pontici argumenti numos explicavimus in prolegomenis Ponti. Numi prioris aversam aevo fuisse attritam, patet ex verbis auctoris, qui catalogum Theupolianum concinnavit. Sed recte eam restituunt numi Ponticarum urbium analogi.

AR. RR.

Numi *coloniae*, et *imperatorii* Gracci. COL. IVL. AVG. *Felix.* COMANORVM. *Templum distylum, in quo mulier stans diducto pallio instar Junonis Pronubae*, in numo Caracallae. (Vaillant, Harduin.)

Tria fuere Comana in Asia minore, una in Ponto, de quibus hic agitur, altera in Cappadocia magna, tertia in Pisidia. Quibus tribuendus sit hic numus, jure dubitatur. Vaillantius in haec Ponti Comana propendet, Harduinus in altera Cappadociae. Historici nihil opis conferunt, qui Comana quaepiam fuisse coloniam dicere neglexerunt. Verum ante omnia investigandum, quorsum pertineant imperatorii Graeci, inscripti KOMANЄΩN. Eccos:

KONANЄΩN. (sic.) *Juppiter stans*, M. Aurelii, (Vaill.) *Dioscuri stantes*, M. Aurelii, (Catal. d'Ennery p. 596.) *Bacchus stans:* Philippi. (Panel ex le Bret. Mem. Trev.)

---

[1]) Bell. Alex.

Digitized by Google

IЄPOKAICAPЄΩN. KOMANЄΩN. ЄT. BOP. *Templum, in quo Victoria cippo insistens.* Severi. (Vaill.)

IЄPOKAI. KOMANЄΩ. ЄT. BOP. *Idem typus*, Caracallae laureati barbati. (Pellerin Rec. III. p. 215.)

KOMANЄΩN. *Mensis stans*, Alexandri. (Vaill.)

Hos numos Comanis Pisidiae confidenter tribuit Vaillantius. In numo Severi concordiam inter Hierocaesarienses Lydiae et Comanenses initam videt, et annum .BOP. esse Hierocaesareae, cujus initium duceretur ab anno V. C. 779. grata nempe hac Lydiae urbe adversus Tiberii beneficia, quibus eam terrae motu aliquot ante annis concussam, ut revera eo malo collabefactatam refert Tacitus, recreavit [m]). In eadem sententia est Harduinus, nisi quod aerae initium figat ad autumnum V. C. 775. Vtriusque sententiam de epochae principio evertit numus Caracallae; nam si anno Vaillantii 779. addatur annus numi 172., hunc Caracallae numum signari oportuit ab autumno V. C. 950., quo anno novennis erat Caracalla, quam aetatem prodit etiam in omnibus numis Romanis hoc anno cusis; sed dictus numus Caracallam liberaliter barbatum sistit. Multo minus, ut ex dictis patet, valere potest principium epochae ab Harduino anno 775. illigatum.

Diverso ab his tramite incessit Cl. Wise [n]), qui Hierocaesarienses Lydiae, ac praetensam illam hos inter et Comanenses Pisidiae ἐμονσιαν penitus excludit, Comanenses vero Ponti honoris causa dictos *Hierocaesarienses* putat, iisque hunc Severi numum largiendum. Epocham autem ducendam ab V. C. 788., aut circiter, quo tempore Pythodoride mortua Comana ad Romanos pervenere. Haec ille conjicientis more, et argumentis aliis abstinet.

Audacior primum haec Cl. viri conjectura visa, continuo magis expensa prae altera priorum antiquariorum sententia adrisit. Tot habemus per Asiam minorem Caesareas, Neocaesareas, Diocaesareas, Hierocaesareas, Sebastes, Sebastopoles, Claudiopoles, Neoclaudiopoles, Germanicopoles, quarum vetera nomina imperatorum nominibus permutata fuere, ut idem honos ad nostra quoque Comana derivari facile potuerit, atque ut alia Caesarea ob stabilitum apud se Jovis cultum dicta est Diocaesarea, alia Ponti, ut se ab aliis Caesareis distingueret, Neocaesarea, sic nostra Comana se dixerint *Hierocaesarea*, idque cumprimis apposite, nam circumsitus ager, et Comanis obnoxius passim a Strabone dicitur ἱερα χωρα, et τῦ ἱερεως propter templi religionem, et quod sacerdoti paruit. Refert idem Strabo, Cabira, haec quoque Ponti oppidum, a Pompejo dicta *Diopolin*. Ergo si exstaret numus KABHPΩN. ΔIOΠOΛITΩN., male perinde arguremus, Cabira et Diopolin esse urbes diversas, et utriusque in eo notari concordiam.

---

[m]) Num. Graec. p. 273. [n]) Mus. Bodl. p. 205.

Digitized by Google

Ceterum opus non est commemorare, urbes saepe abjecta appellatione sua vetere deinceps adventitio constanter nomine usas, ut factum a Caesariensibus Cappadociae, aut abjecto adventitio respexisse vetus, cujus exemplum praebent Mantinea, Edessa Macedoniae, et Ancyra, aut vetus junxisse cum adventitio honoris vocabulo, cujus, quod nota sunt, exempla adferre piget. Vt concordiam inter utramque urbem initam opinemur, nulla certa ratio suadet, et fuere antiquarii priores nimium saepe liberales in ea ex numis statuenda, quorum praeceps judicium jam perstrinxit Pellerinius, et supersunt adhuc, quae censore egent. Sane in his, de quibus agimus, numis abest vox ΟΜΟΝΟΙΑ, et cum in numis Concordiae utriusque urbis, cujus in iis fit mentio, expressus plerumque sit typus, in his simplex tantum est. Novi per utriusque criterii absentiam evidenter argui non posse, non notari in his numis concordiam, at cum utrumque absit, absunt etiam certi concordiae characteres, et non cogimur eam profiteri, cum aptiorem alium habemus explicatum. Eodem consilio Vaillantius epigraphen ΙЄΡΟΠΟ. ΚΑCΤΑΒΑ. non de binis diversis urbibus cepit, sed de Castabalis solis, quae Hieropolis quoque nomen habuisse conjecit o). Accedit denique, raros esse urbium Lydiae numos epocha insignes, cum tamen haec frequenter Ponticarum urbium monetae inscribatur. Quare etsi hanc meam, et Cl. Wise sententiam non tantis putem argumentis confirmatam, ut vet rem aliorum continuo loco motam existimem, verisimiliorem tamen prae hac censeo, et hos numos Comanis Ponti tribuendos.

In *Epochae* jam etiam exordium inquirendum. Illud, quod dictavere Vaillantius et Harduinus, jam refutavi. Erudito Wise placuit annus V. C. 788. Additis huic annis 171. habemus annum V. C. 959. in cujus autumno coepit annus Comanorum 171. At tum Caracalla annum circiter XVIII. agebat, cum qua aetate liberalior barba, quam numus offert, componi non potest. Hanc Caracalla primum adpendit, cum trib. potestatem XII. numeraret, ut istud inspecta locupletiora musea luculente ostendunt. Ea illi obtigit V. C. 962., igitur annus Comanensium 172. anteriori V. C. anno respondere nequit; neque respondere potest alteri, qui sit posterior anno 964., nam hoc anno mense Februario mortuus est Severus, in cujus quoque numo legitur idem annus 172. Igitur initium epochae ducendum est ab autumno V. C. 791. vel 792., qui respondent annis Christi 38. 39. Refert Dio, Caligulam Polemoni Polemonis F. paternum imperium, Pontum nempe, ex S. C. tribuisse V. C. 791 p). Forte tum beneficiorum aliquid in Comanenses fluxit, quod instituendae epochae causam suffecit, ac etiam tum fieri poterat,

o) Num. Graec. p. 124. p) L. LIX. §. 12.

Digitized by Google

ut Hierocaesareae honorificum titulum simul caperent.

An etiam alii duo supra citati numi Graeci ad haec Comana pertineant, difficilior quaestio. Suadere istud videtur typus in numo Alexandri, qui proponit deum Mensem, cum Strabo testetur, hunc deum inter primos a Comanensibus cultum. Verum ejus deastri honores per totam praecipue Asiam minorem late patuere. Minus habeo, quod de numis KONANEΩN statuam, sintne tribuendi his nostris Comanis, an referendi ad urbem Pisidiae, quam Notitiae vocant Κοανη.

Denique ut ad citatum supra coloniae numum redeam, si numi Graeci Severi, Caracallae, et Alexandri revera sunt horum Comanorum Ponti, hic illis coloniae numus vix competet. Nam quae urbs se coloniam professa est in numo Caracallae, ejus mentionem non dissimulasset in numo Alexandri. Vocandus igitur videretur hic numus ad alia Comana seu Pisidiae, seu Cappadociae. At ex omnibus his satis apparet, Comanorum monetam sub imperatoribus signatam copiosiorem adhuc lucem postulare.
AE. RRR.

GAZIVRA.

Mediterranea ad Irin fl., inclyta olim, sed Strabonis aetate deserta.

Autonomi.

Caput Jovis. Ϫ ΓAZIOTPΩN. *Aquila insistens fulmini.* AE. I. (Pellerin.)

Caput juvenile galeatum. Ϫ ΓAZIOTPΩN. *Pharetra.* AE. II. (Haym. Theupoli.)

Vide de his typis prolegomena Pontica.
AE. RRR.

LAODICEA.

Nemo veterum Laodiceae cujusdam Ponticae meminit. Verum cum numi, quos mox recitabimus, typos habeant uni Ponto proprios, necesse est fuisse in eo oppidum aliquod sic dictum, cui numi hi debeantur. Testatur tamen Pellerinius, in geographia Turcica MS. memorari urbem *Ladik* inter Amasiam et Osmandgik.

Autonomi.

Aegis Palladis inserto Medusae capite. Ϫ ΛAOΔIKEΩN. *Victoria gradiens palmae ramum super humero gestat.* AE. II. (Haym.)

Caput juvenile galeatum. Ϫ ΛAOΔIKEΩ — *Pharetra.* AE. II. (Pellerin.)
AE. RRRR.

LIVIOPOLIS.

Vix attinebat meminisse obscuri hujus Ponti oppidi ex autonomo Arigonii: ΛIIV. typo botri, nisi viderem, illud a Froelichio in urbium catalogum receptum q). Epigraphe haud dubie manum medicam postulat, ut plures aliae per Arigonii opus.

MACROCEPHALI.

Horum solus Plinius meminit, quos in

q) Not. elem.

Digitized by Google

Themiscyra Irin inter et Thermodontem collocat. His tamen Goltzius autonomos tribuit: *Caput Neptuni.* Ϟ MAKPO, *vel* MAKPOKEΦAΛ. *Caput bovis intra lauream.* Sed hos referendos Corcyram, in hujus insulae numis docui.

NEOCAESAREA.

Mediterranea ad Lycum Fl., urbs Ponti Polemoniaci nobilissima teste Ammiano. Catalogum ejus numorum omnium dedit cl. Sestinus r).

Autonomus.

Caput Herculis laureatum, ad humeros clava, in area KΘ. Ϟ NEOKAICAPEIAC. *intra lauream.* AE. II.

Numum hunc a Cl. Iacobo Biancano Bononiensi mecum communicatum olim vulgavi s). Per annum epochae, in quam mox inquiram, signatus est V. C. 844, imperante Domitiano.
AE. RRRR.

Imperatorii.

Exstant a Tiberio usque ad Gallienum.

Epigraphe: NEOKAIΣAPEIΣ, in numo Tiberii. (Vaill. Theup.) NEOKAICAPEΩN, Caligulae, Domitiani, Faustinae jun. (Pellerin.) NEOKAICAPIAC, Valeriani, Gallieni. (Pellerin, Arigoni.) In aliis. NEOK. NEOKAIC.

Typi obvii, plerumque *templum 4. columnarum.* Singularem alium vide mox in *Metropoli.*

* * *

Metropolis honore claruisse testantur numi, quem urbi accessisse a Nerone V. C. 815. censet Vaillantius, quo Pontus Polemoniacus ab eo in provinciam fuit redactus. Hunc honorem jactare incipit numus M. Aurelii, (Vaill.) neque is deinceps omittitur, inscripto MHT. MHTPO. At in numo Alexandri: MHT. ΠONTOT. (Vaill.) Ad hanc metropoleos dignitatem videtur adludere typus singularis, qui est in numo Severi apud Haymium: *Sex mulieres tutulatae stantes, quarum media gubernaculum tenet,* quibus verisimile est indicari totidem Ponti illustriores urbes Neocaesareae metropoli subjectas. Simile exemplum videbis infra in numo coloniae Laodiceae Syriae, et Damasci.

Neocoratus in numo unico Valeriani ΔIC. NEΩ. (Sestini Lettere P. III. p. 10.)

* * *

Commune saepe inscripsit inde a M. Aurelio, solito KOINON. In numo Getae: KOINoν ΠOντu t), quo docemur, totius Ponti nomine hic constitutos fuisse ludos.

* * *

Hadrianam se scripsit in numo Faustinae jun. AΔPIANΩN. NEOKECAPEΩN. (sic.) (Pellerin.) et in alio Getae. (Mus. Caes.)

* * *

Magistratus urbis proprii observantur in binis numis Caligulae, in quorum

r) Lettere P. III. p. 5. s) Num. vet. p. 167. t) Pellerin. Mel. I. p. 165.

Digitized by Google

aversa: ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ, typo Agrippinae matris sedentis. Notantur autem nude: ΑΡΤЄΜΩΝΟC. vel: ЄΡΜΟΓЄΝΟΤC. (Pellerin Mel. II.)

* * *

Epochae anni plerumque inscripti praefixo ЄΤ. En eorum catalogum:

ΚΘ. in autonomo supra citato.

ϥH. M. Aurelii. (Vaill.)

PMB. Getae. (Vaill.) Severi. (Sestini.) Caracallae. (Sestini.)

PMR. Severi. (Mus. M. Ducis, com. Vitzai, Haym.) Getae Caesaris. (Haym.)

PMH. Domnae. (Vaill. Theup.) Getae Caesaris. (Sestini.)

PΞ. Alexandri. (Vaillant. Num. Graec. in iconismo.)

PΞB. Alexandri. (Vaill.)

POH. Gordiani. (Panel. num. Trebon. p. 18.)

PϥB. Valeriani. (Pellerin.)

Pϥϴ. Gallieni. (Arigoni.)

Antequam stabilire epocham aggredior, expediendum, quem valorem habeat annus PMR, qui sic exaratus comparet in numis Severi et Getae. Eum Haymius pro PMB. habet [u]). At mihi elementum R habere valorem episemi, seu ϛ videtur, nam hoc modo effictum senarium in Syriae urbium numis intuemur. At quod dixi, multo certius probant synchronae Caesareae Cappadociae drachmae, quarum binas cum capite Severi, et luculento ЄΤ. R. habet museum Caesareum, quae adeo nota ex Haymii lege indicabit Severi annum II., quod nullo pacto verisimile, quia certum est, Cappadociam nonnisi adulto anno II. Severi juxta domesticum annorum suorum calculum victo Pescennio in partes Severi concessisse. Quocirca verisimile, eandem notam in synchrono Neocaesareae numo senarii quoque potestatem habere. Constat, Graecorum episemon formarum fuisse omnium patiens, at nullius fere literae formam minus variatam, quam ττ B. Legendum ergo PMR. 146.

Epochae Neocaesariensis exordium ad annum V. C. 815. fixit Vaillantius, quod judicium jure impugnat Harduinus ex numo Aurelii Aug. cum anno ϥH., qui additus ad 815. coepit in autumno V. C. 912. exiturus in autumno anni sequentis. At Aurelius nonnisi V. C. 914. mortuo Pio Augustus dictus est. Sed Harduinus, qui Vaillantii Scyllam vitaverat, suam tamen Charybdin reperit, dum aerae principium statuit annum 817. Recitavit ipse numum Severi cum anno PMH., qui ex calculi lege incipit in autumno V. C. 964. At Severus jam mense Februario ejusdem anni diem obivit. At his incommodis liber est annus V. C. 816., quo coepisse aeram suffragantibus numis statuo. Non potuisse incipere citius, ex numo Aurelii mox vidimus. Non serius, recte quidem probaret citatus Severi numus cum anno PMH., nam signatus esset ab autumno V. C. 963. nullo in sequentem autumnum effugio, quia hic imperator proximo Februario mortuus est. At enim numum hunc, quem ex museo Mediceo citat Vaillantius, vidi ipse, qui

u) Tom. II. p. m. 315.

Digitized by Google

tamen non PMH., quod is adseverat, sed solitum PMR inscriptum offert. Ejus tamen vicem supplet numus Getae adhuc Caesaris cum eodem anno, seu, ut paullo supra explicui, 146., qui si addatur ad 816., docebit numum signatum ab autumno V. C. 961., quo anno labente Geta Augusti titulum abstulit, ut copiose in ejus moneta docebitur.

Vaillantio judice, qui epocham ab anno V. C. 815. inchoavit, ejus instituendae causa fuit, quod hoc anno Polemo II. Pontum a se dictum Polemoniacum Neroni cessit. Probabimus infra in moneta regum Ponti ex numo ejus regis cum anno ΚΔ., eum adhuc ab autumno V. C. 814. Ponto praefuisse. Ergo ante annum 815. Pontus in Romanorum potestate esse non potuit, atque consultis numis, qui epochae initium ad annum 816. constituunt, verisimile fit, hoc demum anno Pontum Romanis accessisse, quo factum, ut hos demerendi causa non Neocaesarienses modo, sed et vicini Trapezuntii et Zelitae ab hoc tempore epocham novam ducerent.

AE. RR.

PHARNACIA.

Maritima, ex vetere Cotyoro condita teste Strabone.

Autonomus.

Caput Jovis. Ϟ ΦΑRNAKEΩN. *Bos gradiens.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRR.

PHINEVM.

Ab uno Stephano obiter τοπος του Ποντου dicitur. Neglecto eo, quem Goltzius in Thesauro proponit, alium nobis exhibet Arigonius inscriptum ΦINE. typo tripodis, quem Froelichius in urbium catalogo Notitiae suae elementaris huic Stephani Phineo tribuit. Sed forte fallit Arigonii lectio nimium saepe intuta.

PIMOLISA.

Hujus oppidi, siti in agro Pimoliseno, meminit Strabo, et ex eo Stephanus.

Autonomi.

Caput galeatum barbatum. Ϟ ΠIMΩ-ΛIΣ - - *Pharetra.* AE. III. (Pellerin.)

Caput galeatum juvenile. Ϟ TIMΩΛI-ΣΩN. *Pharetra.* AE. II. (Pembrock P. II. tab. 31.)

Suapte patet, in altero hoc numo legendum ΠIMΩΛIΣΩN confirmante hanc lectionem etiam simili Hunteriano. De typis his Ponticis vide prolegomena ad Pontum.

AE. RRR.

SEBASTOPOLIS.

Mediterranea, memorata Ptolemaeo et Plinio, et marmori, quod recitat Corsinus [x]): ΣEBAΣTOΠOΛEITΩN. TΩN. EN. ΠONTΩ.

Autonomus:

Caput Bacchi hedera redimitum Ϟ CE-

x) Dissert. agon. p. 32.

Digitized by Google

ΒΑCΤΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Cista, ex qua prospectat serpens.* AE. III. (Pellerin.)
AE. RRRR.

Imperatorii.

Reperti duo cum eadem epigraphe:
Diana Ephesia, Antonini. (Arigoni.)
Juno Pronuba, Domnae. (Pellerin Rec. III. p. 256.)

Putabat aliquando Pellerinius, numum suum tribuendum Myrhinae Aeolidis, quae teste Plinio *Sebastopolis* vocabatur y), sed idem serius in eandem hanc Ponti Sebastopolin consensit z).
AE. RRRR.

SMAETA.

Domnae numum edidit Harduinus ΣMAIΤΩN. ET. PMB. typo templi. Ex nonnullis indiciis numum ad aliquam Ponti urbem pertinere recte opinatus est, etsi Smaetae geographorum nemo meminerit. At indubitatum videtur tam ratione typi, quam epochae, numum Zelam ejusdem Ponti pertinere, et pro vero ZHΛIΤΩN lectum ΣMAIΤΩN. Non desunt exempla, M pro H, et A pro Λ lecta esse. Si dubitas, confer numos Zelae Ponti.

TRAPEZVS.

Maritima versus Colchidem, urbs nobilis, Sinopensium colonia teste Xenophonte a), et Diodoro Siculo, qui eam jam Colchidi inserit b).

Autonomi.

Hos praeter Goltzium nemo vidit.

Imperatorii.

Horum tres primus edidit Froelichius c), addidere deinde suos Theupolius, et Pellerinius. Hactenus a Trajano usque ad Gordianum procedunt.

Epigraphe constans: ΤΡΑΠЄΖΟΤΝΤΙΩΝ.

En hujus urbis numos hucusque cognitos:

ЄΤ. I. *nomen urbis intra lauream*, Trajani (Theupoli.)

ЄΛΡ. *Mensis eques medio suo et equi corpore*, Severi. (Mus. Caes.) In alio simili, sed Caracallae, praefigitur ЄΤΟΤC. (Mus. princ. Waldeck.)

ΘΛΡ. *Serapis stans*, Caracallae. (Mus. Caes.)

ЄΤ. ΡNЄ. *Mensis eques, juxta ara*, Elagabali. (Pellerin Rec. III. p. 204.)

ΓΞΡ. *idem typus*, Alexandri. (Pellerin ibid.)

— *Fortuna stans*, Gordiani. (Mus. Caes.)

Epochae principium jam Froelichius ad annum V. C. 816 fixit, cum quo omnes anni his numis inscripti componi possunt. Ex anno Elagabali tenemus, non posse principium epochae in anteriorem aliquem annum cadere. Fuit ergo Trapezuntiis idem epochae initium, quod Neocaesariensibus et Zelitis, et eadem haud dubie ejus stabiliendae cau-

---

y) l. c. z) Suppl. I. p. 50. a) Exped. Cyri. b) L. XIV. c. 30. c) IV. Tent.

Digitized by Google

as, quam vide supra in numis Neocaesareae.

* * *

Annos imperii sub praecedentibus imperatoribus fuisse aeri insertos, probat citatus numus Trajani.

* * *

Ex mente Froelichii numi Commodi et Severi, inscripti ΤΡΑΠΕΖΟΥΠΟΛΕΩC, quos Vaillantius Trapezopoli Cariae tribuit, huc quoque revocandi sunt, cum quo sentit et Pellerinius [d]). Verum injustam hanc esse rapinam, in hac Cariae urbe docebo.
AE. RRR.

TRIPOLIS.

Castellum et locus obscurus ad mare, cui insignes quosdam Trajani numos largitur Pellerinius [e]), sed quos verisimilius esse Tripolis Cariae, in hujus numis statuemus.

ZELA.

Mediterranea versus Armeniam, Triarii clade, et I. Caesaris de Pharnace victoria illustris.

Imperatorii.

Oppido pauci cum capite Domnae, et Caracallae, suntque apud Vaillantium, et in museo Caesareo.

Epigraphe: ΖΗΛΙΤΩΝ. ΤΟΤ. ΠΟΝΤ. in numo integerrimo Caracallae. (Mus. Caes.) At Vaillantius in binis Domnae legit: ΚΟΙΝΟΝ. ΖΗΛΙΤΩΝ. (Num. Graec. p. 272.)

Typi: *Templum 6. columnarum — Juppiter sedens.*

* * *

Epochae annum omnibus his inscripsit praefixo ЄΤ. Quam varius et ioncnstans fuerit Vaillantius, et quam insigniter in definienda hac aera peccaverit, jam observavit Pellerinius [f]), et ipse ad similem musei Caesarei numum comprobavi [g]). Tam in Domnae, quam Caracallae numis est: ЄΤ. ΡΜΒ., qui adeo ab anno V. C. 707., anno nempe victoriae J. Caesaris, deduci nequit, ut opinabatur Vaillantius. Neque valere potest annus 706. Froelichii [h]), neque 708. Harduini, quorum uterque inconsulto Vaillantii praeconio deceptus est. Est ergo haud dubium epochae exordium annus V. C. 816. exemplo Neocaesareae, et Trapezuntis, cui addendo annum ΡΜΒ, seu 142., qui est in his numis, prodit annus V. C. 957., quo peradolescens adhuc fuit Caracalla, qualem eum reipsa numus musei Caesarei sistit. Causam probabilem constitutae ad hunc annum epochae vide supra in numis Neocaesareae.

* * *

Praeter hos nullus hactenus Zelae numus editus est. Quem cum capite Trajani obtulit Haymius [i]), ipse sub finem praefationis ad Tomum II. pertinere Smyrnam docuit.
AE. RRR.

---

d) Mel. II. p. 112 et 130. e) Rec. III. p. 206. f) Mel. II p. 320. g) Catal. Mus. Caes. P. I. p. 139. h) IV. Tent. p. 257. i) T. II. p. m. 266.

Digitized by Google

REGES
PONTI ET BOSPORI CIMMERII.

Placuit utriusque regni principes conjungere, quia major pars regum Ponti, quorum habemus numos, Bosporum una tenuit, et quod verisimile est, ejusdem epochae annos utrique numis suis inscripsere, ut dicetur.

Vtriusque regni numi praeclaros nacti sunt enarratores, quorum lucubrationes eo ordine, quo prodivere, lubet commemorare. Dissimulatis vetustioribus, quorum non aeque felices fuere conatus, quoniam carebant subsidiis, quae serius accessere, eruditus de Boze anno 1725. praeclaram de regibus Bospori usque ad Mithridatis VI. Pontici tempora dissertationem edidit, quae exstat in Memoriis inscriptionum Tomo VI. p. 549. Eodem anno prodivit Lutetiae opus postumum Vaillantii, quod inscribitur: *Achaemenidarum imperium, sive regum Ponti, Bospori, et Bithyniae historia ad fidem numismatum accommodata.* Vt sunt pleraque Vaillantii festinantius, et minus ἀκριβῶς scripta, ita opus istud tanto peccat frequentius, quod auctore morte praevento limae beneficio caruit. Proximus ad explicandos regum Bosporanorum numos accessit P. Stephanus Souciet S. I. edito insigni commentario, cui titulus: *Histoire chronologique des Rois du Bosphore Cimmerien*, qui insertus est ejus operum Tomo III. typis dato Parisiis 1736. in 4to. Successit eruditus Cary, jam in regum Thraciae numis cum laude commemoratus, cujus perelegans habemus opus: *Histoire de Rois de Thrace, et de ceux du Bosphore Cimmerien éclaircie par les Médailles, à Paris 1752. in 4to.* Eodem ipso anno prodivit Vindobonae opus insigne: *Regum veterum numismata anecdota aut perrara notis illustrata.* Frons auctorem praefert Franciscum Comitem de Khevenhüller, sed manum duxit P. Erasmus Froelich, ut de omnium fere regum numis, sic de Ponticis et Bosporanis in hoc commentario praeclare meritus, ut ex his nostris patebit. Idem triennio post numos Bosporanos nondum cognitos protulit, novisque observationibus illustravit in opere: *Ad numismata regum veterum anecdota, aut rariora accessio nova.* Per insignes ergo tantorum virorum conatus nihil jam aliud restat, quam ut pro instituti mei brevitate summa eorum capita proponam, insertis ubique numis, qui serius detecti sunt.

Epocham Bosporanam, de qua agemus post productos omnes numos, nunc προληπτικως figimus ad annum V. C. 457. ante Christum 297.

REGES BOSPORI CIMMERII.

Regnum dictum *Cimmerium* ab urbe pervetusta Cimmerico, posita olim in peninsula, Ponto et palude Maeotide intercepta [k]), quae hodieque vetus no-

k) Strabo L. XI. p. m. 756.

Digitized by Google

men in *Crimea* detortum obtinet. Dictum *Bosporus* a freto ejusdem nominis, hodie *Caffa*, quod Pontum cum Maeotide cunjungit, et regnum ipsum in duas partes secat, quarum una Europaea, et ipsa peninsula est, cujus caput Panticapaeum, altera Asiatica, cujus caput Phanagoria. Inde a tertio urbis conditae saeculo Bosporum suos habuisse reges constat, eosque durasse usque in tempora Constantini M., numi palam docent, quousque nulli regum veterum aliorum numi porriguntur, si forte numos regum Persiae Sasanidarum demas, sed quorum certa aetas figi nequit, cum notis chronologicis destituantur.

Bosporanorum regum numi haec habent sibi propria, I. quod epocham, aut regis sui annos plerique inscribunt, II. quod saepe altera parte imperatoris R. effigiem sistunt, quae primis duobus Romae imperantis saeculis, quando artes nondum plane collapsae fuere, satis commode discernitur, deinceps vero vix discerni potest, nisi cum annus epochae suppetias venit, nam imperatorum nomina adscripta non sunt, III. quod numos eorum habemus aureos, argenteos, et aeneos, et aureos quidem magno numero, et ex auri genere, quod electrum dixere veteres, admixta nempe argenti portione, de quo egimus alibi.

Primam regum stirpem fuisse Archaeanactidarum, docet Diodorus Siculus, quae coepit V. C. 267. et desivit 309. Alterius, quae successit, caput fuit Spartacus I. Hunc post aliquot ex ea gente principes, quos vide apud Cl. Bozium excepit

PAERISADES I. rex Bospori.

Propter praeclara in remp. merita a suis post mortem pro deo cultus teste Strabone. Regnavit inde ab V. C. 405. usque 443. Vide Bozium.

Numus.

Caput regis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΑΙΡΙΣΑΔΟΥ. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. clypeo innixa, intra sellae fulcra monogramma* ΠΑΝΤ., *in imo tridens.* AV. (Boze ex mus. reg. Gall.) Similem alium se vidisse Vindobonae testatur Froelichius. (Not. elem. p. 154.)

In praeclaro hoc numo pars aversa adeo similis est parti aversae, quae est in numis Lysimachi regis Thraciae, ut nisi Bosporani regis inscriptum nomen legeretur, eum nullo eroris metu numum Thracium diceres. Etenim non modo conspirat metallum, et typus princeps Palladis, sed etiam modus inscriptionis, tridens, et monogramma eandem in hoc quoque numo stationem occupans. In numis Lysimachi eodem loco, observamus varias literas, plerumque ΒΤ. ΚΑΛ. ΙΣ. ΤΟ., quibus verisimile diximus indicari *Byzantium*, *Chalcedonem*, *Istrum*, *Topirum*, quibus in oppidis hi essent numi cusi. Ex eadem ergo lege το ΠΑΝΤ. numi, de quo agimus, indicabit *Panticapaeum*, quae fuit Bospori Europaei urbs praecipua. Plena haec cum moneta Lysimachi concordia dubitare non sinit, fuisse certam aliquam causam, cur rex Bosporanus monetam suam cum moneta vicini regis tam exacte conformaret. Constat vero etiam, postremos XI. Paerisadis annos incidere in tempora Lysimachi. Soucie-

Digitized by Google

tus numum hunc tribuit Paerisadi III., sed argumentis, quae facile refutaveris [l]). Eum tamen, quod mirum, sequitur Froelichius. Cimelium istud verum nominis lectionem comprobat, cum ab auctoribus varie exaretur, Παρυσαδης, Παρισαδης, Περισαδης, Βερισαδης. Vide Bozium [m]).

AV. RRRR.

* * *

Paerisadis I. successores proximi nomine solum cogniti sunt, reliquorum deinceps ipsa nomina ignota. Horum omnium, ut et illorum, qui Paerisadem praecessere, numos non habemus, etsi eorum aliquos reperiundi spes temere abjicienda non est, si verum est, quod refert Polyaenus a Bozio citatus [n]), Leuconem Paerisadis patrem per fraudem veteris pecuniae valorem mutasse. Horum regum postremus Paerisades III. regnum Bospori Mithridati VI. Ponti regi tradidit, ut paullo infra in hoc dicetur.

REGES PONTI.

Regnum Ponti a Ponto Euxino nomen traxit, et erat portio Asiae minoris Colchide, Cappadocia, Paphlagonia, mari Euxino intercepta. Ejus primus rex, aut satrapa fuit Artabazes, ut nonnullis visum, a septem Persis oriundus, certe ex stirpe Achaemenidarum, ex qua ipsi Persiae reges fuere teste Herodoto [o]). Enim vero adhuc et illi, qui se a Mithridate VI. Eupatore genus ducere professi sunt, Achaemenidas se professi sunt, ut dicetur infra in Mithridate Bospori rege. Cum Darius Hystaspis regnum Persicum in satrapias divisisset, Artabazen Ponto praefecit, a quo reges successores genus duxere, quorum illos, qui proxime secuti sunt, quoniam numis carent, obiter enumero. Qui plura volet, adeat Reinerum Reineccium, et Vaillantii historiam Achaemenidarum.

ARTABAZEN regni auctorem secutus forte est RHODOBATES, hunc filius MITHRIDATES I., qui cum Cyro minore contra Artaxerxem Mnemonem conspiravit, et imaginem Platonis in academia ponendam curavit, de quo auctores varii a Reineccio citati. Succedit filius ARIOBARZANES I. adhuc patre vivo Lydiae, Ioniae, Phrygiae satrapia ab Artaxerxe Mnemone donatus. Sequitur

MITHRIDATES II. rex Ponti.

Ariobarzanis F. Regnavit per Alexandri M. bella Persica, post cujus mortem ab Antigono exagitatur. Habuit cognomen Κτιστης, *conditoris*, sed quod alii filio tribuunt.

Numus:

Caput regis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. *Jupiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, in area astro solis, et lunae, juxta monogramma.* AR. I. (Pellerin Mel. I. p. 204.)

---

l) l. c. p. 67. m) l. c. p. 552. n) pag. 564. o) L. VII. c. 11.

Digitized by Google

Tota praestantissimi hujus numi aversa capta est ex nota Alexandri M. moneta argentea, quod ipsum ab aliis quoque regibus fuit observatum, quos in magni ejus regis numis enumeravi. Pellerinius eum Mithridati III. tribuendum putavit. Non repugno. Malui Mithridatem II., quia hic per ipsum Alexandri regnum, et aliquanto etiam post regnavit. De utroque astro Ponticis regibus familiari agemus proxime.

In numis perpetuo scriptum reperitur ΜΙΘΡΑΔΑΤΗΣ, non ΜΙΘΡΙΔΑΤΗΣ, eamque scripturam Graeca etiam marmora confirmant. Ac jure istud, cum ducatur a vetustissimo Indorum *mitra*, quod *solem* et *amicum* significat, ex quo Persae, et Graeci inserta aspirata fecerunt *Mithra* p). Jure igitur carpendi auctores Graeci non pauci, qui Μιθριδατην eum appellant mutato perperam A. in I. Non item, ut recte observat Spanhemius q), auctores Latini, in quorum lingua saepius A nominum propriorum in I abiit. Sic ex Ακραγας, Κατανα, Μασσαλια ducta sunt *Agrigentum*, *Catina*, *Massilia*. Addo, dixisse Graecos Μασσανισσα, quin et Appianum Μασσανασσα, et Latinos *Massinissa*.

AR. RRRR.

MITHRIDATES III. nonnullis Κτιστης, ut diximus in numis patris Mithridatis II Hic Cappadociae, et Paphlagoniae partem sibi subjicit. Sequitur secundum aliquos MITHRIDATES IV. socer Antiochi M., quem enecpit filius

PHARNACES I. rex Ponti.

Sinopen V. C. 572. expugnat, et regni sedem constituit. Multa per Asiam minorem turbat. Moritur exeunte saeculo VI. urbis conditae. Praeter Mithridatem V. habuit Laodicen nuptam Achaeo Asiae minoris tyranno.

Numi.

Caput regis diadematum modeste barbatum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΑΡΝΑΚΟΥ. *Vir curto habitu indutus stans capite et pedibus alatis d. demissa racemum pantherisco adstanti porrigit, s. caduceum et cornucopiae, vertici imminet fulmen, in area astra solis et lunae, inde* ΠΣ. AV. m. m. (Mus. M. Ducis) AR. m. m. (Pembrock, Wilde.)

Aureum ex cimeliis M. Ducis post alios adcuratius olim edidi. Miram partis aversae figuram causa variorum attributorum Pantheon dixi, Mercurium, Bacchum, Jovem, Abundantiam complexum r). Vaillantio Bacchus, Froelichio Mercurius creditur. Eruditus le Blond affirmat, esse imaginem dei Mensis, qui teste Strabone apud Cabira Ponti urbem nomine Pharnacis templum habuit, sed abstinet argumentis, quae sententiam hanc verisimilem efficiant s). Sane prae omnibus probandum fuerat deum Mensem hoc etiam cultu fuisse propositum. Enimvero nimio hic diversus est ab eo, quo in variis Asiae minoris urbium numis proponitur.

Observanda etiam astra solis et lunae,

p) Paullini Systema Brahman. p. 1.
q) T. I. p. 125.
r) Num. vet. p. 168.
s) Descr. des pierr. grav. T. I. p. 82.

Digitized by Google

quae in his numis, tum praecipue Mithridatis VI. nepotis, et urbium Ponti, tum etiam nonnullis regum Cappadociae obvia sunt. Dixeram olim, eo indicari derivatam a Persis religionem, ex quorum sanguine Ponti reges fuere [t]), nam teste Herodoto [u]) Persae sacrificant Soli et Lunae. Belleyus utroque astro indicari cultum Monsis Pharnacis a Persis inductum censet [x]). Vtrum rectius, arbitrentur eruditi. Vtrumque hoc sidus sic regum Ponticorum proprium habebatur, ut Atheniensea, cum numos Mithridatis VI. nomine ferirent, illud adstituere non negligerent.
AV. AR. RRRR.

MITHRIDATES V. EVERGETES rex Ponti.

Pharnacis I. filius. Romanos cum observare studeret, eis auxilia bello Punico III. et adversus Aristonicum, qui Attali Pergameni haeredem sese ferebat, misit, quo factum, ut socius et amicus P. R. diceretur. Mortuus est fraude suorum circa annum V. C. 630.

Numus.

Caput regis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Figura barbata stans capite modio insignito, et divinitatis pallio amicta, d. aquilam, s. sceptrum transversum, in area* ΓΟΡ. *et monogramma.* AR.

En ipsa verba Vaillantii numum ex musco Card. Maximi discribentis, sed quae ab ipso iconismo multum abludunt. Nam in hujus antica exhibetur caput regis laureatum, figura aversae tegitur pileo crucigero, manu sinistra pro sceptro tenet palmae ramum, ut adeo de typis hujus numi, qui aliter describitur, aliter pingitur, nihil audeam statuere. Ait Vaillantius, neminem in deorum historia tantisper versatum esse, qui figuram aversae statim ad Serapin non revocaret. At cuperem in certo aliquo antiquitatis monumento Serapin hoc cultu propositam videre.

Mithridates hic Straboni passim dicitur Ευεργετης [y]), ut et Appiano [z]).

Annus ΓΟΡ. 173. incipit ab autumno V. C. 629., qui circiter fuit Mithridatis penultimus.

* * *

Numum ΒΑΣΙΛΕ-- ΜΙΘΡΙΔΑ-- ΦΙΛΟ-- quem eruditi huic Mithridati tribuunt, quare in moneta regum Armeniae, quorsum is haud dubie pertinet.
AR. RRRR.

MITHRIDATES VI. EVPATOR DIONYSVS.

Ponti primum, deinde et Bospori rex.

Patrem puer amisit, vitatisque caute tutorum insidiis, cum per aetatem licuit, regnare aggressus, auctus deinde etiam Bospori regno, quod sibi ejus rex Paerisades III. cesserat, domitis bello Scythis aliisque barbaris juventutem ad graviora, quae animo conceperat, bella

t) Num. vet. p. 176. u) L. I. c. 131. x) B. L. T. XI. hist. p. 130. y) L. X. z) Bell. Mithr. c. 10.

Digitized by Google

erudivit. Collisus deinde cum Romanis, quod Paphlagoniam invasisset, Nicomedem Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia ejecisset, Man. Aquillium legatum inter ludibria et cruciatus enecasset, omnes per Asiam Italici generis uno die interficiendos curasset, universam Asiam seu Romanam, seu regiam, seu liberam cum parte insularum sibi subjecisset, indicto bello, et in XXVI. annos porrecto, gravissimis cladibus a Sulla, Lucullo, ac denique Pompejo M. adfectus, deinde in Bosporum profugus, sed a suis proditus, desperatis omnibus caput militi Gallo amputandum dedit V. C. 691. Ejus hanc habe imaginem ex Velleio [a]): *Vir neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal.* Ejus historiam latius descriptam vide apud Appianum, Plutarchum, Iustinum, aliosque.

Ex agmine uxorum et pellicum numerosam habuit sobolem, cujus majorem partem dirus ipse generis sui carnifex seu metu insidiarum, seu furore actus interemit. Ex filiis memorandi MACHARES, quem ipse primum Bospori regem dixit, sed quia pacem cum Lucullo fecit, ad mortem adegit. PHARNACES II. post patrem rex Bospori, de quo infra. Filia CLEOPATRA nupta Tigrani Armeniae regi.

Numi.

Caput regis diadematum. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. *Cervus pascens in area* Δ, *et astra solis et lunae, omnia intra coronam hederaceam.* AV. (Cary, Pellerin.) In alio *praeterea monogramma* ΠΕΡ. AV. (Mus. M. Ducis.)

Caput regis diadematum. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. *Cervus pascens, vel Pegasus pascens, in area varians annus epochae, astra solis et lunae, et varians litera solitaria, omnia intra hederaceam.* AR. I. (Mus. Caes.)

ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ cognomen omnes hi numi offerunt, quod Mithridati VI. inditum Strabo, Appianus, aliique testantur, sed ejus causa incerta. Ex hoc nomine Mithridates urbem in Ponto a se condi coeptam appellavit *Eupatoriam*, quam cum Pompejus M. imperfectam reperisset, de se *Magnopolin* vocavit [b]). Vtriusque animalis pascentis veram causam nemo hactenus reperit. Tamen eos, qui Pegasum pascentem sistunt, videri signatos Amisi hujus ipsius causa typi, dixi supra in moneta Ponticae hujus urbis. Vtriusque astri causam verisimilem in numis Pharnacis expedivi. Monogramma ΠΕΡ. indicat Pergamum Mysiae, in qua cusus numus testibus Cistophoris, in quibus ea urbs eodem monogrammate notatur. Constat autem, Mithridatem consedisse Pergami, quo tempore ejus dux Archelaus in Graecia cum Sulla bellum gessit [c]). Constat etiam, Pergamenos benevolentia in Mithrida-

---

a) L. II. c. 18. b) Strabo L. XII. c) Plut. in Sulla p. 458.

Digitized by Google

tem, et in Romanos odio, qui ex his in Aesculapii templum confugerant, statuis haerentes sagittis confecisse [d]).

Corona hederacea ad cognomen *Dionysi* seu *Bacchi* aperte alludit. Ita enim diserte Appianus de hoc Mithridate [e]): *και διαδεχεται Μιθριδατης υιος, ω Διωνυσος και Ευπατωρ επωνυμα ην. Ei successit Mithridates filius, cui Dionysi et Eupatoris cognomina fuere.* Et Cicero de Asania [f]). *Mithridatem, deum illum patrem, illum conservatorem Asiae, illum Evium, Nysium, Bacchum, Liberum nominabant.* Repertum istud cognomen credidere aliqui teste Plutarcho [g]), quod in compotationibus palmam semper abstulit, aut verius eo etiam judice, quod perinde atque olim Bacchus illaesus a fulminibus fuit. Serius iidem Asiani in Cistophoris suis M. Antonio quoque, nam et hunc Bacchum dixere, coronam hederaceam sunt largiti, de quo vide ejus IIIviri nummos.

Anni epochae in his numis assidui. Comperti hactenus sunt: ΘΣ. ΒΙΣ. (Mus. Caes.) ΘΙΣ. (Theup.) ΑΚΣ. (Spanheim epist. III.) ΒΚΣ. (Mus. Caes.) ΓΚΣ. (Mus. M. Ducis.) ΔΚΣ. (Apost. Zeno.) Fixo ad annum V. C. 457. aerae initio annus primus ΘΣ. ducitur ab autumno V. C. 665. postremus ΔΚΣ. ab anno 630.

* * *

Numum Mithridatis VI. nomine ab Atheniensibus signatum vide in horum moneta.

AV. RRR. AR. RR.

PHARNACES II.

rex Bospori, subinde et Ponti.

Mithridatis VI. hic filius, cum videret patris res perditas, et ab hoc sibi insidias strui, conciliata sibi militum voluntate passus est patrem jam omnia desperantem violentas sibi manus inferre V. C. 691., ejusque ad Pompejum misso cadavere regnum Bospori in parricidii praemium abstulit, dictus praeterea amicus populi R. Quietus tantisper, donec metus aderat, cum imperium R. Caesaris et Pompeji dissidiis turbatum intelligeret, spe recuperandi regni aviti illectus, relicto in Bosporanis Asandro Pontum invadit, et extruso Romanorum praesidio patris ditionem omnem sibi subjicit. Ea re audita Caesar ex Aegypto advolat, commissoque ad Zelam Ponti urbem praelio Pharnacem fundit, fugatque, quem deinde a clade in Bosporum profugum Asander interimi jussit V. C. 707.

Numi:

Caput regis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΦΑΡΝΑΚΟΥ. *Apollo sedens ante tripodem d. ramum, s. lyrae initus, in area anni hactenus comperti* ΕΜΣ. ϛΜΣ. ΖΜΣ. *in area monogramma, vel litera* Δ. AV. AR. (Mus. Caes.)

Ex in his numis turgidos titulos *regis regum*, et *magni*. Regem regum sese ambitiose appellaverit post subactos vicinos regulos, quo etiam titulo intu-

d) Appian. Mithr. c. 23. e) Mithr. c. 10. f) pro Flacco c. 26. g) Sympos. L. I. p. 624.

Digitized by Google

muit coaevus Tigranes Armeniae et Syriae rex. Ex eadem causa adsciverit nomen magni, quod Mithridati quoque patri tributum a scriptoribus novimus, sed quo ipse, saltem quod ex numis constet, usus non est. At consultius hoc elogio abstinuisset, si apud animum reputasset, Magnum patrem a cognomine Magno Pompejo internecione victum, et se ipsum ab eodem Magno precarium Bospori regnum accepisse.

Anni his numis inscripti respondent annis V. C. 701. 702. 703. nimirum turbidis tum Romanorum rebus ob Crassum recenter a Parthis caesum coepit sese efferre homo impotens, et altiora animo concipere. Solitarium Δ indicare annum IV. regni Pharnacis contendit Vaillantius, sed quam sententiam jam evertit Froelichius. Enimvero eadem litera Δ et variae aliae occurrunt etiam in numis Mithridatis patris, quas tamen, quoniam secundum epochae annos non consequuntur, ne ipse quidem Vaillantius annos regni notare poterit adserere. Igitur in utrisque perinde ac monogrammata erunt notae monetariorum. Neque obest, successorem Asandrum, ut continuo videbimus, regni annos numis suis inscripsisse, nam hic annis epochae plane abstinuit, substituendo his annos regni. Ruit ergo princeps Vaillantii argumentum, quo is ex litera Δ initium aerae Ponticae anno V. C. 448. adfixit [h]).

In numo simili Patinus pro ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. legit ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΟΣΣΑΝ [i]), sed deceptum fuisse virum eximium jam ostendit Bozius [k]). *AV. AR. RR.*

ASANDER.

Archon primum, dein rex Bospori.

Eum Pharnaces, ut diximus, Bosporo praefecit, dum is Pontum, ereptasque patri provincias recuperare nitebatur. Victum a Caesare, et ad suos e clade reducem interficiendum curat V. C. 707., et Bosporum retinet. At Caesar hominis in regem suum perfidiam detestatus Mithridati Pergameno, de quo infra, bellum in Asandrum mandat, et ipsum Bospori regnum addit [l]), sed Bosporum ingressum evertit Asander, ut docet Strabo a Casaubono praeclare correctus [m]). Firmata sic potentia primum ethnarchae nomine secundum Lucianum [n]), sed archontis secundum numos, accedente subinde Augusti auctoritate regis nomine Bosporo praefuit. Mortuus est V. C. 740. regno uxori Dynami Pharnacis F. relicto [o]). Lucianus, qui eum morte voluntaria extinctum tradit, quod militum animos in Scribonium, de quo infra, inclinare videret, addit, vixisse eum annos XCIII., et adhuc extrema senecta equestri et pedestri pugna nemine inferiorem habitum [p]).

Numi:

Caput Asandri imberbe nudum. Ϟ AP-

h) Reg. Bosp. p. 205. i) Ad Suet. p. 25. k) Hist. B. L. T. XII. p 292. l) Dio L. XLII. §. 48. Hist. Bell. Alex. cap. ult. m) L. XIII. p. m. 927. n) In Macrob. o) Dio L. LIV. §. 24. p) l. c.

Digitized by Google

ΧΟΝΤΟΣ. ΑΣΑΝΔΡΟΥ. ΒΟΣΠΟΡΟΥ. *Victoria prorae navis insistens, in area* H. AV. (Vaill.) *in area* XH. AR. (Cary.)

Caput Asandri diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΣΑΝΔΡΟΥ. *Idem typus, in area:* Δ. ς. Z. H. ΙΔ. Ις. ΙΖ. ΚΓ. (Mus. Caes. Froelich, Cary, Pellerin Suppl. III. p. 3. Sestini Lettere p. 35.)

Asandrum, quem, antequam regium nomen obtineret, ethnarcham a Luciano dici vidimus, numi priores ἀρχοντα, *principem*, posteriores, *regem* appellant, et diadema addunt. Verum quid de notis arithmeticis sentiendum sit, dubius haeret Froelichius. Verisimile quidem est, indicari annos principatus, deinde regni. Sed creat difficultatem annus ΚΓ. Constat ex Luciano, Asandrum ab Augusto regem pro ethnarcha appellatum. Fieri istud non potuit ante annum V. C. 723., quo demum Octavianus victo ad Actium Antonio jus in orientis regna obtinuit. Si ergo ad annum 723. addas annum numi 23., habebis annum V. C. 746., sed Asander, ut supra vidimus, jam anno V. C. 740. diem obivit. Ergo aut fallit Lucianus, aut numus, aut hae notae aliud indicant. Non temere suspicor, Asandrum jam ante a M. Antonio, qui plures reges per Pontum, Armeniam, aliasque provincias constituit, regem appellatum, ut eo amico reddito auxilia sibi in futuros casus pararet, et in ea subinde dignitate ab Octaviano confirmatum, quod idem in Polemone Ponti rege factum novimus. Istud si ita habet, nolim adfirmare, errasse Lucianum, sed minus fuisse in oratione adcuratum.

AV. RR. AR. RRRR.

MITHRIDATES PERGAMENVS rex Bospori.

Mithridatis VI. ex pellice filius. Ei Caesar dictator propter collatam insignem in bello Alexandrino opem primum tetrarchiam Galatiae regis nomine tribuit. Ab eodem deinde Bospori rex, cum regnum adire pararet, ab Asandro e medio tollitur, ut mox supra dictum.

Hujus Mithridatis Pergameni binos numos edidit Seguinus q), sed eorum prior est Mithridatis ejus, qui Polemoni II. in Bosporo successit, alter est autonomus Pergami, ut suis locis docemus.

POLEMO I. rex Ponti, subinde et Bospori.

Scribonius quidam, Mithridatis sese nepotem ferens, seque ab Augusto post Asandri mortem regem Bospori constitutum, regnum occupat ducta Dynamie Asandri vidua. Qua re audita M. Agrippa, qui tum orientis res procurabat, Polemonem regem ejus Ponti, qui ab eo, aut secundum Victorem r) a filio Polemone *Polemoniacus* dictus est, misit, ut Scribonio bellum inferret, qui tamen hominem superstitem amplius non reperit, nam cognita fraude caesus est ab ipsis Bosporanis. Vrgente deinde Agrippa ipse genti rex praeficitur. Haec

---

q) Num. sel. p. 62. r) In Nerone.

Digitized by Google

Dio ad V. C. 740 [s]). Habuit hic Polemo patrem Zenonem rhetorem Laodicenum Phrygiae, cujus illustria fuere in Antonium IIIvirum merita cumprimis in bello contra Labienum, quae praecipua causa fuerit, cur is filio Polemoni partem Ponti regio titulo subjecerit. Quo id anno factum, ignoratur, sed Dio eum jam anno V. C. 718. Ponti regem appellat [t]). Triennio post ab eodem IIIviro Armeniam quoque minorem abstulit [u]). V. C. 728. ab Augusto dictus socius et amicus P. R. [x]) ac denique V. C. 740. Agrippae, et Augusti voluntate regnum Bosporanum obtinuit, ut diximus. Interiisse in bello cum finitimis barbaris, binis locis perhibet Strabo.

Vxor I. *Dynamis* filia Pharnacis, neptis Mithridatis VI., Asandri primum, deinde Scribonii vidua [y]), nullis ex ea natis liberis.

Vxor II. *Pythodoris*, de qua, natisque ex ea liberis infra.

Numi:

ΒΑCΙΛΕΩC. ΠΟΛΕΜΩΝΟC. *Caput regis diadematum.* ℞ M. ΑΝΤΩΝΙΟC. ΑΤΤ. ΤΡΙΩΝ. ΑΝΔΡΩΝ. *Caput Antonii IIIviri nudum.* AR. (Patin ad Sueton. p. 298.)

Confirmat hic nummus ea, quae de Polemone Ponti rege ab Antonio constituto supra diximus. Eidem Polemoni Froelichius tribuit nummum inscriptum: ΜΑΡΚ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ [z]). Sed eum esse in Ciliciam referendum, dicetur in numis Olbae Ciliciae.

* * *

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. *Caput regis diadematum.* ℞ IMP. CAESAR. AVG. *Caput Augusti nudum.* AE. (Vaill.)

Similis adversa. ℞ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti nudum.* AE. (Seguin Num. sel. p. 317.)

Hos numos Polemoni I. tribuendos arguunt aversae cum capite Augusti. Nam Polemo II. nonnisi post ejus mortem in Ponto regnavit. Praeclare hi numi confirmant, quod refert Strabo [a]), Polemonem ob res praeclare gestas regia dignitate primum ab Antonio, deinde Augusto fuisse ornatum.

* * *

Placet coronidis loco commemorare insigne marmor repertum apud Cymen Aeolidis, et ab illustri Peyssonello Lutetiam missum. Ejus partem, quae Polemonis I. nomen continet, jam recitavit Caryus, et ex eo Froelichius, sed integrum deinde edidit Com. Caylus additis insigni commentario eximii in nostris studiis Belleyi [b]). Verba, quae hue pertinent, sunt:

ΕΠΙ. ΙΕΡΕΟΣ. ΤΑΣ. ΡΩΜΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΘΕΟΥ.

---

s) L. LIV. §. 24. t) L. XLIX. §. 26. u) Dio l. XLIX. §. 44. x) Dio l. LIII. §. 26. y) Dio l. LIV. §. 24. z) Add Num. vet. accessio p. 86. et Not. elem. p. 206. a) L. XII. p. m. 867. b) Rec. d'antiq. Tom. IV. p. 170.

Digitized by Google

ΤΙΩ. ΘΕΩ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΟΣ. ΜΕΓΙΣΤΩ. ΚΑΙ. ΠΑΤΡΟΣ. ΤΑΣ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΤΩ. ΖΗΝΩΝΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΟΣ.

Marmor istud docet, Polemonem V. C. 752. fuisse adhuc in vivis, nam hoc demum anno Augustus dictus est *pater patriae*. Fuisse etiam, quamvis absentem, honoris causa sacerdotem in templo, quod Cymaei Aeolidis Romae et Augusto dedicavere. Credo, reverentiae causa omissum nomen ΒΑΣΙΛΕΩΣ, etsi tum, cum marmor istud positum esset, regna Ponti, et Bospori teneret.

AR. et AE. RRRR.

PYTHODORIS regina Ponti.

Ejus vitam ac numos prolixa dissertatione chronologica illustravit Soucietus, quae est in ejus dissertationum Tomo III. In simili argumento subinde multo adcuratius versatus est insignis Belleyus [c]). Nos summa capita perstringemus. Patrem habuit Pythodorum natum apud Nysam Cariae *), sed qui relicta propter ignobilitatem patria vicinas et magis illustres Tralles Lydiae commigravit, ubi et Asiarcha fuit. Ejus viri immensas opes, et cum Pompejo M. amicitiam depraedicat Strabo [d]). Pythodoridem sibi Polemo I. mortua Dynamie, quam V. C. 740. factus rex Bospori uxorem duxerat, matrimonio junxit. Hoc a barbaris Aspurgitanis in acie caeso Pythodoris in regno Ponti, at non Bospori, ut dicetur infra post Polemonis II. numos, successit, subinde altero matrimonio Archelao Cappadociae regi nupta, cum hic V. C. 770. fraude Tiberii Romam evocatus mortem oppeteret, in suum Ponti regnum rediit, cumque ibi plures adhuc annos magna prudentiae et moderationis laude regnasset, mortua est, ut visum Soucieto, anno V. C. 791. Haec ex variis Strabonis locis.

Proles habuit ex Polemone marito I. *Polemonem*, qui in Ponti regno successit, II. *Zenonem* dictum ex nomine avi paterni. Eum Armeniae majoris populi ad se accitum regem dixerunt, sed nomine *Artaxiae* ex nomine urbis Artaxatae, Germanico ejus capiti insigne regium imponente V. C. 771 [e]). III. Filiam *anonymam*, nuptam Cotyi V. Thraciae regi, quo a patruo Rhascuporide caeso vidua permansit relicto filio, qui successit [f]).

Numi:

Caput Augusti, secundum alios Tiberii laureatum. Ϟ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΠΤΘΟΔΩΡΙΣ. ΕΤΟΤΣ. Ξ. *Capricornus.* AR. III. (ex Mus. Rothelin.)

---

c) B. L. T. XXIV. p. 67.

*) Gravem errorem errat Soucietus, qui ejus patriam facit Nisaeam navale Megarorum juxta Atticam. Straboni dicitur Νυσαιος, quod est gentile Nysae Cariae Trallibus vicinae; at urbs Megaridis fuit Νισαια, et gentile Νισαιος, quod utrumque comprobant et historici et numi.

d) L. XIV. p. m. 960. e) Tacit. Ann. II. 56. f) Strabo.

Digitized by Google

Caput Tiberii laur. ΣΕ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΠΥΘΟΔΩΡΙΣ. ΕΤΟΤΣ. Ξ. *Bilanx.* AR. III. (Seguin Num. sel. p. 45.)

Seguinus et Vaillantius, cum in numo II. non satis integro pro ΕΤΟΤΣ. legendum putarent ΚΟΤΤΟΣ, non dubitavere eum tribuere filiae Pythodoridos anonymae, quam mox supra Cotyi Thraciae regi nuptam dixi, censueruntque, patere ex hoc numo, filiae perinde ac matri fuisse nomen Pythodoridos. Serius collatus prior integerrimus ex museo Rothelinii, qui luculentum ΕΤΟΤΣ exhibet, alterius quoque lectionem sanavit. Certum igitur, numum hunc esse Pythodoridos Ponticae. Vide de hoc plura apud Bimardum g).

At pertinacius disputatum, cujus sit caput numi prioris, an Augusti, an Tiberii, de quo vide disserentem Soucietum h), qui tamen mavult perinde ac in altero Tiberium agnoscere. Verum secundum iconismos, quos Belleyus suae de Pythodoridos numis dissertationi praefixit i), numus prior indubitatum sistit caput Augusti, alter Tiberii. Addit idem infra k), a viris multo in re numismatica usu exercitatis Augustum in numo praecedente agnitum. Ea lis otiosa non est, nam magnum momentum confert ad explicandum annum Ξ numis his inscriptum, ad quem modo aggredior.

Ad annum ergo Ξ, 60., quod attinet, eum Soucietus ab anno V. C. 713. deducit, quo Polemonem I. post praelium Philippense a M. Antonio dictum Ponti regem conatur evincere. Hanc deinde aeram ab uxore Pythodoride continuatam, sic ut annus Ξ exeat in autumno V. C. 773. Ejus sententiae accessit etiam Baro Bimardus l). Causam suam etsi magnis conatibus, et per longas ambages tueatur Soucietus, tamen eruditos omnes nondum nactus est consentientes. Nam quod ille, Reineccium, ut videtur, secutus, Polemonis I. regnum ab anno 713. orditur, una conjectura nititur. Alii istud serius factum putant propter merita patris Zenonis in bello Labieni, qui V. C. 714. Asiae provincias vexavit. Et vero Froelichius, cui ignota non fuere, quae Soucietus disputaverat, tamen fatetur, se definire non posse, an hic annus Ξ sit regni, vel vitae Pythodoridos, vel alterius epochae m). Si verum est, quod confidenter adserit Belleyus, in numo priore esse caput Augusti, in altero Tiberii, omnis continuo difficultas evanescit. Nam cum utriusque numo idem annus Ξ inscribatur, patet, eundem annum fuisse postremum Augusti, primum Tiberii, quem constat fuisse V. C. 767., et praeterea utriusque numi, de quo agimus, natalem, a quo si auferamus annos 60., erimus in anno V. C. 707., quod justum sane erat constituendae in Ponto novae epochae tempus; nam eodem anno victus est a I. Caesare Pharnaces II., qui inde ab aliquot annis Ponti regnum usurpaverat, et crudeli imperio exercuerat.

Sed neque typi capricorni, et bilan-

g) Ad Iobert. T. II. p. 345. h) Pag. 29. et 38. i) B. L. T. XXIV. p. 67. k) Pag. 78. l) Ad Iobert. T. II. p. 345. m) Reg. Bosp. p. 151.

Digitized by Google

cis praetereundi. Cum Soucietus in utroque nume caput Tiberii viderit, non poterat capricornum ad notum Augusti horoscopum revocare. Alium igitur, eumque ingeniosum modum excogitavit, quo capricornum et bilancem, zodiaci, mensiumque signa ad deum Mensem singulari in Ponto religione observatum refert [n]). Si in numo priore ex Belleyi sententia est caput Augusti, rursum in proclivi res erit; habebit enim Augustus capricornum suum sibi ex causa cognita amicum. Tametsi fieri poterat, ut existimat Belleyus [o]), ut ex eadem causa in Ponto zodiaci signa monetae inferrentur, ex qua in regionibus aliis, ac praecipue in Aegypto, Syria, Mesopotamia monetae illata sunt, etsi haec eadem causa nondum satis perspecta sit. Sane in numis, qui regum Parthorum capita offerunt, pro signis mensium ipsa mensium nomina fuisse scripta novimus.

AE. RRRR.

POLEMO II.

rex Ponti, et Bospori.

Polemonis I. et Pythodoridos F. Fratre Zenone, ut Armeniae majoris sceptra capesseret, evocato, ipse apud matrem pro caeso patre Ponti reginam restitit. Matre mortua Caligulae beneficio paterna regna Pontum et Bosporum obtinuit V. C. 791 [p]). At Claudius illi V. C. 794. pro Bosporo, quem Mithridati largitus est, partem Ciliciae dedit [q]). Vt erat vir stolidi ingenii, facile persuaderi se passus est a Berenice Agrippae I. Iudaeorum regis filia, subinde famigerata Titi amica, ut Iudaico ritu circumcisus sese uxorem duceret. At non diu duravit conjugium. Nam Berenice vagis amoribus inhians non multo post Polemoni, atque hic vicissim Iudaicae religioni valedixit [r]). Idem postea Neroni, incertum, qua de causa, Pontum sponte cessit, qui deinde in provinciam redactus est, ut perhibent Suetonius [s]), Aur. Victor, qui addit, ab eo partem Ponti dictam Pontum Polemoniacum, et Eutropius [t]). Quid eo deinceps factum, incertum. Cum hoc Polemone desinunt reges Ponti.

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. *Caput diadematum.*

ΕΤΟΤΣ. ΙΑ. *Caput Claudii laur.* AR. (Vaill. Num. praest. in Claudio.)

ΕΤΟΤΣ. ΙΕ. *Caput diadematum Agrippinae jun.* AR. (Pellerin Rois. p. 187.)

ΕΤΟΤΣ. ΙΗ. *Caput Neronis radiatum.* AR. (Vaillant.)

ΕΤΟΤΣ. ΙΘ, *Caput Neronis radiatum.* AR. (Froelich ex Mus. Rothelin.)

ЄΤΟΤC. K. *Caput Neronis laur.* AR. (Pellerin Rois p. 187. Khell Supplem. ad Vaill. p. 24.)

ЄΤΟΤC. Kl`. *Caput Neronis laur.* AR. (Patin ad Suet. p. 298, sed qui in hoc perperam Augustum pro Nerone vidit.)

ΒΑC. Π. ΚΔ. *Caput diadematum.* ℞ IMP. NERO. CAES. AVG. *Caput radiatum.* AR. (Vaill.)

n) Pag. 40. o) Pag. 36. p) Dio L. LIX. §. 12. q) Dio L. LX. §. 8. r) Joseph. Ant. Iud. L. XX. c. 7. s) In Ner. c. 18. t) In Nerone.

Digitized by Google

Ex hoc numorum catalogo patet, Polemonem II. non continuasse aeram a Polemone I. coeptam, cujus annum Ξ in Pythodoridos numis vidimus, sed inscripsisse monetae annos regni sui, inserto etiam observantiae causa capite tum imperantium. Cum ergo regnum auspicatus sit V. C. 791., annus IA. incipiet ab autumno V. C. 801., annus IE., qui est in insigni numo Agrippinae junioris, ab autumno V. C. 805. Mulierem Polemo observandam duxit, non modo praevalidam per mariti Claudii socordiam, sed etiam per spem futurae potentiae, cjus filio Domitio jam tum in familiam Claudiam, et nomen Neronis adoptato, et jam non obscure ad imperium destinato. Anni reliqui in tempora Neronis cadunt, quorum primus IH. ducitur ab autumno V. C. 808., postremus KΔ. ab autumno 814. Factum anno sequente 815. vel 816, ut rex Neroni Ponti regnum cederet; nam non aliam ob causam Ponti urbes novam auspicatae fuerint epocham, quam exhibent numi Neocaesareae, Trapezuntis, et Zelae, et quae certe ab anno V. C. 816. ducitur, ut in his diximus. Singularis est numus postremus bilinguis, ad quem juvat observare, ejusdem rationis numos aureos et argenteos eadem aetate cum capite Neronis apud vicinam Caesaream Cappadociae signatos fuisse.

Omnes hi Polemonis II. numi in Ponto signati sunt. Ex Bosporo, quem solido triennio tenuit, nullam habemus. Numi Pontici et Bospori facile suis se modis distinguunt.

AR. RR.

RELIQVI SOLIVS BOSPORI REGES.

Supra in Pythodoridos vita leviter attigimus, caeso Polemone I. uxorem Pythodorida Ponti quidem, at non una Bospori regnum tenuisse. Vaillantio, et Soucieto, qui eam Bospori quoque reginam dixere, litem intenderunt Froelichius, Belleyus, et Caryus cum ex silentio coacvi et Pontici Strabonis, qui cum subjectas ei ditiones enumerat, nusquam Bospori meminit, tum ex testimonio numorum, qui, quo tempore Pythodoris Pontum rexit, reges Bosporanos memorant. Ad comprobandum istud Belleyus eximium adfert Strabonis testimonium, qui agens de Chersoneso Taurica, haec addit [u]): *και νυν ὑπο τοις των Βοσπορανων βασιλευσιν, ὑς Ρωμαιοι καταστησωσιν, ἁπαντα ἐστιν, et nunc Bosporanorum regibus, quos Romani constituerint, haec omnia parent.* At quo tempore haec scripsit Strabo, Pythodoris in Ponto regnavit, ut ait alibi [x]): *νυν δε χηρευει, τα τε λεχθεντα ἐχουσα χωρια - - nunc vidua est, et possidet, quae diximus, loca.* Regum Bosporanorum nomina, qui inter Polemonem I. et II. intercessere, reticet Strabo, at eos produnt numi, Sauromaten I. et Rhescuporida I., de quibus continuo.

TI. IVLIVS SAVROMATES. I.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΤΡΟΜΑΤΟΥ. Ca-

u) L. VII. p. m. 480. x) L. XII. p. m. 834.

Digitized by Google

put regis diadematum. ℞ *Caput Augusti.* AE. III. (Vaill. Num. Graec. p. 6.)

Caput regis diadematum, hinc monogramma ΠΑΝ., *inde* IB. ℞ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Tiberii laur.* AE. III. (Sestini Lettere p. 35.)

ΤΙ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΒΑCΙΛΕΩC. CΑΤΡΟ-ΜΑΤΟΥ. *Caput imberbe diadematum.* ℞ *Victoria gradiens, in area* MH. AE. II. (Cary.)

Τ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΒΑCΙΛΕΩC. CΑΤΡΟ-ΜΑΤΟΥ. *Sella curulis, super qua laurea, hinc hasta cum clypeo, inde fax ardens.* ℞ *Corona querna, intra quam* HM. AE. II. (Cary.)

- - - ΜΑΤΟΥ. ΑCΠΟΥΡΓΟΥ. *Hasta cum clypeo, in area* ΚΔ. ℞ ΤΕΙΜΑΙ. B. - - - *Sella curulis, super qua laurea.* AE. III. (Cary ex mus. reg.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΤΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput regis diadematum.* ℞ *Clypeus cum tripode, in area* MH. AE. II. (Citatus a Cary ex mus. reg. p. 45.)

Caput regis diadematum barbatum. ℞ BA. C. *Vir nudus citis quadrigis vectus s. elata, superne* ΚΔ. *et clava.* AE. II. (Pellerin Rois. p. 36.)

Alium Sauromatae I. vide in Pepaepirie sequente.

Froelichius omnes hos numos Sauromatae nomine insignes tribuit Sauromatae partis Thraciae regi, quem arbitratur fuisse fratrem Cotyos VI. Thraciae regis. Vna illi causa, (nam Thraciae rex hoc nomine nullus proditur) quod numi hi similes sunt ejus Cotyos numis y). Verum et hos numos esse Cotyos Bosporani, non Thracii, dicetur infra in ejus numis. Generatim numi omnes, qui notas arithmeticas IB. ΚΔ. MH. exhibent, quas omnes in his Sauromatae numis et sequente Pepaepireos videmus, et videbimus dehinc quoque, Bosporani sunt. Earum explicatum non tentavit Caryus z), etsi mirum ei videretur, hos tantum, neque alios numeros (de epochae annis non hic sermo) in his regum Bospori numis reperiri, eosque aequidistantes, nempe IB. 24. 48., sic ut videri possit, aliquem cycli modum apud Bosporanos valuisse.

Statuto ergo, hos numos esse Bosporanos, ab iis docemur, ejus gentis reges, qui jam inde a Pharnace II. coepere Romanis esse obnoxii, deinceps quoque perrexisse Romanos principes palam observare, sive quod ab iis ad regnum fuere promoti, sive illud confirmatum. Sauromates hic qua ratione illud obtinuerit, non constat. Tamen ex numo I. patet, eum imperante Augusto, et forte mox post caesum Polemonem I. Bosporo praefuisse. In numo II. dixi esse caput Tiberii, idque fide Cl. Sestini, etsi epigraphe Augustum potius indicet. Numi III. ac IIII. comprobant, ejus regnum in Tiberii adhuc imperium porrectum, nam observantiae ergo ejus adoptavit nomina *Tiberii* ac *Julii*, quod et a successore Rhescuporide factum.

Numi IIII. et V. offerunt sellam curulem et lauream, nempe honores, et mu-

y) Reg. Bosp. p. 159. z) Pag. 44.

Digitized by Google

nera, quae a principibus R. tanquam socii et amici P. R. consecuti sunt. Istud ne ambiguum haberetur, in numo IV. additur ΤΕΙΜΑΙ. *honores.* Vide similia exempla in numis regum Thraciae, et Ptolemaei Numidiae regis. Harduinus edidit numum, quem ipse a se visum testatur [a]): ΙΟΥ. ΑCΠΟΥΡΓΟΥ. *Clypeus*, infra ΚΔ. Ϟ ΤΕΙΜΑΙ. ΒΑCΙΛΕΩC. ΚΟΥΤΤΟC. *Sella curulis, supra quam laurea.* AE. III. Satis certum, numum hunc esse eundem cum illo, quem loco V. descripsi, et forte mancam in utroque inscriptionem ex utroque integrandam. Nomen ΑCΠΟΥΡΓΟΥ dubium non videtur ex gente Bosporana captum, cui nomen *Aspurgiani*, quos habitasse juxta paludem Maeotidem, et a quibus interfectum Polemonem I., testatur Strabo, et ex eo Stephanus.
AE. RR.

PEPAEPIRIS REGINA.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΠΗΠΑΙΠΙΡΕΩΣ. *Caput reginae diadematum, in area* ΙΒ. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput diadematum.* AE. II. (Theupoli, Sestini Lettere p. 36.)

Eximius hic numus reginam Pepaepirin, Sauromatae uxorem, et omnibus hactenus ignotam sistit.
AE. RRRR.

RHESCVPORIS I.

ΤΙΒΕΡΙΟC. ΙΟΥΛΙΟC. ΒΑCΙΛΕΥC. ΡΗCΚΟΥΠΟΡΙC. *Caput diadematum barbatum.* Ϟ *Caput muliebre diadematum, in area.* ΚΔ. AE. II. (Cary.)

ΒΑ. Ρ. *Caput regis nudum, infra quod* ϛΚΥ. *in alio:* ΑΛΥ. Ϟ *Caput Tiberii nudum.* AV. (Cary, Vaill. Num. praest. T. II. p. 43.)

ΒΑ. Ρ. *Caput regis diadematum, juxta* ΙΒ. Ϟ ΓΑΙΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟ - - *Caput Caligulae nudum.* AE. III. (Cary.)

En alium adhuc regem, qui, quo tempore Pythodoris in Ponto regnavit, Bospori rex fuit. Numus I. eo est insignis, quod et sequentes praeclare illustrat. Etenim cum in eo Rhescuporis sese appellet *Tiberium Julium*, certum est, fuisse eum regem imperante Tiberio. At cum numi sequentes per annos epochae in ejusdem Tiberii aetatem incidant, certum est etiam, in illis litteram Ρ non indicare *Rhoemetalcem*, aut regem alio nomine ab Ρ incipiente, sed *Rhescuporida*, quoniam certum hoc nomine sub Tiberio Bospori regem numus I. prodit. Baldinus, qui numum cum anno ΑΛΥ. novae editioni Vaillantii inseruit, monogrammate ΒΑ. Ρ. Rhoemetalcem Thraciae regem intelligendum censuit, at non advertit animum, reges Thraciae nunquam epocham numis suis inscripsisse, quem lapsum jam perstrinxit Caryus. Anni ϛΚΥ. 326. et ΑΛΥ. 331. ducti a capite epochae, nempe V. C. 457, incidunt in annos V. C. 782. 787. Numus postremus docet, Rhescuporin regem adhuc fuisse sub initium imperantis Caligulae, sed non multo post aut mortuum, aut ex-

a) Opp. sel. P. 141.

Digitized by Google

trusum, inde probatur, quod Caligula, qui V. C. 790. imperium adiit, anno sequente in Bosporum induxit Polemonem II., cujus numos jam descripsimus supra.

AV. RRR. AE. RR.

MITHRIDATES.

Regno Bosporano, quod a Caligula V. C. 791. Polemoni II. datum diximus, Claudius V. C. 794. praefecit Mithridatem data Polemoni parte Ciliciae [b]). Hic Mithridates genus a magno Mithridate duxit teste Dione [c]). Jure adeo se ipse professus est *prolem magni Achaemenis* [d]). Eum auditis fratris Cotyos criminationibus iterum dejecit Claudius circa annum V. C. 800. translato in fratrem proditorem regno. At Mithridates amissa recuperare satagens exercitum colligit, sed Romanis armis inferior, se suisque omnibus, reteto uno Achaemenidarum fastu, victorum arbitrio permissis, Romam ducitur. Haec prolixe Tacitus [e]).

Froelichius hunc Mithridatem fratremque Cotyen filios Cotyos V. Thraciae regis statuit, et Claudii beneficio regno Bosporano donatos [f]). Sed praeterquam quod sententiam hanc nullo argumento stabilit, illud obstat, quod uterque, ut mox vidimus, fuit ex Achaemenidarum genere, quos aliquando in Thraciam derivatos non constat. At certum est praeterea, Cotyen V. Thraciae regem, praetensum utriusque patrem, ab indigenis Sapaeis genus duxisse teste Strabone [g]).

Numi.

BACIΛЄΩC. MIΘPAΔATOT. *Caput regis imberbe diadematum.* ℞ IB. *Clava, ex qua pendent exuviae leonis, hinc pharetra, inde tridens.* AE. II. (Cary.)

Numus hic a Seguino perperam tribuitur Mithridati Pergameno [h]), ut supra in hoc notavimus.

* * *

Numum aeneum: NEPΩNA. KAIΣA-PA. - - *Caput Neronis.* ℞ ЄΠI. KΛAT-ΔIOT. MIΘPAΔATOT. *Bilanx*, non esse hujus Mithridatis, jam enim ante Neronem regnum amisit, sed inscriptum Claudium Mithridatem esse verisimilius magistratum urbis cujuspiam Asiaticae, jam probavit Caryus [i]).

AE. RRRR.

COTYS I.

Fratris Mithridatis primum proditorem, deinde pro eo Bospori regem mox vidimus. Ejus reliqua ignorantur.

Numi.

BA. K. *Caput regis, in area* BNT. ℞ *Caput Agrippinae jun.* AV. (Baldin. ad Vaill. T. II.)

BA. KO. *(in monogrammate) Caput laur. infra* ϛNT. ℞ *Caput Neronis laur.* AV. (Mus. Caes.)

NEPK. *(in monogrammate) Caput laur., infra* ΘNT. ℞ *Caput laureatum.* AV. (Cary.)

Numus prior signatus est ab autumno

---

b) Dio. L. LX. §. 8. c) l. c. d) Tacit. Ann. L. XII. c. 18. e) Ann. XII. 15. seq. f) Reg. Bosp. p. 153. g) L. XII. p. m. 833. h) Num. sel. p. 69. i) Pag. 53.

Digitized by Google

V. C. 808 sub initia imperantis Neronis, quo adhuc tempore praepotens fuit Agrippina. Ejus Augustae etiam numum, sed Ponticum, vidimus in Polemone II. Numus alter, quem edidi, pictumque stiti in mea Sylloge I. k) cusus est ab autumno V. C. 812. Dixi ibidem, caput laureatum anticae esse ipsius regis Cotyos. At cum verisimile jam non videatur, voluisse regem pro diademate usurpare gestamen imperatorum lauream, malim in una numi parte expressam dicere effigiem Neronis tum imperantis, in alia Claudii jam tum quidem mortui, sed cujus beneficio regnum debuit. Motum a Cl. Sestino dubium me impulit, ut in veritatem adcuratius inquirerem. In numo tertio *το* NEPK. Caryus legit NEPΩN. KOTTΣ, quod non improbabile.

BA. KO. *(in monogr.) Caput regis nudum, infra* EΞT. *Caput laureatum.* AV. III. (Sestini Lettere p. 37.)

Sestinus caput aversae statuit esse Vespasiani, quod repugnat historiae chronologicae. Additis enim ad annum V. C. 457. annis Bosporanis 365, emergit annus V. C. 822, in cujus autumno exivit dictus Bosporanorum annus 365. At Vespasianus nonnisi Kalendis Julii ejus anni, et quidem in remotissima adhuc tantum Aegypto agnosci imperator coepit, Roma usque ad exitum Decembris Vitellio adhaerente. Ergo caput laureatum praecedentis est imperatoris, et quantum ex dubiis lineamentis conjicere licet, vel Galbae, vel Vitellii.
AV. RRR.

RHESCYPORIS II.

Hujus regis memoriam cetera deperditam conservavit monumentum artis nostrae.

Numus:

BACIΛEΩC. PHCKOTΠOPIΔCC. *Caput diadematum.* ℵ *Caput Domitiani laur., infra* ΠT. AV. (Baldinus l. c.)

Annus ΠT. incipit ab autumno V. C. 836., qui fuit tertius Domitiani imperantis.
AV. RRRR.

SAVROMATES II.

Aetate Trajani fuisse in Bosporo regem Sauromatem, sequentes numi docebunt, ac praeterea Plinius junior, qui meminit legati a rege Bospori Sauromata missi l).

Numi.

BACIΛЄΩC. CATPOMATOT. *Caput regis diad.* ℵ *Caput Trajani laur., infra* ЄϘT. AV. (Pellerin Rois. p. 37.)

Eadem adversa. ℵ *Caput Trajani laur. infra* ΔT. AV. (Baldin. l. c.)

BACIΛЄΩC. CATPOMATOT. *Caput diad., juxta sceptrum.* ℵ *Caput Trajani laur., infra* HT. AV. (Cary.)

BACIΛЄΩC. CATPOMATOT. *Caput diad.* ℵ *Caput Trajani laur., infra* ΓIT. AV. (Pellerin Suppl. III. p. 1.)

Eadem adversa. ℵ *Caput Hadriani laur., infra* ΓIT. AV. (Haym. T. II. p. m. 68.)

Alius cum anno ϛIT. AV. (Sestini Lettere.)

k) Pag. 86. l) L. X. epist. 13. seq.

Digitized by Google

Alius cum anno HIT. AV. (Cary.)

Alius cum anno KT. AV. (Sestini l. c.)

Eadem adversa. ☧ BKT. *Aquila coronam rostro stringens.* AE. II. (Cary.)

Eadem adversa. ☧ MH. *intra quernam.* AE. II. (Cary.)

Numi hi partem imperii Trajani, partem Hadriani occupant. Horum primus per annum ЄϘT. 395. signatus est ab autumno V. C. 851., quo eodem anno, exeunte Januario, Trajanus mortuo Nervae successit. Eximius prae omnibus annus ΓIT. 413. postremus Trajani, et primus Hadriani, qui in utriusque imperatoris numis comparet, et plurimum valet ad stabiliendum aerae Bosporanae initium, ut dicetur.

Numum postremum Caryus propter vultus lineamenta Sauromatae II. pro I. tribuendum putat, si modo haec satis tutum criterium suppeditant.

AV. et AE. RR.

COTYS II.

Imperante Hadriano fuisse in Bosporo regem nomine Cotyos, docet Arrianus in periplo. Ejus testimonium numis rite stabilitur.

Numi:

BACIΛЄΩC. KOTTOC. *Caput diadematum, prae quo sceptrum.* ☧ *Caput Hadriani laur., infra* ϛKT. *et* HKT. AV. (Cary, Mus. Caes.)

BACIΛЄΩC. KOTTOC. *Caput diadematum, prae quo tridens.* ☧ MH. intra quernam. AE. II. (Cary.)

BAK. *(in monogrammate) infra* KΔ. *omnia intra lauream.* ☧ KAΠЄ. *Frons templi.* AE. II. (Cary.)

Anni ϛKT. 426. et HKT. 428. respondent annis V. C. 882. et 884. Vterque imperio Hadriani illigatur. Annus HKT. reperitur etiam in numo successoris Rhoemetalcis, quo docemur, eundem annum fuisse Cotyos II. postremum, et Rhoemetalcis primum.

In numo postremo το KAΠЄ cum typo templi haud dubie indicat templum Jovis Capitolini honori in Bosporo fuisse erectum, ut recte conjicit Caryus. Sed conferendus hic numus cum numo regis Eupatoris.

AV. et AE. RRR.

RHOEMETALCES.

Numi:

BACIΛЄΩC. POIMHTAΛKOT. *Caput diadematum, ante quod in nonnullis sceptrum.* ☧ *Caput Hadriani laur., infra:* HKT. ΘKT. AΛT. ΓΛT. AV. (Cary, Mus. Caes. Sestini.)

Eadem adversa. ☧ *Caput Antonini laur., infra* MT. BMT. ΔMT. ЄMT. ZMT. NT. AV. (Cary, Sestini.)

BACIΛЄΩC. POIMHTAΛ - - *Caput diadematum, prae quo tridens.* ☧ MH. *Victoria gradiens.* AE. II. (Cary.)

Diximus in numis Cotyos II., ex anno HKT. certo constare, hoc aerae Bosporanae anno Rhoemetalcen regnare coepisse. Opportune Caryus Capitolinum citat, quo testante aetate Antonini revera Rhoemetalces in Bosporo regnavit, de quo testimonio agemus etiam in sequente Eupatore.

AV. RR. AE. RRR.

EVPATOR.

Hujus Eupatoris meminit Lucianus,

Digitized by Google

cum narrat, (in Pseudomantie) venisse in Bithyniam legatos Eupatoris regis Boporani, qui annuum tributum repraesentarent, quod factum imperante M. Aurelio, quae aetas numis quoque confirmatur. Eum etiam Caryus ex Capitolino felici conjectura eruit, cujus verba sunt [m]): *Rimetalcem in regnum Bosporanum audito inter ipsum et* curatorem *negotio remisit.* Quo loco pro *curatorem* legendum *Eupatorem* recte existimat. Patet inde, Rhoemetalcem, qui praecessit, ab Eupatore regno pulsum, restitutum ab Antonino, eique forte mortuo successisse Eupatorem.

Numi:

ΒΑCΙΛЄΩC. ЄΤΠΑΤΟΡΟC. *Caput diadematum, juxta sceptrum.* ℞ *Caput Antonini laur., infra:* ΒΝΤ. ΓΝΤ. ЄΝΤ. ϛΝΤ. In aliis: *Capita adversa M. Aurelii, et L. Veri, infra:* ΘΝΤ. ΞΤ. ΓΞΤ. ϛΞΤ. ΖΞΣ. ΑΥ. (Sestini, Cary, Mus. Caes.)

ΒΑCΙΛЄΩC. ЄΤΠΑΤΟΡΟC. *Capita duo adversa, alterum nudum, velatum tutulatum alterum.* ℞ ΒΝΤ. *Mulier sedens d. globum.* AE. II. (Pellerin Rois. p. 37.)

Perperam hunc numum Caryus Sauromatae III. tribuit.

ΒΑ. ЄΤ. *supra* ΝΟ. *infra* ΚΔ. *omnia intra lauream.* ℞ ΚΑΠЄ. *Frons templi.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΒΑ. Ε. *Caput equi.* ℞ *Protome barbata et galeata cum clypeo.* AE. III. (Sestini Lettere p. 40.)

Priorem Froelichius olim Eunreni regi Pergameno tribuit, sed notavit errorem Caryus collato altero simili, quem supra in Cotye II. recitavimus. Idem de literis ΝΟ. dubitavit, utrum revera in numo existant. Sed testari possum, Froelichium recte vidisse, numumque esse integerrimum, etsi de harum sensu literarum nihil aeque certi possit adfirmari.

AV. RR. AE. RRR.

SAVROMATES III.

Ex solis numis cognitus.

Numi:

Pellerinius hujus regis numum ex museo suo citat cum anno 472. Reliqua dissimulat [n]). Signatus adeo est inde ab autumno V. C. 928. et cadit in tempora M. Aurelii.

ΒΑCΙΛЄΩC. CΑΤΡΟΜΑΤΟΥ. *Caput diadematum.* ℞ *Caput Commodi laur. infra* ΖΟΥ. ЄΠΤ. ϛΠΤ. ΖΠΤ. ΘΠΤ. ΑΥ. (Pellerin Addit. p. 1. Mus. Caes. Cary.)

Eadem adversa. ℞ *Caput Severi laur. ante quod astrum, vel globulus, vel lunula, infra* ϙΤ. ΒϙΤ. (posterior hic est etiam aeneus III. in museo Caesareo, et Pellerinii.) ΔϙΤ. ΑΥ. (Cary. Mus. Caes.)

Eadem adversa. ℞ *Capita adversa laur. Severi et Caracallae, infra* ЄϙΤ. ϛϙΤ. ΗϙΤ. ↀ. Αↀ. Єↀ. ΑΥ. (Pellerin Rois. p. 37. 38. Sestini Tom. III. p. 169. Cary.)

Eadem adversa. ℞ *Caput Severi laur., in area aquila, infra* ϛↀ. AR. III. (Sestini.)

m) In Antonino. n) Rois p. 38.

Digitized by Google

Eadem adversa. ☧ *Eques pacificatoris habitu, in area astrum, et* B. AE. II. (Cary.)

Eadem adversa. ☧ *Mulier sedens d. globum, s. hastam, in area caput Severi laureatum, et* BM. AE. II. (Cary.) Vide plures aeneos alios apud Sestinum.

Numum aeneum cum binis in antica capitibus adversis, quem Caryus tabula III. n. 8. sistit, et huic Sauromatae tribuit, esse Eupatoris, ex verbis Pellerinii colligitur °).

AV. R. AR. RRRR. AE. RR.

RHESCVPORIS III.

Regnasse sub Caracalla, durasse in ipsum Alexandri imperium, ex solis numis constat.

Numi:

BACIΛЄωC. PHCKOTΠOPIΔOC. *Caput diadematum.* ☧ *Caput Caracallae laur., infra* ΗΦ. AIΦ. BIΦ. AV. (Cary. Sestini.)

Eadem adversa. ☧ *Caput Elagabali laur., infra* ЄIΦ. EL. (Sestini.)

Eadem adversa. ☧ *Caput Alexandri Sev. laur., infra* AKΦ. AR. (Cary ex Spanhemio.) *Alius cum anno* ЄKΦ. AR. (Sestini.)

AV. et AR. RRR.

COTYS III.

Regem hunc numi in Alexandri Sev. tempora vocant.

Numi:

BACIΛЄωC. KOTTOC. *Caput diadematum.* ☧ *Caput Alexandri laur., infra:* ЄKΦ. ZKΦ. HKΦ. ΘKΦ. ΛΦ. AR. AE. III. (Mus. Caes. Cary. Sestini.)

Postremum numum edidit Patinus, sed in eo legit AΦ. Verum recte observat Caryus, annum Bosporanum 501. cadere in ea tempora, quibus regnavit Sauromates III., cujus habemus numos cum annis ϛϥT. AΦ. ЄΦ. Verius igitur legendum ΛΦ., praecipue cum ejusdem Cotyos habeamus numum cum anno proxime praecedente ΘKΦ. et cum proxime sequente AΛΦ. in successore Ininthimevo. Addo, in numis circa annum AΦ. signatis comparere duorum imperatorum capita, Severi et Caracallae.

AR. et AE. RRR.

ININTHIMEVVS.

BACIAЄωC. ININΘIMHTOT. *Caput diadematum, juxta sceptrum.* ☧ *Caput Alexandri laur., infra* AΛΦ. AR. (Cary ex Seguino.)

AR. forte unicus.

RHESCVPORIS IV.

Numi:

BACIΛЄωC. PHCKOTΠOPIΔOC. *Caput diadematum.* ☧ *Capita Maximini, Gordiani III. Philippi, Decii, Valeriani, Gallieni, infra:* AΛΦ. ϛΛΦ. ΘAΦ. AMΦ. BMΦ. ΓMΦ. ЄMΦ. ϛMΦ. ZMΦ. HMΦ. ΘMΦ. ΞΦ. ΓΞΦ. AR. mixti. AE.

Horum similem edidit Khellius cum

°) Rois. p. 37.

Digitized by Google

anno nondum cognito ΛHΦ. p) verum in hoc legendum haud dubie AMΦ., nam observo, in numis Bosporanis constante lege praecedere monades, sequi decades, denique centenarios. Non raro in literarum lectione perperam captum Λ pro A, et H pro M, et vicissim, satis constat.

Inde a Caracalla numorum Bosporanorum fabrica in pejus semper ruere coepit, sic ut deinceps ab his vera imperatorum effigies discerni non possit. Deinceps ergo nequaquam, quod antehac factum, ex vultu imperantis annos epochae, sed ex annis epochae vultum imperantis definimus.

AR. AE. RR.

TEIRANES.

BACIΛЄΩC. TЄIPANOT. *Caput diadematum.* Ɪ *Caput Probi laur., infra* ΓOΦ. AE. (Cary.)

AE. forte unicus.

THOTHORSES.

BACIΛЄΩC. ΘOΘOPCOT. *Caput diadematum.* Ɪ *Caput Diocletiani, vel Maximiani laur., infra:* HΠΦ. BqΦ. ΓqΦ. ΔqΦ. ϛqΦ. HqΦ. ΘqΦ. AE. III. (Cary, Froelich, Pellerin.)

AE. RR.

SAVROMATES IV et V.

Caryus ex Constantini Porphyrogeniti libro de administrando imperio tres sub Diocletiano Bosporanos principes eruit, Rhescuporidem, ejusque filium Saurqmatem, et nepotem Sauromatem. Sed hactenus eorum numos nacti non sumus.

RHESCVPORIS V.

BACIΛЄΩC. PH - - - *Caput diadematum, juxta tridens.* Ɪ *Caput Constantini M. laureatum infra* ΓIX. AE. III. (Mus. Caes.)

BACIΛЄTC. PHCKOTΠOPIC. *Caput diadematum, juxta tridens.* Ɪ *Caput Constantini M., infra* ϛIX. HIX. KX. AKX. BKX. ΓKX. ΔKX. AE. III. (Cary, Pellerin Rois. p. 38.)

SAVROMATES VI.

Hunc quoque ex Constantino Porphyrogenito eruit Caryus, sed et hunc certis suis numis destitutum.

* * *

De aerae Bosporanae et Ponticae exordio.

Verum aerae Bosporanae et Ponticae exordium diu eruditos varias in sententias distraxit, quas, ne vetera, et jam inutilia recoquam, videre potes in commentariis Froelichii, et Caryi. Eruditi hi IIviri exordium istud explicare aggressi editis anno 1752. suis lucubrationibus, quin alteri de alterius proposito constaret, in eo ambo consensere, epocham Bosporanam ducendam ab autumno V. C. 457. Sententiam suam stabilivere consensu numorum plurium, qui Vaillantio aliisque ignoti fuere, et quorum deni-

p) Supplem. ad Vaill. p. 169.

Digitized by Google

que judicio exordium istud revocari amplius in dubium non potest. Numi post horum conatus detecti tantum abest, ut oraculi veritatem elevent, ut eam etiam praeclare confirment.

Exordium istud ab anno V. C. 457. invicte stabilit annus ΓΙΤ. 413., qui idem est in numo pridem cognito Sauromatae II. cum capite Hadriani, et idem in numo ejusdem Sauromatae II. cum capite Trajani recens reperto a Pellerinio q). Ex utriusque hujus numi testimonio liquet, annum Bosporanum 413. fuisse eum ipsum, quo mortuus est Trajanus, et successit Hadrianus. Factum istud circa medium Augustum V. C. 870. P. X. 117. Ab hoc si auferamus annos 413., remanebit pro aerae exordio annus V. C. 457. Finge, epocham incipere ab anno 456. Additus huic annus Bosporanus 413. effluxisset in autumno V. C. 869. At Hadrianus nonnisi anno sequente inde ab Augusto imperare coepit. Finge iterum initium epochae ab anno 458. Additus annus numi 413. coepisset in autumno 870. Verum Trajanus jam praecedente Augusto diem obivit. Eodem modo ex anno ΘΠΤ., qui est in numo Commodi, et Sauromatae III., probatur, aeram incipere non potuisse V. C. 458.; nam tum annus ΘΠΤ. coepisset in autumno V. C. 946., at Commodus die ultimo Decembris V. C. 945. caesus jam est.

Iidem viri praestantes Caryus et Froelichius in eo etiam conspiravere, quod verisimile iis visum, eandem esse aeram Bosporanam cum Pontica, seu ea, quam reges Ponti Mithridates V. et VI. numis suis inscripsere. Vaillantius initium aerae Ponticae deduxit ab anno V. C. 448., quam sententiam praeclare refutatam vide apud Caryum r). Istud certum, easdem difficultates non occurrere in ea sententia, quae utrique aerae idem exordium, nempe ab anno V. C. 457, constituit. Horum virorum judicio si stare lubet, quaeri rursum potest, utrum Bosporani a Ponto, an Pontici a Bosporo aeram sint mutuati? Verisimilius censet Caryus s), a Mithridate VI. Ponti rege in Bosporum recens acquisitum aeram Ponticam illatam, et a magno hoc rege ibi stabilitam a successoribus retentam fuisse. Quae fuerit causa constitutae in Ponto V. C. 457. epochae, deficientibus ejus aetatis monumentis non constat. Varia conjecerunt Froelichius et Caryus, quin tamen ipsi suis sibi conjecturis satisfacerent.

Praeter communem hanc utrique regno epocham alia comparet in numis Pythodoridos ducta verisimiliter ab V. C. 707., ut in ejus reginae moneta diximus. Asander et Polemo II. regni annos in numis suis signavere.

---

q) Suppl. III. p. 1. r) Pag. 18. s) Pag. 16.

Digitized by Google

PAPHLAGONIA.

Quae de Paphlagoniae numis in genere dici possunt, jam praecepta sunt supra in prolegomenis ad numos Ponti.

ABONI TICHOS, quod et IONOPOLIS.

Maritima, σμικρα πολις Arriano [t]), et Stephano, et Straboni πολιχνιον, celebris tamen evasit aetate Antonini, et M. Aurelii fraude Alexandri impostoris, quem Lucianus opere singulari, cui titulus, *Pseudomantis*, perstringit, qui ope serpentis cicuris, quem impune manibus tractavit, cuique *Glyconis* nomen indidit, novum sese Aesculapium ferebat, constituto etiam hac in urbe oraculo, ad quod Paphlagones, gentesque finitimae ingente numero confluxere, ipsis etiam Romanis fraudi involutis.

Autonomus.

Caput Jovis. ℞ ABΩNOT. TEIXOT. *Aquila expansis alis, in area monogramma.* AE. III. (Wise mus. Bodl. p. 257. num. 1.)

Non satis haec rarissimi numi epigraphe conspirat cum testimonio scriptorum, qui oppidum hoc constanter dixere Αβωνυ τειχος, *Aboni moenia*, unde gignendi casus esse non potest TEIXOT, sed TEIXEOΣ, vel contracte TEIXOTΣ, quem posteriorem modum revera forte habuerit numus, sed litera postrema aevo extrita. Apparet ex forma literarum, aliisque causis, cimelium istud antiquitate multum anteire imperatorios, de quibus continuo.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Hujus oppidi exstant nomine *Abonoticheos* et *Ionopoleos*. Praecedant illi vetustioris nominis.

Aboni ticheos nomine exstant cum capite Antonini, et M. Aurelii.

Epigraphe ABΩNOTEIXEITΩN.

Typus: *Serpens in spiras erectus capite humano, infra quem in nonnullis scriptum:* ΓΛTKΩN.

Numos hos prolixe illustravit Spanhemius [u]). Goltzius, et Spqnius [x]) in suis pro ΓΛTKΩN legerunt ΓΛΛTKON, quod est contra fidem numorum aliorum rite inspectorum, contra fidem Luciani mox laudati, contra fidem metri, quod idem Lucianus conservavit:

Ειμι ΓΛTKΩN, τριτον αἱμα Διος, φαος ἀνθρωποισι.

Sum GLYCON, tertia soboles Jovis, lumen mortalibus. Compositum istud erat ab Alexandro in Glyconis serpentis sui gratiam, ut attonito populo fidem faceret. Persona capitis humani serpenti addita apposite ad testimonium Luciani, qui illud e pictis linteis confectum fuisse ab impostore narrat. Quando coeperint hae praestigiae, et quamdiu duraverint, idem non edixit. Sed satis appa-

[t]) In periplo. [u]) Tom. I. p. 213. [x]) Recherch. p. 496.

Digitized by Google

ret ex his numis, eas jam coepisse sub Antonino, et sub ipsum L. Verum, cujus numum nomine *Ionopolis* mox producam, continuatas. Si fides Harduino adserenti, in numo Antonini musei Foucault legi

Epochae annum: ЄΤ. ΡΑ., et praeterea de hujus exordio certum quid definiri posset, tempus propius teneremus. At numus hic nemini alteri conspectus fuit, atque ut exstaret, annos numi ΡΑ. per omnes Antonini annos vagatur. Interea Harduini periculo figatur aera ad V. C. 803.

AE. RRR.

Ionopoleos nomine. Addit Lucianus in eodem opere y), ausum Alexandrum postulare ab imperatore, ut Aboni tichos deinceps *Ionopolis* appellaretur. Et istud illum impetrasse, docet numus musei regii cum capite L. Veri:

ΙΩΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΓΑΤΚΩΝ. *Serpens cum capite humano inter spiras adsurgens.* (Patin, Vaillant.)

Et quod magis mirum, etiam comperta fraude mansit tamen deinceps Ionopolis nomen. Sic Marcianus Heracleota z) εἰς πολιν Αβονυ τειχος, την νυν Ιωνοπολιν λεγομενην, *in urbem Aboni tichos, nunc dictam Ionopolin*, quod et testantur aevi posterioris monumenta, ut in Novella XXIX. tit. 8.

Subjicit continuo Lucianus: ejusdem Alexandri jussu νομισμα καινον ἐγκεχαραγμενον, τῃ μεν τυ Γλυκωνος, κατα θατερα δε, Αλεξανδρυ, γεμματα δε τυ παππυ Ασκληπιυ και την ἀρπην ἐκεινην τα πατρομητορος τυ Περσεως ἐχοντες, *numum novi generis signatum, hinc Glyconis imagine, inde vero Alexandri, coronam avi Aesculapii, et harpen illam proavi materni Persei gestantis*, nimirum ut supra dixerat, processit in publicum ἀρπα ἐχων κατα τον Περσεα, ᾡ ἑαυτον ἐγγενεαλογει μητροθεν, *harpen praeferens instar Persei, ad quem per matrem genus suum vocavit.* At hujus generis numus nondum visus.

AE. RRR.

AMASTRIS.

Ab Amastrie, Oxyathrae fratris Darii filia, cujus numos post Heracleam Bithyniae recensebimus, nomen traxit, cum antea teste Plinio Sesamum vocaretur. Stephanus fuisse eandem cum vetere Cromna perperam adseruit.

Autonomi.

Horum vetustiores Ponticos habent typos.

Caput Palladis Ϫ AMAΣTPЄ. *Perseus stat Medusae caede occupatus.* AE. I. (Pellerin.)

Caput juvenile galeatum. Ϫ AMAΣTPЄ. *Pharetra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Jovis. Ϫ AMAΣTPЄ. *Aquila insistens fulmini.* AE. II. (Pellerin.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. Ϫ AMAΣTPЄ. *Victoria gradiens palmam super humero effert.* AE. II. (Haym.)

De his typis vide, quae notavimus in prolegomenis ad numos Ponti.

---

y) Sub. fin. z) Sub. fin. Peripli.

Digitized by Google

* * *

Caput muliebre turritum. Ϟ AMAΣ-TPEΩΣ. ΓM. *Thyrsus, omnia intra coronam.* AE. III. (Haym. T. II. p. 172.)

Dubium non videtur, literas ΓM. indicare annum epochae. At quae ista? Ejus principium Haymius nimium sedulus conjectura sane infirma ab anno V. C. 473. opinatur posse deduci. Verum ex numo unico, eoque autonomo frustra in ejus exordium inquirimus.

Caput muliebre galeatum laureatum et stella insignitum. Ϟ AMACTPIEΩN. *Juppiter sedens d. aquilam, s. hastam.* AR. I.

Illustris cum volumine, tum metallo. Eum Cl. abbas Sestinus vulgavit ex museo Ainslieano. (Lettere T. IV. p. 101.)

* * *

Autonomi recentiores, et ex Augustorum aevo.

AMACTPIC. *Caput muliebre velatum turritum.* Ϟ CЄBACTH. *Victoria stans* AE. II. (Pellerin.)

En honorificum *Sebastes* titulum huic urbi datum. Paucae sunt urbes, quae istud honoris nomen in moneta jactant, etsi fuerint non paucae, quae Sebastes nomen abolito vetere sumpserunt.

* * *

ZЄTC. CTPATHΓOC. *Caput Jovis.* (Pellerin.)

In solis forte Amastrios numis Juppiter Στρατηγὸς, *imperatoris*, aut *exercitus ducis* nomine occurrit. Idem et in imperatoriis redit.

* * *

OMHPOC. *Caput Homeri diadematum.*

Ϟ AMACTPIANΩN. MЄΛHC. *Fluvius Meles decumbens d. lyram.* AE. II. (Patin Num. Impp. p. 2.)

Eadem adversa. Ϟ AMACTPIC. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. III. (Hunter.)

Eadem adversa. Ϟ AMACTPIANΩN. *Victoria gradiens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vulgo notum, Homerum propter Meletem Smyrnae fluvium natum. Verum ardua quaestio, cur is in Amastrianorum monetam vocatus sit. Patinus aenigma facile expedit adserendo, certum esse, fuisse Amastrin Smyrnaeorum coloniam, sed auctorem non citat, etsi verisimile omnino sit, vetus Sesamum, ut plerasque Ponti urbes, colonis Ionibus constitisse. Cum vero hi Homerum apud se natum gloriarentur, horum etiam coloni Amastrie constituti domesticum istud suum decus ostentaverint in numis. Vide Homerum etiam in imperatoriis.

AE. RR.

Imperatorii.

Exstant copiosi a Domitia usque ad Gordianum.

Epigraphe: AMACTPIANΩN.

Typi variorum deorum, heroumque effigies additis nominibus offerunt, sic:

ZЄTC. CTPATHΓOC. *Juppiter stans d. hastam, pro pedibus aquila*, Antonini. (Mus. Caes.) Vide autonomos.

HPA. *Juno stans socio pavone*, Antonini, et Faustinae sen. (Vaill.)

HPA. ZЄTC. CTPATHΓOC. *Juno et Juppiter Strategus hastati stantes*, Antonini. (Mus. Caes.)

ACKΛHΠIOC. vel: TΓЄIA. *Aesculа-*

Digitized by Google

pius vel *Hygia stantes*, Antonini, Faustinae jun. (Vaill.)

OMHPOC. *Caput Homeri*, M. Aurelii. (Vaill.) Vide autonomos.

M. ATPHΛION. KAICAPA. *M. Aurelius eques*, Antonini. (Vaill.)

IOTΛIAN. MAICAN. CЄBAC. *Protome Maesae sub Cereris specie d. spicas, s. papaver praetendentis.* ℵ AMACTPIANΩN. *Juppiter et Juno hastati stantes intra zodiacum.* AE. I. (Haym. T. II. p. 346.)

* * *

Metropolis. AMACTPIANΩN. MHTPOΠOΛЄITΩN, in numo Trajani, et Plotinae. (Mus. Caes.) Plotinae numum cum hoc titulo jam vulgavit Patinus, sed videtur suspectus habitus Vaillantio et Pellerinio, nam neuter Amastrien inter urbes metropoles nominavit.

Concordia notatur in numo Antonini: AMICOC. AMACTPIC. *Duae Amazones turritae stantes jungunt dexteras media inter has ara.* (Vaill.) Videntur ergo Amastriani binas agnovisse urbis suae auctores, unam historicam, nempe Amastrien reginam, alteram mythologicam, nempe Amazonem exemplo multarum aliarum Asiae minoris urbium. Refert Stephanus, Amastrien nomen abstulisse ab Amazone cognomine, idque ex testimonio Demosthenis. At hic intellexerit haud dubie, Sesamum, quod fuit vetus Amastrios nomen, ab Amazone fuisse conditam. Harduinus etiam ex inscripto OMHPOC. et MЄΛHC. concordiam cum Smyrnaeis capit, sed utriusque nominis in Amastrianorum monetam vocati causam magis probabilem in autonomis dedi.

Magistratus in unico numo: ЄΠI. ACKΛHΠIAΔOT. (Vaill.)

Situs ad Parthenium fl. ΠAPΘЄNIOC. *Fluvius decumbens*, M. Aurelii. (Vaill.)

De *epocha* dubia, et nomine *Sebastes* egi in autonomis.

AE. C.

CROMNA.

Maritima prope Amastrien, cui et incolas suppeditavit, regina Amastrie ex vicinis oppidis colonos in novam suam urbem evocante.

Autonomi.

Caput Jovis. ℵ KPΩMNA. *Caput muliebre cinctum corona eminentiore.* AR. (Pembrock, Pellerin, Hunter.)

AE. RRR.

CYTORVS.

Autonomos aeneos maritimae hujus urbis unus prodidit Goltzius: KTTOPIΩN. (in Insul., tab. II.)

GERMANICOPOLIS.

Imperatorii cum urbis hujus nomine signati complures, sed in familia Severi tantum. Cum plures fuerint per Asiam minorem Germanicopoles, una haec nostra, olim dicta *Gangra*, sed quae in gratiam Claudii nomen mutaverit, ut conjectat Belleyus, altera in Bithynia, tertia in Isauria, huic postremae Vaillantius numos hoc nomine inscriptos est largitus. Sed Belleyus dissertatione sin-

Digitized by Google

gulari eos Paphlagoniae vindicavit a) his motus argumentis, I. quod in numo regio et Arigoniano scribatur: ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΙC. ЄCΤΙΑ. ΘЄΩΝ. ΠΑ. quas postremas literas legit ΠΑφλαγονιας. At in numo Arigonii cum capite Severi mira est haec epigraphe: ΑΡΧΠΑΦΓΕΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΙCЄCΤΙΑΘЄΩΝ., in qua difficile sane est decidere, an το ΑΡΧ. notet ΑΡΧοντα, an ΑΡΧιερεα, an ΠΑΦ. sit hujus ipsius magistratus nomen, ut ordo postulat, an ΠΑΦλαγονιαν indicet. Sed neque lubet immorari, quia parum fideles novimus Arigonii iconismos. II. Argumentum capit ex annis epochae, de qua infra. Harduinus in numo musei regii legit: ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΙC. ЄΛΓ. Quare eum Germanicopoli Bithyniae vindicat, quae teste Plinio antea *Helgas* dicta fuit. At singularem hunc numum alibi laudatum non video, et forte deceptus est legendo ЄΛΓ. pro anno epoche CΔI., qui revera in aliquibus hujus urbis numis exstat.

Epigraphe: ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΙC. vel ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛЄΩC., cui plerumque additur: ЄCΤΙΑ. vel ЄCΤΙΑC. Θ. vel plene ΘЄΩΝ. Censet Belleyus, eam sic vocatam propter plura templa urbis moenibus inclusa. Atque hoc sensu video a Virgilio Trojam item vocari *deorum domum* b): *O patria! o divum domus Ilium!*

Typi varias offerunt deorum effigies. At singularem aversam habet numus Domnae, quem olim edidi ex museo Com. Festetics c).

ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛЄΩC. Є - - - ЄΤ. CΔI. *Figura fluvii barbata decumbens d. Palladium, s. arundinem, infra* ΞΑΝΘCC. AE. I.

Xanthus ad Trojam fluxit, ergo hoc typo et hac epigraphe Germanicopolis nostrae situs indicari non potest. Neque potest hoc Xantho intelligi fluvius Paphlagoniae fors neglectus a geographis ob ignobilitatem, nam quod Palladium d. tenet, istud Trojae Xanthum manifesto arguit. Videntur ergo Germanicopolitae, ut pluribus ibi verisimile dixi, Xanthum, qui a veteribus passim deus habitus est, suo quoque lavario, tanquam ἑστια θεων intulisse, aut fuere coloni ex Troade profecti, et Xanthum eadem ratione signavere in moneta, qua Amastriani Meletem, ut in his diximus.

* * *

ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛЄΩC. *Taurus gradiens*, in numo Domnae musei M. Ducis, quem ibidem edidi.

Forte unicus hic numus est, qui quadam veri specie Germanicopoli Bithyniae tribui possit; nam abest epochae annus et Εστια θεων, et secundum Plinium haec urbs dicebatur *Boos coete*, id est: *bovis stabulum.*

* * *

Epocham nonnulli inscripsere praefixo

a) B. L. Γ. XXX. p. 324. b) Aen. II. 241. c) Num. vet. p. 170.

Digitized by Google

ЄΤ. Annos varios quatuor reperit Belleyus: C. CIA. CIΔ. CIЄ. At in binis, quos edidi, annus scribitur hac lege: ЄΤ. CΔI. Belleyus ducendam aeram putat ab anno V. C. 747. exemplo Amasiae Ponti, et Neoclaudiopolis Paphlagoniae, cujus causam supra in Amasia exposui.
AE. RR.

IONOPOLIS.

Vide supra in *Aboni tichos.*

MASTIA.

In Paphlagoniae urbibus memoratur Plinio *Mastya Milesiorum*, qui locus in mendo cubare visus est Harduino, aliisque, quod ejus urbis aliorum nemo meminit. At Pellerinius *autonomum* citat [d]), qui exstat in cimeliis curiae Lugdunensis Galliae, in cujus aversa: ЄΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΕΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. ΡΩΜΗ. *Roma sedens*, qui typus est etiam in numo Amisi, obvius autem in moneta urbium Bithyniae. Constat vero, Bithyniam, tum Ponti et Paphlagoniae partem exeunte rei Romanae saeculo VII. unam provinciam effecisse, ut late disputabitur in prolegomenis ad numos Bithyniae. Vrbis epigraphen Pellerinius ait esse *Mastia*, sed qualis reipsa in numo sit, non prodit. Vindicatur igitur Paphlagoniae sua Mastia, corrigendumque Plinii *Mastya*. Tabulae *Mastrum* videtur idem esse cum Mastia.
AE. RRR.

NEOCLAVDIOPOLIS.

Ptolemaeus vetus et novum urbis nomen conjungit: Ανδρωπα, ἡ καὶ Νεοκλαυδιοπολις.

Imperatorium M. Aurelii nuper vulgavit Sestinus: (Lettere T. IV. p. 101.) ΝΕΟΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Ara cum serpente adsurgente.* Sed jam olim numum Severi edidit Belleyus ex museo de Cotte [e]), in cujus aversa (urbis epigraphen dissimulat) *aquila coronam rostro stringens super ara inter duo signa militaria addito epochae anno* CΘ. Numum hunc esse unicum hactenus cognitum censet Belleyus. At Tristanus numum Caracallae edidit typo *serpentis arae insidentis.* Epigraphe in numi ambitu exteriore: ΚΛΑΥΔΙΟ-ΠΟΛΕΙΤΩΝ, in interiore: ΝΕΟ [f]). Dubium hic est, an το ΝΕΟ. praecedere debeat urbis nomen, an sequi. In priore sententia fuit Tristanus, numumque propterea Neoclaudiopoli tribuit. In altera Harduinus, et cum το ΝΕΟ. legeret ΝΕΟκαισαρεων, numum Claudiopolin Bithyniae transtulit [g]). Quod Harduini opinionem videtur refellere, est, non tam, quod scribendum fuerat ΝΕΩ. ad indicandum ΝΕωκαισαρεων, (nam passim in numis Cyzicenis et Pergamenis legas ΝΕΟΚΟΡΩΝ pro ΝΕΩΚΟΡΩΝ.) quam quod Caracallae aetate, cujus caput offert numus, ac jam multo ante haec Bithyniae urbs non amplius Claudiopolis, sed vetere Bithynii nomine monetam suam inscripsit, ut infra videbimus, neque ex numis, saltem certis, constet, hanc urbem,

d) Suppl. II. p. 24. e) B. L. T. XXX. p. 334. f) Comment. hist. T. II. p. 214. g) Num. ill. p. 83.

Digitized by Google

utrovis nomine numos suos inscripserit, neocoratus honore gavisam. Claudiopolis Isauriae, et alterius praetensae in Lycaonia nullos esse numos, probabimus in numis Claudiopolis Bithyniae. Ex quo sequitur, numum hunc potius esse Neoclaudiopolis, si modo rite est lecta epigraphe; nam in hac rei numismaticae luce diffidere Tristano licet insigniter quidem erudito, sed nondum his subsidiis instructo. Eodem loco alium Severi citat Harduinus similem Tristani numo, addito ЄT. Cς. Hic si unquam exstitit, haud dubie est Neoclaudiopoleos: nam exactus hic annus ad epocham hujus urbis, quam mox statuemus, incidit in ipsum Severi imperium. Claudiopolis Bithyniae aliud secuta est aerae exordium.

Epocha, quantum ex unico certo hujus urbis numo, et unico anno CΘ. colligere licet, coepit sub autumnum V. C. 747. exemplo Amasiae et Germanicopolis, ut definivit Belleyus, et exposui supra in Amasia Ponti.

AE. RRRR.

POMPEIOPOLIS.

Mediterranea Gangram inter et Sinopen secundum tabulam Peutingeri. Harduinus hoc nomine latere veterem Amisum putat, quae testante Plinio dicta fuit Pompejopolis una cum adjuncta Eupatoria a Mithridate condita [h]). At Amisus, cujus copiosos habemus imperatorios, nunquam vetus suum nomen obliteravit, et haud scio, an unquam Paphlagoniae contributa fuerit, in qua nostram Pompejopolin sitam ipsi numi eloquuntur.

Imperatorii.

M. Aurelii et uxoris apud unum hactenus Vaillantium.

Epigraphe ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙC. addito ΜΗΤΡ. vel ΜΗΤΡΟ. ΠΑΦΛ*αγονιας*, atque his titulis hujus sese urbis numi satis a numis Pompejopolis Ciliciae discernunt, quae insuper epocham inscripsit, qua caret nostra. A quo tempore metropolis dici coeperit, tuto adfirmari nequit.

Typi sunt obvii.

AE. RRR.

SESAMVS.

Vrbs Paphlagoniae jam memorata Homero [i]). Fuit vicina Amastrii, aut ipsa Amastris mutato nomine. Vide Cellarium.

Caput barbatum laur. Σ ΣΗΣΑ. *Caput muliebre.* AE. III.

Praeter hunc nullus alius urbis hujus numus cognitus, quem nuper Sestinus ex insigni museo Ainsliano vulgavit.

AE. RRRR.

SINOPE.

Hujus tractus urbium clarissima, Milesiorum colonia, sed V. C. 572. a Pharnace I. capta Ponti regum sedes fuit. Expugnata a Lucullo coloniam Romanam recepit serius, ut dicetur.

---

b) L. VI. §. 2. i) In Catal. v. 360.

Digitized by Google

Autonomi:

ΦΛΕΙΑ. *(retrograde) Bos cornupeta.* Ϫ ΣΙΝΩ. *Rota intra quadratum incusum.* AR. II. (Sestini Lettere tab. IV. n. 23.)

Caput muliebre. Ϫ ΣΙΝΩ. *Aquila piscem depascens, in area:* ΚΡΗ. — ΔΙΟ-ΝΤΣ. — ΕΚ. etc. AR. II. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

* * *

Caput muliebre cinctum corona eminentiore. Ϫ ΣΙΝΩ. *Aquila adversa explicatis alis.* AR. III. (Pembrock. Pellerin.)

Exstant argentei non pauci huic non multum absimiles, nisi quod in aversa parte pro aquila est noctua simili cultu, nimirum adversa explicatis alis, et juxta pro ΣΙΝΩ. legitur ΗΕ. infra ΠΕΙΡΑ. (Pembrock P. II. tab. 11.) vel. ΑΙΠΤ. infra ΠΕΙΡΑ. vel: ΣΠΛ (retrograde) infra ΠΕΙ - - (Hunter tab. 41. n. 22. 23.) In aliis aversae epigraphen facit ΜΝΑΣ. (Mus. Caes.) vel. ΚΤΗ. (Pellerin) ΣΩΧΑ. (Dutens Explic. de quelq. méd. p. 51.) ΔΙΑΝ. vel ΟΝΖΙΚΟΤ. (Sestini Lettere p. 91.) Habent hi numi remotae vetustatis indicia omnia. Pellerinius suum cum ΚΤΗ. tribuit *Ctemenis* Thessaliae, quod vix cuipiam probabitur. Cl. Dutens suum cum ΣΩΧΑ. ad hanc Sinopen vocat, quia, ut dixi, cum praesente certo Sinopensi similis fere est naturae. (l. c.) In simili musei Caesarei, et apud Pellerinium legitur ΔΗΜΗΤΡΙΟΤ. Eum Pellerinius Athenis in honorem Demetrii Poliorcetae cusum est suspicatus, (l. c.) quod quidem aegre persuaserit. Cl. Combius eos, quos supra ex Hunteriano citavi, propter adscriptum ΠΕΙΡΑ. Petrae Achaiae tribuit, hoc quoque judicio fallace, nam satis constat, id genus numos in ora Ponti Euxini reperiri. Denique Abbas Sestinus, cum in ΠΕΙΡΑ quoque urbis nomen videret, eos Amiso Ponti tribuendos censet, de qua Strabo [k]: eam a Milesiis fuisse aedificatam, ab Atheniensibus subinde colonis frequentatam, vocatamque ab his Piraeeum. Fuerit causa appellationis portus patrius Piraeeus. Judicium istud satis videtur probabile, suffragante etiam typo noctuae, ac tum certum etiam, oppidanos abjecto Piraeei nomine subinde vetus Amisi revocasse. At vero si ob dictam causam numi ΠΕΙΡΑ Amisum pertinebunt, quorsum ablegabimus eos, qui pro ΠΕΙΡΑ habent ΜΝΑΣ. vel ΣΩΧΑ vel aliud? An et hos dabimus Amiso? sed cur? Res valde incerta.

* * *

Caput Persei herois tectum galea alata et incurva. Ϫ ΣΙΝΩΠ - *Harpa super cippo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Illustris hic numus, etsi mole, fabrica, metallo ignobilis liberalem mihi olim materiem ad stabiliendum in Ponto Persei cultum obtulit [l], de quo argumento vide etiam prolegomena ad numos Ponticos.

---

k) L. XII. p. m. 823. l) Num. vet. p. 172.

Digitized by Google

Caput Palladis. Ꝛ ΣΙΝΩΠΗΣ. *Perseus stans Medusae caede occupatus.* AE. I. (Hunter.)

Caput Jovis. Ꝛ ΣΙΝΩΠΗ. *Aquila insistens fulmini.* AE. II. III. (Hunter, Mus. Caes.)

Aegis Palladis inserto Medusae capite. Ꝛ ΣΙΝΩΠΗΣ. *Victoria gradiens palma super humerum elata.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput juvenile galeatum. Ꝛ ΣΙΝΩΠΗΣ. *Pharetra.* AE. II. (Theupoli. Hunter.)

Caput juvenile nudum. Ꝛ ΣΙΝΩΠΗΣ. *Cornucopiae inter duos pileos Dioscurorum.* AE. III. (Pellerin.)

Protome Cupidinis alata. Ꝛ ΣΙΝΩΠΗΣ. *Pharetra et arcus.* AE. III. (Pellerin.)

De typis his Ponticis vide, quae praecepimus in prolegomenis ad numos Ponti. *AR. RR. AE. R.*

* * *

Colonia a I. Caesare deducta non infrequentes signavit numos etiam cum capite conditoris, sed eo jam vita functo, causa nimirum benevolentiae, porriguntur numi cum imperantium capite usque in Gallieni tempora. Cl. Belleyus Sinopes coloniae numos omnes collegit, et eruditis praeceptis illustravit [m]), cujus laboris partem jam occupavit Froelichius in *Appendiculis II. novis* anno 1744. in 8vo editis, subinde anno 1762. a Khellio in 4to recusis. Multa etiam de Sinopes numis praeclare disseruit Abbas Fontenu [n]). Ex his, quae cum primis ad plenam numorum coloniae Sinopes intelligentiam pertinent, excerpam, correctis, quae ab his peccata videbantur.

Epigraphe: Colonia Iulia Caesarea Felix Sinope, vel plenius SIN. SINOPE. SINOPES. mixtis nonnunquam barbare literis Graecis CINO. CINOPЄ., ipso etiam in multis opere perquam barbaro. Dicitur *Iulia* et *Caesarea*, quod posterius rarius occurrit, a I. Caesare coloniae auctore. In nonnullis additur A. vel AV., quod AV*reliam* aliqui interpretati sunt, cum AV*gustam* notet; nam dictum AV. jam occurrit ante Aurelios in numo Aelii. Inde a Maximino plerumque scribitur: C. R. I. F. S., ubi το R. notat *Romana.*

Magistratus IIVir, sed cujus nomen exesum, notatur in unico numo Augusti, (Belley.) ut etiam EX. D. D. in solis numis Augusti et Caligulae.

Typi illustriores:

Caput Serapidis, aut is stans, adsidente nonnunquam animali tricipite; non raro in lectisternio decumbit.

Serapidis cultus hic domesticus; nam hinc ejus signum a Ptolemaeo Alexandriam importatum, ut dicetur in prolegomenis ad numos Alexandrinos.

Dioscuri stantes cum equis suis. Typus Ponticus. (Sestini Lett. T. IV. p. 101.)

Nemesis typus non infrequens. Reliqui obvii.

* * *

Epochae Sinopenses, quoniam permul-

---

m) B. L. T. XXVI. p. 456. n) B. L. T. X. Mem. p. 465.

Digitized by Google

tum ad rationes chronologicas valent, adcuratius tractandae. Harum annus aliquis numis Sinopes, sed coloniae, plerumque inscribitur hoc modo: A. vel AN. CCLV. etc. Epocha Sinopenses usi fuere duplici, quam numi invicte stabiliunt. Eccas:

Epocha I. ab anno V. C. 684., cujus stabilitae causa fuit, quod hoc anno Lucullus Sinopen, quae Mithridati paruit, expugnavit, eamque, ut Appianus tradit, statim liberam edixit [o]), non vero ut Vaillantio visum, tum continuo colonia deducta est, nemine istud veterum dictante. Aliud ejus deductae tempus mox dabimus.

Epocha II. ab anno V. C. 709. Haec antea ab eruditis illigata fuit annis V. C. 705. 706. 707., et praesto illis fuit titulus speciosus. Pharnaces Mithridatis VI. filius Romanis bello civili Caesaris et Pompeji distentis Pontum invasit, et expugnatas ejus urbes, quas inter Sinope, omni immanitate vexavit. At iis libertatem restituit Caesar dictator victo V. C. 707. ad Zelam Pharnace, unde iis visum, novam tum a Sinopensibus coeptam aeram. At numi alii serius comperti novae hujus aerae exordium ab autumno V. C. 709. dimoveri non patiuntur, ut demonstrabimus. Non ergo victoria Caesaris de Pharnace, et impetrata altera haec libertas causa fuit instituendae alterius epochae, sed quod Sinope hoc anno, ut verisimile est, coloniam recepit, et deducente quidem I. Caesare, quod non modo titulus *Iuliae* comprobat, et quod eo mortuo cum ejus adhuc capite tanquam conditoris signavit monetam, sed quod satis constat, multas ab eo urbes colonis frequentatas.

Lubet a numis epochae II. ordiri, quod hanc Sinopenses numis priorum imperatorum inscripsere. Sunt omnes ex Belleyo capti, nisi cum aliter notatur.

Anni epochae II. ab anno V. C. 709.

AN. XXIII. *Caput I. Caesaris* Ɪ *Caput August.* (Mus. Caes.)

AN. XXXI. *Caput Augusti.* Ɪ *Capita Caii et Lucii Caes.* (Mus. Caes.) De hoc numo male explicato vide infra.

A. XXXVI. *Caput Augusti.* Ɪ *Capita Caii et Lucii Caes.* (Pelerin Mel. I. p. 250.) Et hic male explicatus, ut dicetur.

AN. LXXXIII. Caligulae.

AN. CII. Neronis. Ɪ Agrippinae matris. In alio: Octaviae. (Pellerin, Mus. Caes.)

AN. CIIII. Neronis. Ɪ Octaviae.

AN. CXIII. Neronis. (Sestini Lettere T. IV. p. 101.) Vide de hoc numo mox infra.

CXX. Titi adhuc Caesaris.

CXLI. Nervae.

AN. CLXXVIII. Hadriani.

ANN. CLXXXII. Aelii.

AN. CCIIII. M. AVR. VERO. CAES. M. Aurelii adhuc Caesaris. In alio: Faustinae jun.

AN. CCVII. Faustinae jun.

ANN. CCLII. Caracallae.

ANN. CCLV. Getae Aug.

CCLXI. Diadumeniani.

o) In Mithridatic.

Digitized by Google

Calculo subducto ex annis, qui sunt in numis Nervae et Diadumeniani, patebit, epocham non potuisse maturius anno V. C. 709. incipere, et non potuisse serius, docet annus Aelii Caes., qui praeterea confirmat, Aelium non Kal. Jan. V. C. 890. diem obivisse, quod visum aliquibus, sed iisdem Kalendis anni sequentis. Docet item annus CXIII. in numo Neronis cum epigraphe manca --- CLAVD. AVG. GER --- Eum Sestinius perperam Claudio tribuit; nam tum annus CXIII. neutri se epochae adcommodaret. Legendum ergo: NERO. CLAVD. etc. Additus ergo annus 113. ad 709. coepit anno V. C. 821, quo anno caesus est Nero mense, ut creditur, Iunio. Praecipiente ergo hoc numo necesse aut Neronis caedem aliquanto serius patratam, aut Sinopensium annum aliquanto maturius occoepisse. Anni reliqui facile se huic calculo subjiciunt, si rationem sequare, quam in describendis his numis tenui. At magnum malum intulit Froelichius, Belleyo quoque, Mazzoleno, et Pellerinio fallace suo indicio in partes tractis. Nam is, cum numum II. cum anno XXXI. promulgaret p), in aversa edixit exhiberi capita jugata M. Antonii et Cleopatrae. (Cautius in locum Cleopatrae Octaviam suffecere Belleyus et Mazzolenus q). Constituto ergo Antonii capite cum non posset annum XXXI. deducere ab epocha II., seu V. C. 709., (nam tum signatus esset numus anno V. C. 739. pridem mortuo Antonio) necesse fuit ad epocham I. Luculleam, seu V. C. 684. recurrere, numumque adeo V. C. 714. cusum profiteri. Serius hic lapsus suapte Froelichium advertit. Etiam in margine exemplaris, quo ipse usus est, et quod nunc penes me est, sic errorem suum correxit, ut adsereret mecum, in ejus numi aversa proponi capita Caii et Lucii, annumque XXXI. non ducendum ab anno 684. aerae vetustioris sed ab autumno 709. aerae recentioris, ut adeo numum, de quo agimus, signari oportuerit ab autumno anni 739. biennio postea, quam uterque ab Augusto adoptaretur. Revera Khellius novum istud Froelichii praeceptum minime aspernandum ratus, cum eas Appendiculas anno 1762. novis typis restituendas curaret, illud novae huic editioni inserere non neglexit. Et vero, qui hunc Froelichii numum ob oculos habeo, adfirmare ipse possum, utrumque caput nihil habere Antonii vel Octaviae, sed esse puerilia, qualia tum Cajum et Lucium decebant.

Hoc Froelichii oraculo deceptus Pellerinius, et ipse in numo ex propositis III. cum anno XXXVI. hinc caput Augusti, inde M. Antonii et Octaviae vidit. Quo adserto coactus et ipse fuit, annum inscriptum ab epocha priore 684. ducere. At cum sic numus signatus esset ab autumno V. C. 719., quo tempore satis constat, non quidem, quod Pellerinius docet, repudiatam ab Antonio Octaviam, (nam istud contigit V. C. 722.) sed aperte ne-

p) Appendic. II. novae 1744. p. 3. q) In num. Mus. Pis. P. II. p. 171.

Digitized by Google

glectam, effugium sibi quaerit auctor necessarium magis, quam verisimile, tum Sinopensibus de averso Antonii amore nihil adhuc fuisse compertum. Sed enim in hoc quoque numo capita Caii et Lucii agnosco, annumque XXXVI. perinde ab epocha 709. derivandum. Denique viguisse sub Augusto apud Sinopenses epocham II., invicte comprobat numus Augusti a me recens museo Caesareo illatus cum anno XXIII., qui si duceretur ab epocha I. 684., necesse esset numum signatum ab autumno V. C. 706., quod aperte repugnare, nemo est, qui non intelligat.

Anni epochae I. ab anno V. C. 684.

AN. CCXCIIII. Alexandri Sev. (Mus. Caes.)

AN. CCCV. Maximini, (Mus. Caes.) et Maximi.

AN. CCCVIII. CCCX. CCCXI. Gordiani.

AN. CCCXV. CCCXVIIII. Philippi sen.

AN. CCCXIX. Philippi Caes. (Mus. Caes.)

AN. CCCXXX. Gallieni (Mus. Caes.)

Per numum Gordiani cum anno CCCVIII. et Philipporum cum anno CCCXIX. manet haec aera fixa ad annum V. C. 683. vel 684. Interim cum ex melioris notae historicis constet, Sinopen V. C. 684. a Lucullo fuisse captam, Belleyus aliique ipsum hunc annum pro aerae initio seposuere.

Ab his ergo numis docemur I., Sinopenses, cum primum deducti sunt coloni, móx aeram novam invexisse, eaque ob recentis beneficii memoriam continuo in numis usos, sic tamen, ut propterea non obliterarent veterem, quam serius resuscitavere. Poterant sane uno eodemque tempore uti duplice aera, ut usi fuere Antiocheni Syriae, Ascalonitae, aliique pauci, quos constat, duplicem variam epocham in uno eodemque numo signasse. At Sinopenses eam tantum aeri intulere, quae principe apud eos loco fuit, et videtur verisimile, utramque illos conjunxisse in actis publicis, quae utriusque notandae spatium dedere. II. Quaecunque causa fuit, praetulere serius aeram veterem, atque istud forte jam sub Elagabalo, cujus desunt numi, certe sub Alexandro Severo. *AE. RR.*

REGES PAPHLAGONIAE.

PYLAEMENES.

Habemus numos perpaucos Graecos regis Pylaemenis nomine insignes. Fuit quidam Pylaemenes Paphlagonum rex jam Homero cognitus [r]), ex eorum ille numero, qui Trojanis adversum Graecos auxilia misere:

Παφλαγονων δ' ἡγειτο Πυλαιμενεος λασιον κηρ.

Paphlagonibus vero praerat Pylaeme-

r) Il. B. v. 851.

Digitized by Google

nis animosum cor. Sed memorantur etiam reges Pylaemenes aetate Alexandri M., et exeuntis reip. Romanae, quos vide apud Reineccium, cui quidem verisimile visum, Paphlagonum reges omnes dictos fuisse Pylaemenes addito nonnunquam alio nomine, quod idem in Ptolemaeis Aegypti regibus factum. Sane non alia de causa ea regio videtur dicta *Pylaemenia* [s]). Enimvero Nicomedes Bithyniae rex, ut haberet speciosum aliquem titulum, quo filium in Paphlagoniae regnum intruderet, eum, inquit Iustinus [t]), *Pylaemenem Paphlagonum regum nomine appellat, et quasi stirpi regiae reddidisset regnum, falso nomine tenet.* Idem hic Justini Pylaemenes a Mithridate VI. dire exagitatus, et regno pulsus, restitutus deinde a Pompejo, moriens regnum Romanis legavit. Sed altior adhuc Pylaemenes ab Eutropio proditur qui Romanis adversus Aristonicum auxilia misit. Horum posteriorum alicui sequentes numi vindicandi.

N u m i.

Caput bovis adversum. Ϡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΛΑΙΜΕΝΟΥ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ. *Caduceus.* AE. III. (Spon. Recherch. p. 307.)

Caput regis imberbe nudum prominente retro clava. Ϡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΛΑΙΜΕΝΟΥ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Haym. Tom. II. p. m. 57.)

Conjecturas de typis, et nomine ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ vide apud Sponium et qui integram de numo ex propositis primo dissertationem scripsit, Seb. Faeschium, quae exstat etiam in Graecis Gronovii Tomo IX. Pylaemenen Amyntae Galatiae regis F. habemus ex marmore Graeco Ancyrano, sed ad quem numi hi pertinere non possunt, cum hunc constet, regnum nunquam adivisse, ut dicetur in ejusdem Amyntae numis.

AE. RR.

---

s) Plin. L. VI. §. 2. t) L. XXXVII. c. 4.

Digitized by Google

BITHYNIA.

PROLEGOMENA.

Bithyniae historia numismatica propter ejus numorum, ac potissimum epochae cognitionem accuratius tractanda. Eam principio reges tenuere, de quibus agetur in regum numis. Horum postremus Nicomedes IV. diem obivit V. C. 679., vel 680, aut secundum Appianum 678. [a]), qui populum Romanum regni haeredem ex testamento reliquit. Coepit tum Bithynia a viro vel consulari, vel praetorio gubernari.

Primus magistratus Romanus, quem Bithyniae numi produnt, est *C. Papirius Carbo*. Sunt hi autonomi, et praeter urbis nomen inscribunt: ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. Typus potior: *Roma galeata sedens d. Victoriolam, s. hastam, inferne scriptum:* ΡΩΜΗ. Cum hoc magistratu sunt numi urbium *Bithynii*, *Nicaeae*, *Nicomediae*, *Prusae*, et extra Bithyniam *Amisi* Ponti, et *Mastiae* Paphlagoniae, de quibus suo loco agitur. Horum nonnullis epocha inscribitur, quae fuit Bithynica, et quidem numis Nicaeae: ΒΚΣ. ΔΚΣ., Nicomediae et Prusae ΔΚΣ. Amisus et Mastia ea abstinent, quoniam extra Bithyniam sitae, atque adeo ejus epocha ad has non pertinuit. Hunc C. Papirium Carbonem praefuisse Bithyniae, prodidit Dio ad annum V. C. 687. Hic cum prolixe narraret, magnam fuisse ea aetate (κατα τον χρονον ἐκεινον) Romanis inditam curam, ne quis largitionibus pervium se praeberet, ejus adfert exemplum luculentum: M. Cottam e provincia Bithynia reducem a C. Carbone repetundarum fuisse accusatum, quod adeo placuit Romanis, ut hunc, etsi tribunicio tantum munere functum, consularibus honoribus exornaret. At vero hunc ipsum Carbonem *serius* (ὑστερον) eidem Bithyniae regendae admotum, cum nihilo moderatius sese gereret, vicissim a Cottae filio fuisse in jus vocatum, et reum peractum. His Dionis verbis docemur quidem, C. Carbonem fuisse in Bithynia, verum cum verbis vagis utatur: *ea aetate*, *serius*, quae plures annos possunt complecti, de anno definite non constat. Novimus, M. Cottam fuisse consulem V. C. 680., et anno sequente rexisse Bithyniam. (Pigh. Sigon.) Ex annis ΒΚΣ. et ΔΚΣ. apparet, Carboni saltem in biennium prorogatam provinciam.

Alter est *C. Vibius Pansa* in numis *Apameae Myrleae*, et *Nicomediae*: ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΟΥΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. Inscribuntur anni ΕΛΣ. ΖΛΣ. In uno Nicomediae Morellius legit ΒΛΣ., at recte con-

[a]) Bell. civ. L. I. c. 111.

Digitized by Google

tendit Liebeus, male lectum B pro E [b]), quod confirmatur Pelleriniano ZΛΣ. Nam verisimile non est, Pansam fuisse in eadem provincia praetorem ab anno Bithynico 232. usque 237. Pansa hic idem est, qui consul V. C. 711. una cum collega Hirtio in praelio ad Mutinam periit. Fuisse eum Bithyniae praefectum, alia monumenta non prodidere. Est apud Morellium numus NIKOMHΔEΩN. *Caput I. Caesaris nudum.* Ϡ ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΟΥΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. *Victoria gradiens.* (in Fam. Vibia.) Quoniam hic numus Iulium Caesarem cum Pansa conjungit, eo antiquarii tanquam subsidio ad figendam Bithyniae epocham usi sunt. At vero nimium vaga sunt I. Caesaris tempora, ac praeterea in vulgandis similibus numis nimium video variare eruditos, nam Vaillantius in suo pro NIKOMHΔEΩN legit ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, (Num. Graec. p. 1.) Gallandus NIKAIEΩN. (Wolterek Electa p. 80.)

* * *

Epocha igitur Bithynica ope paucorum horum numorum, adhibitis etiam in consilium numis regum, definienda, expensis simul variis eruditorum judiciis.

Harduinus eam fixit ad annum V. C. 442., qui fuit item exordium aerae Seleucidarum [c]). Solus Papirii Carbonis numus cum anno BKΣ. hanc sententiam evertit. Nam hic annus Bithynicus responderet anno V. C. 663., quo regibus suis adhuc paruit Bithynia, ut argumentis aliis abstineam, quae vide apud Froelichium [d]).

Spanhemio aptior visus annus V. C. 466., quem ope Syncelli statuere nititur [e]). Eum sequitur Froelichius [f]) propter numum Nicomedis IV. cum anno ZΣ., qui citatur in museo Theupoli, quique adeo, ut videbimus, Haymiano et Morelliano calculo repugnat. Ceterum huic exordio indicia hactenus cognita non obstant, demptis numis Vibii Pansae cum capite I. Caesaris, quos paullo altius recitavimus.

Liebeo placuit annus V. C. 473. propterea, quia quivis annus hoc posterior componi non potest cum anno Bithynico EΛΣ., qui est in numo Pansae [g]). Nam si, ut placuit Morellio, exordium hujus epochae esset annus 476., dictus Pansae numus signatus fuisset anno V. C. 710., quo anno Tullium Cimbrum rexisse Bithyniam docet Pighius. Admisso igitur Liebei anno 473 Pansa vi annorum EΛΣ. ZΛΣ. fuisset praetor Bithyniae annis V. C. 707. 708., tum 709. praetor Galliae Cisalpinae. Notandus hic Havercampi lapsus, qui a Liebeo epochae exordium statui annum V. C. 476. contendit [h]), quem tamen ipsum annum Liebeus solide impugnat statuto suo 473.

Haymius adoptavit annum V. C. 474 [i]). Nam cum ex Justino colligeret, Nicomedem II. mortuum circa annum V. C. 660. et postremum annum in hujus numis reperiret 187., coepit ab anno V. C. 660.

---

b) Goth. num. p. 238. c) Chronic. vet. test. d) Animadv. in num. vet. urb. p. 72. edit. Florent. e) Tom. I. p. 515. f) l. c. et Not. elem. p. 196. g) Goth. num. p. 238. h) Fam. Morell. p. 448. i) Tom. II. p. m. 56.

Digitized by Google

annis 187. retrorsum progredi, atque ita ad annum 474. adhaesit, quem adeo in epochae exordium selegit. Verum reperit Pellerinius numum Nicomedis II. cum anno 188. Quare aut epochae exordium uno anno est anticipandum, et tum congruet cum Liebeano, aut mors Nicomedis II. serius figenda.

Morellius annum V. C. 476. maluit, quem secutus est Perizonius, ut testatur Havercampus k). Sed annum hunc valere non posse, patebit ex iis, quae infra docebimus.

Quae in hac causa fuerit sententia Vaillantii, non satis intelligo. In suis Familiarum numis l) praeoptavit eundem cum Morellio annum, nempe V. C. 476., saltem ut ex calculo apparet, nam typographi lapsu statuitur ibi annus 466. Alibi maluit annum V. C. 473 m).

Postremus Belleyus olim annum V. C. 473. adoptavit, saltem ut ex ejus calculo colligitur. (B. L. T. XXX. p. 332. in nota). Adhaesit ergo sententiae Liebei. Serius in dissertatione singulari, qua Bithynicam hanc aeram in examen vocavit, maluit annum V. C. 472. (B. L. T. XLII. Hist. p. 44.) Argumenta, quibus causam suam probat, haec sunt. Mortuus est Nicomedes IV. anno V. C. 680. circa autumnum. Exstat in museo regio numus ejus regis cum anno ΘΣ., 209. Hic additus ad 472 coepit in autumno V. C. 680. Ergo aera Bithynica serius anno 472 collocari nequit, ne numus cum anno 209 a nobis statuatur post regis mortem signatus. Non potuisse aeram incipere priore aliquo anno, probat anno ΕΛΣ, 435, quem supra numis C. Vibii Pansae inscriptum vidimus. Atqui constat, inquit, Pansam fuisse praetorem Bithyniae inde a dimidio anni V. C. 707 usque ad dimidium anni 708, quo exacto tempore abivit recturus Galliam Cisalpinam. Ergo si annum 235 addamus ad 472, necesse erit hunc Pansae numum V. C. 707. casum profiteri, neque posse valere annum praecedentem, quia tum Pansa in Bithynia nondum fuit. Ex quo arguit denique, caput epochae sine dubio illigandum esse anno V. C. 472, illumque esse eum ipsum, quo Nicomedes I. regnum auspicatus est, dignam aerae constituendae causam.

At vero totum hoc Belleyi ratiocinium evertit numus Nicomedis IV., nuper in lucem protractus a Sestinio, (Lettere T. III. p. 146.) cui inscriptus est annus ΑΙΣ. 211, binis adeo annis auctior suo ΘΣ, 209. Quare hoc numo imperante epochae exordium saltem toto biennio anticipandum erit. Accedit, a viro praeclaro nonnulla tanquam certa adferri, quae tamen ut probaret, non laboravit, v. c. mortuum esse Nicomedem IV. anno V. C. 680, aliis id factum V. C. 678. vel 679 adserentibus. Item Nicomedem I. regnum adivisse V. C. 472. Sed et praeterea alia nascitur difficultas definiendi tempus, quo praeturam in Bithynia obiverit Vibius Pansa, quod jam, ut patet, ex incerto adhuc aerae Bithynicae principio definiri nequit.

Ex hoc ergo Nicomedis IV. numo

k) In Fam. Morell. p. 313. l) In Fam. Papiria p. 208. m) Reg. Bithyn. p. 363.

Digitized by Google

cum anno 211 docemur, epochae hujus initium non posse posterius anno V. C. 469, vel 470 constitui, ac vel ideo suapte corruere sententias Liebei, Haymii, Morellii, et Belleyi, quo vitio hactenus sola Spanhemii conjectura caret, quemadmodum exposuimus. Neque tamen vel haec hucusque secura est, et exspectanda subsidia alia, quae tot incerta, quibus Bithyniae historia laborat, e medio tollat.

Quod ad regimen politicum Romanorum in hoc tractu attinet, docent laudati Papirii numi, cujus nomen etiam numis Mastiae Paphlagoniae, et Amisi Ponti inscriptum est, Pontum et Paphlagoniae partem jam exeunte saeculo VII. urbis conditae Bithyniae praetori fuisse attributam, fugato nempe a Pompejo Mithridate, et Pharnace filio intra Bosporum concluso. Nam circa hoc tempus, ut inscripti epochae anni comprobant, Papirius Bithyniam rexit. Altera Paphlagoniae pars tum huc non pertinuit, quae proprios habuit reges. His exstinctis Augustus eorum ditionem cum Amasia conjunxit, ac tum vocabatur ἐπαρχια Ποντικη, ut docet Strabo. Factum istud haud dubie anno V. C. 747., nam ab hoc anno Amasia Ponti, Germanicopolis, et Neoclaudiopolis Paphlagoniae aeram suam testibus numis inchoarunt. Idem Augustus partem Ponti Polemoni I. cessit, qui ab hoc dictus est *Polemoniacus*. At Polemo II. totum eum tractum Neroni restituit, qui eum cum reliquo Ponto conjunxit V. C. 815. vel 816., ex quo memorabili eventu Ponti urbes Neocaesarea, Trapezus, et Zela epocham inchoarunt ducto principio ab anno V. C. 816. Exinde Pontum subjectum fuisse Bithyniae proconsulibus, numi affatim comprobant signati Nicomediae, in quibus ea urbs dicitur ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΙΘΥΝΙΑΣ. ΚΑΙ. ΠΟΝΤΟΥ., atque istud circum tempora Domitiani et Trajani. Non multo post mutatus provinciae status. Nam cum ex prima Augusti divisione V. C. 727. esset provincia senatus, quam ob causam etiam legimus numis inscriptos proconsules, de quibus mox, Augustis subinde fuit attributa, ac tum vice proconsulum missi in hanc provinciam legati Augusti pro praetore marmoribus passim id docentibus. Factum istud sub Trajano, vel adhuc antea, putat Norisius [n]), quia in marmore Gruteri [o]) C. Plinius legatus pro praetore consulari potestate huc a Trajano missus dicitur. Verum negat istud Spanhemius [p]), cum propter alias causas, tum etiam quia teste Dione [q]) Bithynia ab Hadriano demum Caesaris provincia facta est. Ad marmor vero Gruteri quod attinet, ait, Plinium non ordinaria, sed extraordinaria potestate in Bithyniam ad inspiciendum civitatum statum missum. De varia hac Bithyniae et Ponti conditione lege copiose disserentem Belleyum [r]).

PROCONSVLES Bithyniae primo Romae imperantis saeculo saepissime inscrip-

---

n) Cenot. Pis. diss. II. c. 11. o) Pag. 291. p) Tom. II. p. 593. seq. q) L. LXIX. §. 14. r) B. L. T. XXX. p. 331.

Digitized by Google

ti fuere numis urbium hujus provinciae. Factum istud, quamvis rarius, in aliis quoque provinciis, at quod uni Bithyniae proprium est, proconsulis nomini addidere nomen ΠΑΤΡΩΝΟΣ, *patroni*, nempe, qui proconsules fuere, eosdem et patronos suos agnovere Bithyni. Ipsum istud confirmant eximia epigrammata, quae conservavit Muratorius [s]), secundum quae variae Bithyniae urbes proconsuli suo, addito ΠΑΤΡΩΝΙ. ΚΑΙ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΙ. grati animi monumenta dedicavere. Istud vocabulum ΠΑΤΡΩΝ a principibus antiquariis aliorsum fuit acceptum, et in eo latere nomen urbis Patrarum Achaiae passim creditum, quo factum, ut proconsules omnes, qui illud adjectum habent, Achaiae proconsules ex numis, quamvis et his repugnantibus, ad hanc usque aetatem haberentur. Haec clientelae professio non simplex tantummodo fuit, sed, ut continuo videbimus, iterata etiam fuit, v. g. Β. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. eo modo, quo archontes, praetores etc. suam iterasse dignitatem passim in numis conspicimus. Abstineo pluribus, quia hoc argumentum fuse alibi tractavi [t]). Tamen hoc loco in historiae subsidium omnia proconsulum nomina, ut ea sub singulis imperatoribus in numis produntur, restituta, ubi necesse est, vera lectione, recitabo.

ΕΠΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΘΩΡΙΟΥ. ΦΛΑΚΚΟΥ. ΕΙΡΗΝΗ. *Pax stans d. caduceum.* Ɛ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Caput Augusti.* (Pellerin Mel. II.)

ΕΠΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΘΟΡΙΟΥ. *Aper* Ɛ - - - ΝΟΙΑ. ΝΙΚΟΜΗ. *Caput juvenile diadematum turgentibus e fronte binis cornubus.* (Morelli in Fam. Thoria).

Dubium non est, autonomum hunc ab eodem Thorio procos. signatum. Havercampus, cui praecedens Pellerinianus ignotus fuit, eum L. Thorio Balbo tribuit, et quoniam in hujus denariis caput Junonis Sispitae comparet, etiam in praesente hujus deae caput proponi credidit. Verum cum dicto capiti adscriptum sit ΟΜΟΝΟΙΑ, ex analogia ab aliis numis ducta est caput *Concordiae*, ut in praecedente ΕΙΡΗΝΗ *Pax* proponitur. Eadem manus medica admovenda Vaillantii de hoc numo judicio [u]). Fuisse genti Thoriae cognomen *Flacci*, ab hoc primum numo docemur.

ΕΠΙ. ΠΟΠΛΙΟΥ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Μ. ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. in numo Germanici. (Mus. Caes. Vaill. Morelli in Fam. Vitell.)

Fuit hic P. Vitellius patruus Vitellii Aug., cujus opera Germanicus in bello Germanico multum usus est, ejusdem etiam comes, cum in Orientem proficisceretur, effecitque eloquentia, ut Cn. Piso Germanici parricida condemnaretur. Ipse V. C. 784., tanquam qui cum Sejano collusisset, peremptus est [x]). Docet ergo hic numus, eundem hunc Vitellium rexisse Bithyniam, quo id anno, non constat. Verisimile est, quod censet Vaillantius [y]), eum a bello Germanorum cum Germanico reducem destinatum in

s) Thes. inscr. p. 1073. seq. t) Num. vet. p. 185. u) In Fam. Thoria. x) Sueton. Tacit. y) In Fam. Vitell.

Digitized by Google

Bithyniam V. C. 770., cumque eodem hoc anno Germanicus de victis Germanis triumpharet, P. Vitellius pro suo in Caesarem adfectu numos in Bithynia cum ejus capite feriundos curasse, anno mox sequente sese Germanico in orientem profecto junxisse comitem.

Γ. ΚΟΗΛΙΟΣ. ΒΑΛΒΟC. ΑΝΘΤΠΑΤΟΣ. in area monogramma, incertum, an Nicaeam, an Nicomediam notet, in numo Claudii. (Morelli. in Fam. Coel.) Sed Vaillantius legit: ΚΟΙΛΙΟΣ. (Num. Graec. p. 13.)

Quis fuerit hic C. Coelius Balbus, incompertum.

Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ. ΒΑΛΒΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΣ. *Porticus, cujus epistylio inscriptum*: ΝΙΚΑΙΕΩΝ., *in numo Claudii.* (Morelli in Fam. Mind. Vaillant. Num. Graec.) In aliis Claudii et Britannici apud utrumque: ΜΗΤΡΟ. ΝΕΙΚΟ.

Vaillantius, qui numos tres cum hujus proconsulis nomine produxit, ei praenomen A. nempe *Auli* tribuit, fors typographi lapsu. Ignotus in historia est hic L. Mindius Balbus. Similem Spanhemius post alios perperam tribuit Corintho [z]).

Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΣ. ΠΑΤΡΩΝ. *Mulier gradiens et respiciens d. extenta*, in numo Claudii. (Morelli, et in meis Num. vet. p. 185.)

Hactenus hic numus ab omnibus tributus fuit Patris Achaiae, ut ibidem docui. Incertum tamen, in qua Bithyniae urbe sit signatus, et an ad proconsulem L. Mindium Pollionem, de quo mox, pertineat. Conjecturam de typo eodem loco proposui.

ΕΠΙ. Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡ. *Caput Palladis*, in Numo Claudii. (Morelli in Mindia, Haym. T. II. p. 230.)

Vaillantius sub eodem imperatore binos dedit, sed inscriptos: ΕΠ. Λ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΒΩΛΑΝΟΥ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡ. Dubium non videtur, pro ΒΩΛΑΝΟΥ legendum ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ., quod postremum legunt accuratissimi Haymius, et Morellius. Ignotus hic etiam L. Mindius Pollio. Hi quoque numi passim tributi Patris Achaiae.

ΕΠΙ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΝΕΙΚΟ. in numo Claudii. (Vaill.)

ΕΠΙ. ΦΡ. ΠΑΣΙΔΙΗΝΟΥ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΥ. Β. ΠΑΤΡΩΝΟΣ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡ., *sequitur* ΜΗΝΙΚΟ. *in monogrammate, id est:* ΜΗτροπολις ΝΙΚΟμηδεια, in numo Claudii. (Pellerin Mel. II. p. 26.)

- - - - ΠΑΣΙΔΙΗΝΟΣ. ΦΙΡΜΟΣ. ΠΑΤ - - - in medio ΑΝΘΤΠΑΤΟΣ. *et monogramma, quod lego:* ΕΝ. ΝΙΚαια, *vel* ΝΙΚΟμηδεια, in numo Claudii. (Mus. Caes).

ΚΛΑΤΔΙΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΥ. ΠΑΤΡ. *sine urbis mentione*, in numo Claudii (Vaill.) In ejusdem Augusti numo apud Arigonium legitur, quanquam mendose, ΚΛΑΤΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΤ. ΠΑΤΡΟΣ.

---

z) T. I. p. 592.

Digitized by Google

Γ. ΚΑΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Porticus, ut in numis Mindii Balbi*, in insignibus duobus numis, in quorum uno caput Claudii, prae quo duae spicae, in altero caput Messalinae cum totidem spicis, et epigraphe: ΜΕΣΣΑΛΕΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. ΝΕΑ. ΗΡΑ. (Pellerin. Rec. III. p. 227.)

Hunc Cadium Rufum fuisse proconsulem Bithyniae, docet Tacitus [a]): *Damnatus et lege repetundarum Cadius Rufus accusantibus Bithynis*, quod factum refert ad annum V. C. 802. Eundem in senatorium honoren post longum XX. annorum intervallum restitutum ab Othone, idem Tacitus narrat [b]). Numi Messalinae simillimi proponuntur a Vaillantio [c]), et Morellio [d]), nisi quod ab utroque pro Γ. ΚΑΔΙΟΣ. legitur ΓΕΛΛΙΟΣ, quae lectio ex utroque integerrimo Pelleriniano corrigenda est, ut Pellerinius ipse binis locis monet [e]).

Μ. ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ. ΠΡΕΙΣΚΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ. ΝΕΙΚ. *Ara, cui inscriptum:* ΠΑΤΡΩΝΟΣ. in numo Neronis. (Mus. Caes.)

Numi huic similes a variis sunt vulgati, sed cum haud dubie vitiati fuerint omnes, eorum fallax lectio ingentia in rem numismaticam monstra invexit, quae prolixe olim recensui, et perstrinxi [f]). Praetensus igitur *Tarquitius Pretanicus* Harduini [g]), et mirabilis formula: ΕΞουσίαν ΑΝΘΥΠΑΤΟμικην ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ. ut est apud Vaillantium, et Morellium [h]), deinceps exulabunt, docente istud integerrimo hoc musei Caesarei numo. Hujus Tarquitii meminit Tacitus [i]): *Damnatus iisdem consulibus Tarquitius Priscus repetundarum Bithynis interrogantibus.* Id factum V. C. 814., justa poena, ut qui VIII. ante annis Statilium Taurum Africae proconsulem instigante Agrippina postulavit atque evertit [k]). Ambiguum hactenus, sintne hi numi percussi Nicaeae, an Nicomediae.

ΕΠΙ. ΑΤΤΙΟΥ. ΛΑΚΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ. *Capricornus, cornucopiae, thyrsus super ara, cui inscriptum:* ΝΕΡΩΝΟΣ. in numo Neronis. (Morelli in Fam. Attia, Hist. B. L. Tom. III. p. 197.)

Idem hic numus laudatur a Vaillantio, sed sine mentione τυ ΝΕΡΩΝΟΣ. Ex analogia numorum Tarquitii plane persuasum mihi est, etiam in hoc pro praetenso ΝΕΡΩΝΟΣ. legendum ΠΑΤΡΩΝΟΣ. Hujus Attii Laconis nullam usquam reperio mentionem.

ΕΠΙ. Μ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numis Vespasiani.

M. Plancius Varus proconsul in plurium Bithyniae urbium numis legitur, qui omnes Vespasiani caput offerunt, suntque collecti apud Morellium in familia Plancia. Id praeterea habent peculiare, quod in plerisque urbis nomen juxta Vespasiani caput ponatur. Sunt vero ΚΛΑΤΔΙ., in aversa: *Caput mulierebre.* (Morelli l. c.) ΚΛΑΤΔΙΟ. *Aquila*

---

a) Ann. XII. 22. b) Hist. I. 77. c) Num. Graec. d) In Gellia. e) Rec. III. p. 277. et Mel. II. p. 27. f) Num vet. p. 187. g) Num. urb. p. 124. h) in Fam. Tarquit. i) Ann. L. XIV. 46. k) Tacit. Ann. XII. 59.

Digitized by Google

stans. (Ibid.) Pertinent hi *Claudiopolin*, quae et *Bithynium* dicta fuit. NEKA. (sic) NEIKAEI, *typis variis.* (Morelli, Pellerin.) ΠΡΟΤΣΙΕΙΣ. *Ara.* (Haym. T. H. p. m. 248). Videtur pertinere Prusiadem ad mare. HPAKΛEΩTAN. *Caput Herculis.* (Sestini Lettere T. IV. p. 104.) Hic Plancius Varus legitur etiam in numo Apameae Phrygiae cum capite Vespasiani.

Vaillantius hujus M. Plancii Vari numos adhuc sub Tito et Domitiano recitat, et Morellius dedit numum, cujus antica dissimulatur, inscriptum: M. ΠΛΑΝΚΙΟΤ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Β. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΩΛΕΩΣ. ΜΗ. ΝΙΚΟΜ. (in Fam. Planc. num. 9.) sed cum videatur verisimile, in antica et Titum et Domitianum Caesaris nomine proponi reipsa ad Vespasiani imperium pertinent.

ΕΠΙ. Μ. ΜΑΙΚΙΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. ΒΙΘΥΝΙΑ. *Genius Bithyniae stans cum gubernaculo*, in numo Vespasiani, (Morelli in Fam. Maecia, Catal. d'Ennery.) et Titi: (in eod. Catal.)

Idem Maecius Rufus memoratur in numo Domitiani, sed adhuc Caesaris, (Morelli, Catal. d'Ennery.) qui adeo sub Vespasiano item signatus est, typo *clypei cum hasta.* Eundem citat etiam Vaillantius, sed perperam legit ΜΑΡΙΟΥ. pro ΜΑΙΚΙΟΥ. (Num. Graec. p. 25.) Ex his numis corrigendae Suetonii editiones, in quibus scribitur *Metius Rufus* Africae praefectus [l]), quod late probat Perizonius apud Havercampum [m]). In Catalogo d'Ennery p. 528. laudatur numus Hadriani cum eodem M. Maecio Rufo procos., sed cui praeconio vereor, ut sit habenda fides.

ΕΠΙ.Μ.ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΥ.ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤ. ΝΕΙΚ. in numo Titi. (Vaill. et Morelli in Fam. Sulpic.)

* * *

Imperante Vespasiano aliquid videtur in Bithynia immutatum, et aliquamdiu saltem ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ, *procurator*, reip. praefuisse, docente istud numo, quem mox dabimus.

* * *

Numi cum BITHYNIAE mentione.

Imperatorios tantum hujus classis habemus. Horum alii offerunt ΚΟΙΝΟΝ, seu *Commune* totius provinciae, omnes imperante Hadriano signati, alii ad politicum regimen pertinent. En tibi utrumque genus:

IMP. CAES. TRA. HADRIANO. AVG. P. P. *Caput Hadriani laur.* Ɪ COM. BIT. *Templum 8 col., cujus epistylio inscriptum* ROMSPAVG. AR. m. m. (Vaill. Mus. Caes.)

ATT. KAIC. TPA. AΔPIA. CЄB. *Caput laur. vel nudum.* Ɪ KOINON. BЄIΘYNIAC. *Templum 8 col.* AE. m. m. (Mus. Caes. et alibi.)

Vide similes alios, sed cum capite *Antinoi* in hujus numis.

CABЄINA.CЄBACTH. *Caput Sabinae*

---

l) In Domitiano. m) Ad Morellii fam. Maeciam.

Digitized by Google

spicis coronatum. ℞ *Eadem aversa.* AE. m. m. (Mus. Farn. et Pisan.) In alio: *Caput Sabinae solito cultu.* AE. II. (Mus. Caes.)

Alius, sed: *Templum 2 col., intra quod tria simulacra muliebria stantia.* AE. m. m. (Tristan. T. I. p. 414.)

Sub unius Hadriani imperio signati sunt numi *Communis* conventus totius provinciae. Testes ergo haud dubie sunt singularis cujuspiam beneficii, quod Bithyni ab hoc Caesare abstulere. Constat, Hadrianum favisse Bithynis causa quoque Antinoi sui in hac provincia nati. Docet praeterea Dio [n]), eum tradita senatui Pamphylia sibi Bithyniam servasse. Cujus honori erectum videatur templum in his numis conspicuum, difficile est divinare. Buonarrotus [o]), et Mazzolenus [p]) existimant, esse templum ipsius Hadriani honori consecratum. Verum hanc sententiam saltem quadam sui parte fallere, arguit numus I., qui docet, ROMam etiam in honoris societatem adscitam. Vaillantius in suo ad numum I. commentario docet, templum hoc esse *Romae et Augusto* dedicatum [q]). Revera indulgente Octaviano etiam Nicomediae erectum fuisse templum Romae, et sibi, tradit Dio [r]). Darem istud, si numi epigraphe esset ROMETAVG., qualis est in numis obviis argenteis Pergami, et aeneis Lugduni, ut creditur, signatis. Verum pro litteris ET est luculentum SP non modo in numo Vaillantii, sed etiam in integerrimo musei Casarei, quam is difficultatem plene intactam relinquit, perinde quasi utrumque promiscue posset usurpari. Sed enim ut has sententias evertere facile fuit, ita verisimilem literis SP dare significationem, arduum. Si tres figurae muliebres numi postremi essent integrae, aliquid forte posset erui. Tristanus in iis tres mulieres videt, Palladem, Sabinam, et forte Pudicitiam. Abstineo a conjecturis.

* * *

Numum *M. Maecii Rufi procos.* cum capite Vespasiani et addito BIΘΥNIA vide supra in numis proconsulum.

ΕΠΙ. Λ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΝΑΣΩΝΟΣ. ΕΠΙΤΡΟΠΟΥ. ΒΙΘΥΝΙΑ. *Mulier s. gubernaculum tenens*, in numo Vespasiani. (Haym. T. II. p. 247.)

Επιτροπος, *procuratoris*, in nullo alio certo numo vetere fit mentio, de cujus muncre agemus alibi. Typus non Fortunam, ut Haymio placuit, sed genium, vel symbolum Bithyniae indicat; nam similis mulier etiam comparet in numis Hadriani inscriptis ADVENTVI BITHYNIAE. Ex hoc numo videtur corrigenda mira epigraphe, quam ex numo Domitiani sic proponit Vaillantius [s]). ΕΠΙ. ΠΡΟ. ΕΜΙΛΙΟΥ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΝΑΖΩΝΟΣ. Istud tanto magis certum, quia typum dicit esse *clypeum cum spiculo*, seu hasta, qui typus etiam est in numo Maecii Rufi proconsulis Bithyniae, ut vidimus supra. Eundem numum aliter

n) L. LXIX. §. 14. o) Osserv. p. 22. p) Mus. Pis. p. 30. q) Num. praest. T. II. p. 138. r) L. LI. §. 20. s) Num. Graec. p. 25.

Digitized by Google

legit Harduinus, ac non minus inique, et Rhodum transfert t).

ЄΠΙ. ANT. NICΩNOC. ΠP. CЄB. ANTI. B. KI. (sic.) ΠONTOT. *Diana venatrix*, in numo Faustinae sen. (Haym. T. II. p. m. 284.)

Nimis mihi suspecta lectio. *Nisa* nec Graecum nomen est, nec Romanum saltem cognitum facile. Deinde B solitarium, quo notaretur Βιθυνία, et KI. pro KAI. monetarii scilicet errore, quae quidem minus mihi probantur, etsi ceterum constet, Bithyniam et Pontum sub uno rectore stetisse, de quo egimus paullo altius. Ea epigraphes male lectae suspicio tanto ingravescit magis, quod numos habemus Antonini Pii: ЄΠΙ. ANT. ZHNΩNOC. ΠP. CЄB. ANT. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛЄΙΤ. (Mus. Caes. Pellerin Mel. II. p. 357.) Si conferamus geminam inscriptionem, facile deprehendemus, esse unam eandemque, Haymianum vero numum minus fuisse integrum. Statuendo igitur, praesentem Faustinae sen. numum, qui alioquin imperante item Antonino signatus est, Philippopolin Thraciae pertinere, omnis tollitur ambiguitas.

ALYATTA.

Oppidum Bithyniae parum cognitum.

Autonomi.

Caput galeatum. Ꝟ ΑΛΤ. vel ΑΛΤΑΤΤΗΝΩΝ. *Lyra.* AE. III.

Numum hunc Panelius olim ex museo le Bret edidit, sed solo ΑΛΤ. notatum, eumque Alyattis Bithyniae tribuit u). Aliquot post annis ipsum hunc numum restituit, sed in eo legit plenius: ΑΛΤΑΤΤΗΝΩΝ x). Posterior haec lectio si vera, dubitari non poterit de numo hoc his Bithyniae Alyattis tribuendo. Quod si lectio ΑΛΤ. valet, mallem eum Alyziae Acarnaniae propter lyrae typum tribuere, quia is tractus Apollini peculiari modo sacer fuit, ut in hac diximus.

APAMEA.

Ad Propontidem post Rhyndacum fl.

Autonomi.

ΑΠΑΜΕΩΝ. *Caput Apollinis laur.* Ꝟ ΤΩΝ. ΜΤΡΛΕΑΝΩΝ. *Lyra, infra annus.* ΖΛΣ. AE. II. (Pellerin.)

ΑΠΑΜΕΩΝ. ΜΤΡΛΕΑΝ - - *Caput juvenile laur.* Ꝟ ЄΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΟΤΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. *Lyra, infra annus* ЄΛΣ. AE. III. (Liebe p. 238.)

Fuit haec urbs teste Strabone aliisque dicta antea *Myrlea* a Myrlo Colophoniorum duce, ut refert Stephanus, sed eversa fuit a Philippo V. Macedoniae rege, et data Prusiae Bithyniae regi, qui eam instauratam ab uxoris nomine *Apameam* vocavit, quod praesentes numi praeclare confirmant. Eustathius eam sic dictam contendit ab uxore Nicomedis Epiphanis y).

AE. RRRR.

Coloniae Apameae numi exstant a Nerone usque ad Valerianum, et Gallie-

t) Num. urb. in *Rhodus.* u) Num. Cistoph. p. 39. x) Mem. Trev. 1737. Octob.
y) Ad Dionys. v. 918.

Digitized by Google

num, quorum omniam catalogum vulgavit cl. Sestinius [a]), quos inter praestantissimus is, si modo genuinus, quem ex museo privato citat, inscriptus IMP. DID. CAESAR. IVLIANVS. AVG. M. SCANTILLA. AVG.

Epigraphe: C. I. C. A. Vaillantius numos sic inscriptos tribuit *Carthagini Antiquae*, Harduinus jam Caesaraugustae Hispaniae, jam Corintho. Ast Belleyus conferendo epigraphes alias pleniore scriptura: C. I. C. A. — C. I. C. A. APA. ——ac demum: COL. IVL. CONC. AVG. APAM., egregie evicit, omnes hos numos Apameae tribuendos, et quidem huic Bithynae, nam nullam urbem aliam Apameae nomine praeditam constat fuisse coloniam [a]). Quo anno deducta fuerit, non constat. Strabo eam coloniam jam vocat. Propter epitheta *Juliae Augustae* videtur conditorem habuisse Augustum.

Typi illustriores: *Genius addito:* GENIO. P. R. In alio: DIANAE. LVCIF. *Dea gradiens singulis manibus singulas faces praefert.* Diana Sophocli dicitur Αμφιπυρος [b]), nempe ut explicat vetus grammaticus: *quia utraque manu facem gestat, eadem cum Hecate.*

D. D. id est. *Decreto Decurionum* fere omnibus additur.

AE. R.

BITHYNIVM, quod et CLAVDIOPOLIS.

Mediterranea in Maryandinis. Ptolemaeus: Κλαυδιοπολις ἡ και Βιθυνιον. Et Dio [c]): ὁ γαρ Αντινοος ἠν μεν ἐκ Βιθυνιας πολεως Βιθυνιδος, ἡν και Κλαυδιοπολιν καλουσιν. *Erat enim Antinous ortus Bithynia urbe Bithyniae, quam et Claudiopolin vocamus.*

Vtroque nomine hujus urbis habemus numos.

Autonomi.

Exstant tantum nomine Bithynii, nimirum signati antea, quam ea urbs a Claudio nomen sibi sumeret.

ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ. *Caput Bacchi.* Ϟ ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. ΡΩΜΗ. *Roma sedens.* AE. II. (Vaill. Morell. in Fam. Papiria.)

Vrbis hujus gentile est Βιθυνιευς, sicut provinciae Βιθυνος. De Papirio Carbone magistratu Romano egimus in prolegomenis ad numos Bithyniae.

AE. RRR.

Imperatorii.

Exstant et Claudiopolis et Bithynii nomine. Praemitto numos cum priore epigraphe, quia haec tantum in priorum imperatorum moneta valuit.

Nomine Claudiopolis.

Cogniti a Vespasiano usque ad Antoninum saltem in numis certis.

Epigraphe: ΚΛΑΤΔΙΟΠΟΛΙC. ΚΛΑΤΔΙΟΠΟΛΕΩC. ΚΛΑΤΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Fuere Claudiopoles plures, una Bithyniae, altera Isauriae, tertia Galatiae, quarta Cappadociae, aut Armeniae minoris, quinta secundum nonnullos anti-

---

a) Lettere P. III. p. 11. a) B. L. Mem. T. XXV. p. 105. b) Trachin. v. 218.
c) L. LXIX. §. 11.

Digitized by Google

quarios Lycaoniae. Ad quam ex his quinque pertineant numi sic inscripti, disquirendum. Quam quintam dixi, nunquam exstitit, nisi per conjecturam nonnullorum antiquariorum, ut in Lycaonia probabimus. Quarta videtur ultra fines orbis numismatici posita. Tertia Galatiae si unquam fuit, ignobilis fuit, et uni Ptolemaeo nota, et forte ab hoc cum altera Bithyniae confusa, ut putat Cellarius. Restant igitur duae aliae a me primo loco positae. Non ignoscenda in hujus urbis numis recensendis Vaillantii oscitantia, cum illos, quos in suo Graecorum numorum opere pag. 23. 34. 42. esse Claudiopolis Bithyniae adserit, eosdem pag. 198. alteri Isauricae largitur, ut adeo satis appareat, sententiam ab eo prolatam temere et inconsulto. Eodem modo Harduinus nulla certa ratione alios in Bithyniam, in Lycaoniam alios vocat. Patinus Domitiani numum, quem solum citat, in Isauriam transfert. Non expenderunt illi, quibus Isauria placuit, disertum Ammiani locum agentis de Claudiopoli Isauriae [d]): *quam deduxit coloniam Claudius Caesar*. Ergo in numis his, qui omnes sunt Claudio posteriores, omissa non esset coloniae mentio, si ad hanc Isauriae Claudiopolin pertinerent. Quare tuto omnes Claudiopoli Bithyniae, quae una adhuc restat, tribui possunt, ut sane numi Vespasiani inscripti ΚΛΑΤΔΙΟ., et cum nomine M. Plancii Vari procos., de quibus egimus supra in prolegomenis Bithyniae, Claudiopoli nostrae eripi nequeunt.

Numi hactenus noti cum epigraphe Claudiopolis offerunt capita Vespasiani, Domitiani, Hadriani, et Antonini. Harduinus numos Gordiani et Tranquillinae cum epigraphe ΚΛΑΤΔΙΟΠΟΛΙΤΩΝ vulgavit, sed praeterquam quod neque typi, neque musei mentionem addat, eo etiam claudicat fides, quod inde ab Hadriano, ut mox videbimus, urbis hujus numi saltem certi omnes nomine Bithynii vetere signati sunt.

Neocoratum etiam infeliciter adserit uterque, et quidem Harduinus ex numo Antonini: ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΝΕΩΚ. Satis esto ad infirmandam fidem, numum auctori non visum, sed corrigi tantum Occonem legentem ΜΤΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, sed ut patet, non in melius. Vaillantius numum Caracallae protulit inscriptum: ΚΛΑΤΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.ΝΕΩ. Est hic numus apud Tristanum, sed in quo legitur ΝΕΟ., non ΝΕΩ., atque hunc esse Neoclaudiopolis Paphlagoniae, in hujus urbis numis monui. Et vero si haec urbs fuisset neocora, non omisisset hujus mentionem honoris in numis posterioribus Bithynii nomine signatis. Vnde sequitur, certos hujus urbis numos cum *Claudiopolis* nomine non porrigi ultra Antoninum, atque etiam vulgatum hujus numum esse ambiguae fidei, ut mox dicetur.

* * *

Epocha in uno hactenus numo deprehensa est. Est is Domitiani cum anne ΡΜΔ. (Mus. Caes.) Fluctuat ergo initium

d) L. XIV. cap. 8.

Digitized by Google

epochae intra annos 691. et 706. Videntur Claudiopolitae usi aera Caesariana, nisi aliam privatam suam habuere.
AE. RR.

Imperatorii.

Nomine Bithyni.

Bithynii nomen vetus resuscitatum est abolito, cultem in numis, Claudiopolis vocabulo, inscripto ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ. ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ. Ejus causa videtur fuisse Hadrianus, qui hos Bithynienses propter natum apud eos Antinoum suum impensius dilexit derivato etiam adfectu in Mantinenses Arcadiae, quia ab his Bithynienses oriundi fuere, ut supra in *Arcadia* ex Pausania docuimus. Atque ut idem Hadrianus Mantinensibus, qui in Antigoni regis gratiam Antigonenses se vocavere, auctor exstitit, veteris Mantineae nominis restituendi, sic idem Bithyniensibus cognatis videtur persuasisse. Sane primi numi epigraphen Bithynii praeferentes sunt cum capite Antinoi. At quaeri potest, fueritne deinceps in moneta plane abolitum Claudiopolis nomen? Causam dubii facit nummus Antonini cum nomine Claudiopolis, et typo botri, quem vulgavit Vaillantius. At videtur hic perperam Antoninum pro Hadriano vidisse. Sane in numo simili musei regii Hardouinus Hadriani caput agnoscit. Deinde ipse olim numum Antonini ex museo Caesareo edidi inscriptum ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ., quo deinceps nomine numi hujus urbis omnes usque ad Gallienum, etsi rari, signati sunt. Desivit ergo deinceps inde ab Hadriano in numis appellatio Claudiopolis, etsi serius iterum ipsum hoc nomen praevaluerit; ut docent Notitiae, Itinerariа, et Constitutio Justiniani *).

Antinoi numi inscribuntur: Η. ΠΑΤΡΙC. ΑΝΤΙΝΟΟΝ. ΘΕΟΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ. Nimirum, ut diximus, haec urbs Antinoi patria. Vide de his nomes Antinoi. Memorabilis esset numus, quem Vaillantius ex museo Christinae citat, in quo: *Caput Commodi.* ꞯ *Caput Antinoi.* In hoc numo, quem accurate ipse Romae exploravi, aut caput Herculis juvenis, quod in aliis quoque hujus urbis numis sub Commodo percussis exstat, in caput Antinoi refictum est, aut Antinous prorsus non est, sed ipse Hercules. Opus enim valde rude est.

* * *

Hadrianam se urbs vocavit ob beneficia, quae ab Hadriano Antinoi sui gratia abstulit. Sic adhuc inscribitur in numo Gallieni.
AE. RR.

CAESAREA.

Mediterranea inter Rhyndacum fl. et Olympum montem, antea dicta *Smyralea*, aut *Smyrdiana*.

Autonomus.

ΘΕΟΝ CΥΝΚΛΗ. *Caput mulieb. turritum.* ꞯ ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. *Sagitta intra coronam.* AE. II. (Pellerin.)

*) Novell. XXIX. tit. 8.

Digitized by Google

Caput muliebre velatum turritum ☧ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Sagitta, in area monogramma.* AE. III. (Sestini Lett. T. IV. p. 102.)

Huic Caesareae suum numum tribuendum putat Pellerinius. Observandum in eodem numo una parte Є et C, altera E et Σ.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Sunt cum capite Augusti, Lucii Caes., Claudii, et Neronis. Magnum huic urbi malum intentavit cl. Sestinus, cum edicto sanxit, omnes ejus numos restituendos Trallibus [f]). Sed mitius cum ea agendum censui ex causis, quas in moneta Trallium dabimus. Numos ergo hujus Caesareae statuimus sequentes:

ΟΤΗΙΔΙΟΣ. ΠΩΛΛΙΩΝ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Caput Augusti nudum.* ☧ ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. ΠΑΡΑΣΙΟΤ. *Templum 8. col., in area capricornus et caduceus.* Editus a Goltzio, (Num. Aug. Tab. 74.) eumque esse genuinum, probat similis sequens.

ΠΟΛΛΙΩΝ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Caput Augusti nudum.* ☧ *Eadem aversa.* AE. II. (Morelli Num. Aug. Tab. 41. n. 21.)

ΟΤΗΙΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Caput Augusti nudum, pone* ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ☧ ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. ΠΑΡΡΑΣΙΟΤ. *Caput Jovis.* AE. III. (in meis Num. vet. p. 176. Pembrock P. II. Tab. 83.)

ΠΑΡΡΑΣΙΟΣ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΤ. *Caput Augusti laur.* ☧ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Figura nuda stans d. pateram, s. caduceum.* AE. III. (Pellerin.)

De his numis fusius disputavi in opere citato, ex quo compendio nonnulla excerpam.

Memoratur in illis famosus ille *Veidius Pollio*, a scriptoribus passim dictus Vedius Pollio libertinus, et secundum Plinium *ex amicis Divi Augusti.* Ejus quoque meminit marmor laudatum a Grutero [g]), et marmor Atheniense recens editum a Chandlero [h]). Ο. ΔΗΜΟΣ. ΠΟΠΛΙΟΝ. ΟΤΗΔΙΟΝ. ΠΟΠΛΙΟΤ. ΤΙΟΝ. ΠΟΛΛΙΩΝΑ. Fuit oriundus ex hac Bithyniae Caesarea, neque dubium est, ab eo impetratum, ut quae *Smyralea* antea vocabatur, subinde *Caesareae* nomine fulgeret. Sic et Bithynio per Antinoi gratiam *Hadriani* nomen additum. Sane haec urbs neque antea, neque post inclyta fuit, quod ipsum et numorum egestas docet; argumento, se temporarium splendorem uni Veidio debuisse, quem adeo instar patroni sui, ut fere soli amabant Bithyni, in numis suis proposuit. Imperante Hadriano terrae motu graviter fuisse afflictam, docet Eusebius [i]). Serius in Notitiis hujus Caesareae nomen recurrit.

Perstringendi etiam copiosi lapsus in explicandis his numis admissi.

Spanhemius το ΟΤΗΙΔΙΟΣ interpretatus est *Ovidius*, et adstitutum caput dixit esse ejus poetae, quod reipsa Augusti est, ut patet ex addito ΣΕΒΑΣΤΟΣ numi III. Erroris causa fuit nu-

f) Lettere T. IV. p. 59. g) Pag. 224. 3. h) Inscr. ant. p. 52. i) In Chronic.

Digitized by Google

mus alius similis, qui ferebatur inscriptus: ΟΤΗΙΔΙΟΣ ΝΑΣΩΝ [k]). At fraudem detexit Massonius singulari dissertatione inserta Tomo IV. oper. Ovid. edit. Amstael. p. 121. Advertit enim, posteaquam numum novo examini subjecit, a falsario vocabulum ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ in ΝΑΣΩΝ scite translatum esse, quo etiam loco pag. 127. testatur, parum exercitatum fuisse magnum Spanhemium in discernendis numis genuinis ab adulterinis. Prono altero errore idem Spanhemius caput numi III., quod Jovis dixi, propter vocabulum ΠΟΛΛΙΩΝ in aliis hujus generis numis scriptum esse *Asinii Pollionis* Augusto item perchari putat, cum tamen utrumque nomen ejusdem sit Veidii Pollionis. Nullam igitur ex his numis habemus aut Ovidii, aut Pollionis effigiem.

In numo simili Vaillantius et Harduinus pro ΟΤΗΙΔΙΟΣ perperam legerunt ΚΟΤΠΕΔΙΟΤ.

Idem Vaillantius, ac post eum Havercampus [l]) hos numos Caesareae Palaestinae signatos adseruere, quem lapsum jam notarunt Harduinus [m]) et Pellerinius [n]). Iam solum illud, quod in his numis mentio fiat Veidii Pollionis, eos huic Bithyniae Caesareae vindicat.

* * *

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Capricornus*, in numo Lucii Caes. (Vaill.)

ΛΕΤΚΙΟΤ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. *Victoria.* Ʒ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Aquila.* (Pellerin Suppl. II. p. 46.)

Dubium non videtur, numum hunc esse hujus Caesareae. In primo Augusti numo, quem supra descripsi, est item capricornus. Numum alterum Pellerinius dedit Caesareae Palaestinae, cujus tamen nullam certam video causam. Typus aquilae cultum Jovis eloquitur, quem praecipue fuisse observatum apud Caesaream Bithyniae, laudatus Augusti numus docet.

* * *

Capita Claudii et Messalinae se respicientia. Ʒ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Ipse togatus stans.* AE. II. (Morelli Impp. T. II. p. 57.)

Indicavit etiam Vaillantius, sed eum perperam in Palaestinam amolitur. (in num. Messalinae.)

* * *

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. ΛΑΡΑΣΙΟΣ. *Jupiter stans*, in numo Neronis Caesaris. (Pellerin.)

Est hujus Caesareae causa inscripti magistratus, quem aliae Caesareae in monetam non vocaverunt. Sed Sestinus nomine ΛΑΡΑΣΙΟΣ. intelligendum Iovem Larasium censuit, sed quod minus certum, ut dicetur in Trallibus. Huc etiam haud dubie pertinebunt numi: ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Fasciculus 4 spicarum:* vel: *Pallas telum vibrans*, quos rursum Vaillantius Palaestinae largitur. Alius typo

---

k) T. I. p. 53. 54. et in Addend. p. 719. l) Impp. Morell. T. 1. p. 408. m) Num. pop. p. 38. n) Mel. II. p. 12.

Digitized by Google

equi gradientis apud eundem certe est Cymes Aeolidis, ut in hac monebo.

Cum Nerone desinunt certi hujus urbis numi hactenus cogniti. Addidit tamen unum Vaillantius cum capite Caracallae: ΚΑΙCΑΡЄΩΝ. ΚΙΒΤΡΑΤΩΝ, quo indicari concordiam inter Caesarienses istos, et Cibyratas Phrygiae adseruit. At hoc loco το ΚΑΙΣΑΡЄΩΝ est honoris appellatio, ut in Cibyratarum numis dicemus.

* * *

Magistratum, ut vidimus, monetae inscripsere. In numis Augusti: ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ addito ΠΑΡΑΣΙΟΥ, nempe patris nomine. In numo Neronis ΛΑΡΑΣΙΟΣ. At *Veidius Pollio* magistratus non est, sed verius patronus, ut supra diximus.

AE. RR.

CHALCEDON.

Vrbs illustris ad Bosporum Thracium, dicta *urbs caecorum*, quia Megarenses, qui urbem condidere, pejorem hunc situm elegerunt prae commodiore trans Bosporum alio, ubi postea Byzantium conditum. Vide praeter alios Tacitum o).

Autonomi.

Inscribuntur ΚΑΛ. ΚΑΛΧ. sed recentiores, ut et imperatorii plenius: ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ. Apud scriptores est metathesis literarum K et X, scribunt enim Χαλκηδων. Dialectus Dorica H in A convertit. Numorum modum servat etiam marmor Latinum, quod Luculli res gestas laudat, in quo est CALCHADONA p). Goltzii ΧΑΛΚΕΔΩΝ certe fallit, nam in similibus Arigonianis est solitum ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ. Fallit etiam Begeri ΧΑΛΚΗΔΩΝ, ut dicetur.

* * *

Caput barbatum nudum. ℞ *Quadratum informe.* AV. III. (Pellerin.)

Caput simile. ℞ ΚΑΛΧ. *Rota.* AR. III. (Pellerin.)

ΚΑΛ. *Bos stans* ℞ *Quadratum incusum.* AR. III. (Mus. Caes.)

ΚΑΛΧ. *Bos spicae insistens.* ℞ *Quadratum incusum.* AR. fere II. (Pellerin.)

Horum primum Pellerinius nulla alia causa, nisi quod simile caput habeat illi, quod est in numo II., Chalcedonium putat. Reliqui tres, qui sine dubio hujus sunt urbis, longam praeferunt vetustatem. In numo III. litera K formae est insolentioris, quam habes in mea Sylloge I. p. 33.

In autonomis reliquis typi obvii.

* * *

Concordiam, cum Byzantio e regione posito indicant numi inscripti ΒΤΖΑΝ. ΚΑΛΧΑ., de quibus egi in numis Byzantii.

* * *

Vulgavit Begerus numum cum praetensa epigraphe ΧΑΛΚΗΔΩΝ, et typo lyrae intra quadratum q). Sed eum esse Chalcidis Euboeae, jam vidit Pellerinius.

AV. dubius, *AR. RRR. AE. RR.*

o) Ann. XII. 63. p) Gori Inscript. T. II. p. 255. q) Thes. Br. T. I. p. 486.

Digitized by Google

Regius.

De argenteo max. mod. cum capite et epigraphe Lysimachi Thraciae regis, quem edidi ex museo Savorgnan [r]), egimus in numis hujus regis.

Imperatorii.

A Trajano ad Tranquillinam usque.

Epigraphe constans ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ., sed Vaillantius plerumque obtrudit ΚΑΛΧΑΔΩΝΙΩΝ.

Typi in Apollinis cultu plerumque occupantur. Et vero antiquissimum Chalcedone stetisse ejus dei templum testatur Lucianus [s]). Quare in his numis frequens *lyra*, *tripus obvoluto serpente*, *gryphus*. Saepe ipse *cycno sublime effertur*, nimirum fuisse cycnos Apollinis adsessores, et canoros homines, antequam in aves mutarentur, narrat idem Lucianus [t]), et ab Apolline junctis cycnis Cyrenen Hypsei filiam in Libyam avectam, refert Pherecydes [u]). Teste Nonno [x]).

λυρην δ' ἐβριψεν Απολλων,
Και πτεροεις πεποτητο λιπων πτερυγεσσας ὀιστους
Ειδος ἐχων κυκνοιο.
lyram projecit Apollo,
Et alatus avolavit relinquens alatas sagittas
Formam habens cycni.

Denique Socrate auctore [y]) cycni sunt Apollinis ministri, et vaticinandi arte praediti, canuntque suavius instante morte, quia laetantur, se brevi cum Apolline suo conjunctum iri.

* * *

Magistratus ΙΠΠΩΝ sine mentione dignitatis in numo Antinoi. (Seguin.)
AE. R.

CIEROS.

Autonomum inscriptum ΚΙΕΡΕ. Pellerinius Prusiadi ad Hypium tribuit, quam sententiam infra in numis *Prusiadis ad mare* refutabimus.

CIVS.

Numos hoc nomine inscriptos vide infra in *Prusiade ad mare.*

CLAVDIOPOLIS.

Vide altius *Bithynium.*

CRATIA.

Vide mox in *Flaviopoli.*

EREBOEA.

Imperatorius Commodi: ΕΡΕΒΟΙΩΝ. *Hercules stans.* At Ptolemaeus, qui unus obscure hujus urbis inter mediterraneas Bithyniae meminit, eam vocat Ερεβοιων. Ceterum hic numus a nemine alio laudatur, praeterquam a Vaillantio et Harduino.
AE. RRRR.

FLAVIOPOLIS.

Mediterranea, olim dicta *Cratia*, Κρατεια, sed numi Κρητειων scribunt, forte Ionice. Appellata serius *Flaviopolis*, in

r) Num. vet. p. 62. s) In Pseudomant. t) De Electro. u) Schol. Apollonii ad L. II. v. 500. x) Dionys. L. II. v. 218. y) Apud Platon. in Phaedon.

Digitized by Google

numis tamen novo nomini vetus fere constanter additur. Aevo inferiore sola appellatio prisca videtur in usu fuisse, ut apparet ex Constitutionibus et Notitiis.

Imperatorii.

A Severo usque ad Gallienum.

Epigraphe: ΚΡΗΤΙΕΩΝ. ΦΛΑΟΤΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. – ΚΡΗΤΙΑ. ΦΛΑΟΤΙΟΠΟΛΙC., in unico Caracallae numo apud Vaillantium ΚΡΗΤΙΕΩΝ tantum.

Typi obvii. Apud Liebeum [z]): *Satyrus capripes, vel ipse Pan cornutus stans d. adsilientem hinnulum arripit, s. pedum et hinnuli exuvias.*

AE. RR.

GERMANICOPOLIS.

Sintne huic Bithyniae urbi aliqui numi tribuendi, disputatum supra in Germanicopoli Paphlagoniae.

HADRIANI.

Mediterranea ad Olympum M. quod docent numi, situ tamen minus certo, quae causa fuit, cur a quibusdam Mysiae urbibus accenseretur, nam Olympi jugum saltem Australe in Mysiam pertigit. De hoc vide plura in meis Numis vet. p. 179., et apud Massonum in vita Aristidis §. III.

Autonomi.

Protome Aesculapii. Ϫ ΑΔΡΙΑΝΕΩΝ. *Telesphorus stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΙЄΡΟC. ΔΗΜΟC. *Caput juvenile laur.* Ϫ ΑΔΡΙΑΝЄΩΝ. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRR.

Imperatorii.

Ab Hadriano ad Saloninam usque.

Epigraphe: ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΑΔΡΙΑΝЄΩΝ. Varius hic scribendi modus nonnullos adhaerere fecit, cui ex pluribus hujus tractus oppidis ab Hadriano nomen sortitis recte adscribendi sint hi numi. At enim numi utroque modo inscripti conspirant in magistratu archonte et nonnunquam etiam typis, ut adeo dubium non videatur, utrosque ad hos Olympi Hadrianos pertinere. Diversitas scripturae ΑΔΡΙΑΝΩΝ, et ΑΔΡΙΑΝЄΩΝ diversas urbes non arguit, nam perinde legitur ΤΤΑΝΩΝ, et ΤΤΑΝЄΩΝ, tum ΝΙΚΑΕΩΝ, et ΝΙΚΑΙЄΩΝ. Vide huc spectantia etiam in proxima Hadrianopoli.

Typi admodum varii, sed argumenti obvii.

ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΤΥΧΗ. *Caput muliebre turritum*, in numo M. Aurelii. (Vaillant.)

Similem Lucillae Vaillantius Adramnis Coelesyriae, nescio quibus, tribuit. Forte in utroque legendum ΑΔΡΑΗΝΩΝ, sic ut numi hi sint Adraae Arabiae. Sane in vicina Bostra eadem occurrit epigraphe, idem typus.

* * *

z) Pag. 318.

Digitized by Google

Magistratus.

Archon APX., etiam A. TO. B. legitur in numis Aurelii, Valeriani, Saloninae. (Vaill. Arigoni.)

Praetor: ЄΠΙ. CTPA. ΔIOΔ. ΦIΛOΞ. TOTK. (sic) Γ. IOTΛ. AΔPIANON. (sic) Antonini. (Pellerin.) ЄΠΙ. CTPA. ΔTP. ΛOΛ. ΠPOKΛOT. AΔPIANЄΩN. Elagabali. (Mus Albani.)

* *' *

Mentio situs: AΔPIANΩN. ΠPOC. OΛT. OΛTM. OΛTMΠON, insolentius: AΔPIANЄΩN. ЄN. OΛTMΠΩ, in numo Hadriani. (Sestini Lett. T. IV. p. 103.)

* * *

Concordia cum vicinis Nicaeensibus, et Cianis.

AE. RR.

HADRIANOPOLIS.

Vaillantius et Harduinus numos omnes hoc nomine inscriptos Hadrianopoli Thraciae adjudicavere. At cognitos hactenus habemus numos aliquot, qui ex certis indiciis ejus monetae detrahendi sunt, ut continuo patebit.

Autonomus:

Caput Palladis. Ж AΔPIANOΠOΛITΩN. *Deus Mensis stans d. - - - s. hastam.* AE. II. (Hunter.)

Mensis effigies in moneta urbium Europaearum insolens, at obvius in numis urbium Asiae minoris.

Imperatorii.

AΔPIANOΠOΛЄITΩN. ЄT. BΞ. *Diana venatrix*, in numo Severi. (Vaill.)

In Thraciam pertinere hunc numum recte negarunt Wisius, et Pellerinius, nam hujus urbes monetae suae inscripsisse annos epochae, non constat. Accedit, mirum omnino videri, ex tot Hadrianopolis Thraciae numis, quibus musea omnia abundant, unicum hunc esse numum epocha insignem. Quare cum aliae fuerint extra Thraciam Hadrianopoles, harum una manifesto respicienda.

AΔPIANOΠOΛЄITΩN. ЄΠΙ. CTPA. CANAIΔOT. *Imperator stans adstante hinc Pallade, inde muliere stolata d. amphoram gestante*, in numo Hadriani. (Pellerin. Rec. III. p. 210.)

Praetores Hadrianopolis Thraciae in numis non habuit, sed praesides, ἡγεμονας.

AΔPIANOΠOΛ. APX. ΔIOΦANTOT. ΛΛЄΞ. *Victoria gradiens, in area* CЄ. in numo Alexandri Sev. (Pellerin. l. c.)

Rursum Hadrianopoli Thraciae obstat magistratus archon, atque etiam literae CЄ., si modo hae epochae annum notant.

Ad quam ergo Hadrianopolin citat hic numi pertineant, inquirendum. Ex nonnullis, quae hoc nomine extra Europam memorantur, Hadrianopolis illa, quae ab Hierocle et Notitiis Bithyniae accensetur, unum alterumve saltem ex citatis hic numis sibi videtur vindicare. Bithyniae urbes nonnullae epocham et magistratus varios in numis proposuere. Tamen ad unam eandemque urbem vix pertinebunt numi loco II. et III. laudati, quia illius magistratus dicitur praetor, hujus archon, nisi forte eadem urbs

Digitized by Google

tempore Hadriani habuit praetorem, aetate Alexandri archontem, quod idem mox supra vidimus in Hadrianis, et videbimus infra in Hadrianotheris et Nicomedia. Neque ejusdem urbis esse possunt numi I. et III., si modo το CЄ. numi III. epocham notat. Dificile est, de his numis certi quid statuere, cum quod exiguus adhuc est eorum numerus, et pauci ii nullum certum criterium offerunt; tum quod plures fuere Hadrianopoles. Quin dubium non est, fuisse urbes plures, quae adscititium ab imperatore quopiam nomen tulere, quin de eo nobis constet. Quis nostrum sciret, Stratoniceam Cariae Hadrianopolin quoque dictam, nisi istud adsereret Stephanus, et numus nuper repertus confirmaret? Vt adeo absonum non sit conjicere, posse unum alterumve ex his numis ad urbem aliquam pertinere, quae dissimulato vetere suo nomine aliquamdiu adscititio novo usa fuerit. Quare, ut veritas certius eruatur, exspectandae adhuc aliae numorum suppetiae.

* * *

Epocham BΞ. Vaillantius, Harduinus, Froelichius duxere ab anno V. C. 885. Id certum, cuicunque Hadrianopoli hic Severi numus tribuendus est, epochae principium cadere intra annos imperii Hadriani, a quo ea urbs seu condita, seu instaurata, seu beneficiis ornata nomen accepit inducta insuper nova epocha. In area numi III. legitur CЄ., quae literae a reliquis avulsae epochae annum videntur testari. Quo pacto alteram habemus Hadrianopolin; nam una eademque urbs, quae in Severi numo signavit annum BΞ., in numo Alexandri CЄ. scribere non potuit.

* * *

Erant, qui Hadrianos et Hadrianopolin unam urbem putarent. Hos inter fuit Carolus a S. Paulo, sed quem in subjecta nota jure correxit Lucas Holstenius [a]), in quo et erravit Fabricius. (Bibl. Graec. L. IV. c. 30. p. 376.) Atque ut aliis argumentis abstineam, in Notitiis manifeste inter utramque distinguitur. Pellerinius conjicit, Hadrianos ad Olympum etiam Hadrianopolis nomine signasse monetam [b]). At non videtur verisimile, Hadrianos altero hoc nomine usos, quo nomine in vicinia urbs alia praedita fuit.

HADRIANOTHERAE.

Vrbs mediterranea, et, ut ex Notitiis arguitur, in vicinia Hadrianorum versus Mysiam, nisi in hac reipsa sita fuit, nam auctores plerique eam huic inserunt. Condita fuit ab Hadriano, ut nomen arguit, et testatur Spartianus in ejus vita: *Oppidum Hadrianotheras in quodam loco, quod illic feliciter esset venatus, et ursam occidisset, aliquando constituit:* Et Dio [c]) και πολιν εν τη Μυσια οικισας Αδριανη θηρας αυτην ονομασεν, *et conditam in Mysia urbem* Hadriani venationes *vocavit.* Quibus adde Cedrenum.

Autonomi.

Caput Herculis cum clava. Σ ΑΔΡΙΑ-

a) Geogr. sacr. p. 252. b) Rec. II. p. 20. c) L. LXIX. 10.

Digitized by Google

ΝΟΘΗΡΙΤΩΝ. *Leo.* AE. III. (Pembrock.)

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput juvenile.* Ɪ *Eadem epigraphe. Aesculapius stans.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

Ab Hadriano usque ad Philippum.

Epigraphe, ut in autonomis. In numo Severi max. mod. apud Arigonium mendose urbis nomen scribitur ΑΔΡΙΑΝΟΘΥΡΤΤΩΝ, geminato errore; rectius in numo simillimo musei Albani, ejusdemque Severi: ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡЄΤΤΩΝ, ut adeo duplex habeamus urbis gentile, Αδριανοθηρίτης, ut passim, et Αδριανοθηρευτης, et recte istud, nam Αδριανοθηρα est *Hadriani venatio*, et Αδριανοθηρευτης. *Hadriani venator.*

Typi illustriores: *Caput ursi*, quod refertur ad ursam ab Hadriano in venatione peremptam, ut diximus. *Caput apri* in numo Antinoi, scripto juxta: ΑΔΡΙΑΝΟΥ. ΘΗΤΑ. *Hadriani servus*, ut legit, et interpretatur auctor musei Theupoli. Quis non videt, legendum hic esse ΑΔΡΙΑΝΟΥΘΗΡΑ, atque adeo lepidam ejus interpretationem penitus elusam?

* * *

Magistratus Vaillantius in numo Domnae legit. ЄΠΙ. ΔΙΟΓЄΝΟΥC. ΑΡ. Vnde doceremur, fuisse *archontem* hujus urbis magistratum. At Pellerinius in binis suis ejusdem Domnae, et cum eodem aversae typo Severi equitis legit: CΤΡ. ΔΙΟΓЄΝΟΥC. (Mel. II. p. 139.) Pellerinii judicium confirmat citatus ex Arigonio Severi numus, in quo: ЄΠΙ. C. ΠΑΝΚΡΑΤΙΟΥ. ΔΙΟΓЄΝΟΥC. Ergo *praetores* habuit ea urbs saltem Severi aetate, nam habuisse eam serius archontem, docet numus Vaillantii cum capite Philippi sen., nisi forte et hic dormitet vir praestans, in quo: ЄΠΙ. ΑΥΡ. CΩΚΡΑΤΟΥC. ΑΡΧ. Α.

AE. RR.

HERACLEA.

Maritima in Maryandinis, colonia Megarensium et Tanagraeorum, unde in numis dialectus Dorica, quanquam ea non constanter valuit, ut videbimus. Aedificatam a Boeotis oraculi monitu prolixe narrat Iustinus [d]). Fuit urbs aliquando potens, quae proprios etiam tyrannos habuit, quorum numos infra prodemus. De hujus fortuna urbis vide Memnonem [e]) et Buonarrotium [f]).

Autonomi:

ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΑΝ. *Protome Herculis capite diademato addita clava.* Ɪ ΗΡΑΚΛЄΩΤΑΝ. - - ΠΟΝΤΩ. *Hercules Cerberum fune trahens, juxta signum Cereris super basi.* AE. m. m. (Pellerin. Suppl. III. p. 81.)

Alius sed cum epigraphe ΗΡΑΚΛЄ. ΩΤΑΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΑΝ. (Harduin. Num. urb. p. 67.)

Numi hi docent, Herculem ab Heracleotis conditorem habitum, typum vero explicat Mela de hac Heraclea disserens [g]): *juxta specus est Acherusia, ad*

d) L. XVI. c. 3. e) B. L. T. XIV. p. 279. f) Osserv. ist. p. 275. g) L. I. c. 10.

Digitized by Google

manes, ut ajunt, pervius, atque inde extractum Cerberum existimant. In eandem sententiam Xenophon [h]), et Eustathius [i]). Epigraphe reliqua explicabitur in imperatoriis.

* * *

Caput Herculis. Ϟ HPAKΛEIA. *Caput muliebre corona fastigiata, et floribus distincta.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Herculis. Ϟ HPAKΛEIA. *Clava.* AR. IV. (Mus. Caes.)

Caput Herculis. Ϟ HPAKΛEΩTAN. *Clava, pharetra, arcus.* AE. II. (Mus. Caes.) In alio simili: HPAKΛEΩTAN. ΘP. AE. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 93.)

Vt moneta vetus insignem offert numorum copiam cum Heracleae inscriptione, ita in multis admodum dubium, cui ex tot Heracleis per tres orbis partes sparsis sint tribuendi. Quocirca res ad unas saepe conjecturas redit. Numum ex hic descriptis primum huc vocat Pellerinius, quia caput muliebre cum simili corona comparet in numis vicinae Cromnae. Plus fiduciae in binis sequentibus musei Caesarei, quod eos Ill. Comes Ludolf in his oris degens apud hanc Heracleam reperit. Praetereo copiosos numos alios propter dictam causam jure ἀδεσποτους. Sestinius numum suum Heracleae Thraciae tribuendum conjecit, quia literae ΘP. significare possent ΘPακων. Sed Heracleam Thraciae in numis semper dictam Perinthum, neque usam fuisse dialecto Dorica, quia opus Ionum fuit, alibi dixi.

* * *

Pellerinius argenteum inscriptum TEPΣIKON, ut olim Hercules Cerberum, ad hanc urbem vi adegit, qui Tarsi Ciliciae est, ut in hujus numis dicetur.

Idem aeneum, in quo hinc *Caput Jovis*, inde H *intra coronam*, hujus esse Heracleae conjecit, sed quem potius permittendum Elidi, in hujus regionis numis verisimile diximus.

AR. RR. AE. RR.

Imperatorii.

Incipiunt sub Trajano, ab hoc usque ad Severi tempora nullus cognitus; indo usque ad Gordianum porriguntur saltem certi; nam quos cum capite Gallieni et Saloninae obtulit Pellerinius, utrum huc pertineant, non satis expeditum.

Epigraphe sub Trajano: HPAKΛEΩTAN. MHTPOΠOΛEITAN. A Severo usque ad Gordianum multa inconstantia: HPAKΛEIAC. HPAKΛHAC., quin etiam (si modo bene legit Vaillantius) HPAKΛEΩN. HPAKΛEΩTΩN, addito in omnibus his constanter ЄN. ΠONTΩ. Sub Gordiano: HPAKΛEΩTAN. ЄN. ΠONTΩ., aut, ut sub Trajano: HPAKΛEΩTAN. MATPOΠOΛEITAN. Ex quo colligimus, usque ad Severi tempora valuisse dialectum Doricam, ab hoc Ionicam, priorem retractam sub Gordiano, forte quia civitas promiscue

h) Exped. Cyri L. VI. i) Ad Dionys. v. 791.

Digitized by Google

ex Doribus et Ionibus constiterit. Dores conditores supra narravimus. Per dialectum Ionicam juvari posset Strabo, qui diserte binis locis Heracleam Milesiorum coloniam profitetur [k]), nisi eam omnium veterum consensus Dorum faceret, et iis locis eruditi pro Μιλησιων legendum censerent Μεγαρεων. At haec utriusque gentis permixtio accidere facile potuit multis Milesiorum coloniis in eo tractu positis.

* * *

Typos Hercules conditor plerumque suppeditavit, aut *Hesperidum poma tenens*, aut *taurum*, aut, ut est in insigni musei Caes. numo, *equum Diomedis domans;* aut *aprum Erymanthium humeris gerens*, aut *Amazonem fugientem insequens*, aut, ut in numis Gordiani, *Cerberum catena trahens.* Illustrior est sequens:

HPAKAЄΩTAN. MATPOC. AΠOIKΩN. ΠOΛIΩN. *Theatrum turba refertum, intra quod templum, statua Herculis sedentis, juxta victor stans cum palmae ramo*, in numo Gordiani. (Buonarroti Osserv. ist. p. 275.)

Singularis hujus epigraphes explicatio continuo dabitur.

* * *

Metropolis. Vaillantius binis locis numos inscriptos HPAKΛЄΩTAN. MHTPOΠOΛЄITAN. Heracleae Thraciae tribuit [l]). Fuit haec eadem cum Perintho, at haec multo serius Heracleae appellationem accepit, ut constat ex ejus numis, in quibus usque ad Gallienum Perinthi nomen durat. Quare hi numi Heracleae nomine inscripti Perinthum Heracleam revocari non possunt. Agnovit ipse eodem in opere difficultatem [m]), quare aliam Heracleam respexit. Exclusit tamen etiam hanc Bithyniae ob metropolis titulum, quia in Ponto duae jam fuerint metropoles, Amasea et Neocaesarea. Rem primum in medio reliquit Pellerinius [n]), at serius ipse agnovit, numos cum hac inscriptione esse hujus Heracleae, titulum autem metropolis esse potius honoris epitheton [o]). At vero hanc litem optime componunt citati supra autonomi duo, unus Pellerinii, qui inscribitur: HPAKΛЄΩTAN. ЄN. ΠONTΩ, Harduini alter: HPAKΛЄΩTAN. MATPOΠOΛЄITAN., qui cum certe sint unius ejusdemque urbis, patet, eam Heracleam, quae in Ponto fuit, fuisse etiam metropolin.

Nequaquam huic sententiae officit, quod adversus eam adfert Vaillantius, fuisse jam binas in Ponto metropoles, neque cum Pellerinio confugiendum ad titulum mere honorificum, aut quod exiguae saltem Bithyniae partis cum jurisdictione fuerit metropolis. Etenim vocabuli metropoleos non una fuit significatio, ut late explicabitur in Tractatu de Metropolibus. Alia enim est *urbis matris*, nimirum quae colonias eduxit, alia, at sensu minus proprio, capitis provin-

k) L. XII. p. m. 816. 817. l) Num. Graec. p. 150. et 196. m) pag. 208. n) Mel. II. p. 254. o) Suppl. III. p. 83.

Digitized by Google

ciae. Vt Augustorum aevo urbes omnes, quae metropoles se dixere, fuere tantum metropoles in altera hac significatione, sic una fuit Heraclea, quae se metropolin, *matrem urbium* dixit, nimirum ut in citato supra Gordiani numo ipsa de se jactat: ΜΑΤΡΟC. ΑΠΟΙΚΩΝ. ΠΟΛΙΩΝ., *matris coloniarum urbium*. Et vero colonias aliorsum deduxisse Heracleotas, innuit Aristoteles [p]), quas inter fuere Chersonnesus Taurica, et Callatia Moesiae, de quo vide Buonarrotium hujus numi eruditum interpretem [q]). Fallitur igitur Harduinus, qui prima hac significatione nusquam vocabulum metropolis in numis occurrere adseruit [r]).

* * *

Mentio situs ΕΝ. ΠΟΝΤΩ., quod in numis hujus urbis certis semper additur, nisi quando pro hoc scriptum est ΜΑΤΡΟΠΟΛΙΤΑΝ., ut adeo alterutro epitheto satis se ab aliis Heracleis putaverit discretam. Scripsit autem se *Ponti*, non quod in Ponto proprio sita esset, sed quod Ponto Euxino adjaceret, qua ratione etiam Tomitae Moesiae se scripsere ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΠΟΝΤΟΤ. Sic etiam nostram hanc Heracleam his verbis laudat Stephanus: *πολις Θρακης ἐν τῷ Ποντῳ*, quo loco eo sensu videtur Heracleam dicere Thraciae, quia Maryandinos, in quibus posita fuit, revera fuisse Thracas conjectat Strabo, consentiente etiam Xenophonte [s]), et Arriano [t]).

* * *

Concordiam inter hos Heracleotas et Sebastenos seu Phrygiae, seu Galatiae vidit Pellerinius in numo Severi: CЄ. ΒΑCΤ. ΗΡΑΚΛЄΩΝ. (Mel. II. p. 123. et 308.) Ait vir eruditus, fabricam hujus numi esse similem fabricae aliorum hujus urbis numorum, de quo ipse viderit. At qua ratione ipse serius potuit adserere, hujus urbis nomen non scribi, nisi ΗΡΑΚΛЄΙΑC. vel ΗΡΑΚΛЄΩΤΑΝ [u])? Revera hoc dempto in nullo alio scriptum reperio ΗΡΑΚΛЄΩΝ., nisi in numo Maesae, quem citat Vaillantius. Cujuscunque Heracleae numus est, vix credam indicari concordiam, nam neque hujus Heracleae, neque utriusque Sebastes conspectus hactenus concordiae numus, et *το* CЄΒΑCΤ. videtur potius nomen urbis honorificum.

* * *

Neocoratum etiam huic urbi unus largitur Pellerinius, commemorando I. numum Gallieni ΗΡΑΚΛЄ - - ΝЄΩΚΟΡΩ. typo *urnae ludorum*, ex cujus numi fabrica rursum conjectat, numum hunc hujus esse urbis. (Mel. II. p. 222.) II. ex numo Saloninae: ΗΡΑΚΛΗΑC. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. typo *Veneris stantis, et d. pomum ostentantis.* (Suppl. I. p. XI.) Intentat rursus fabricam, et quod nulla alia Haraclea in numis scripsit ΗΡΑ-

p) Politic. L. V. c. 5. q) L. c. r) Num. pop. in Amasia. s) Exped. Cyri. L. VI. t) In Periplo. u) Suppl. III. p. 83.

Digitized by Google

ΚΛΗΑC. Observa, rursum hoc loco sibi contradicentem Pellerinium, qui aliam hujus urbis epigraphen serius non agnovit, quam ΗΡΑΚΛΕΙΑC. vel ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ., ut mox diximus. Vocabulum quidem ΗΡΑΚΛΗΑC in certo hujus urbis numo musei Caesarei cum capite Caracallae observatur; interea Pellerinii argumenta, numos hos cum mentione neocoratus huc pertinere, tanta non videtur, ut non aliis Heracleis per Asiam positis tribui queant.

Magistratus, proconsul: ΕΠΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numo Vespasiani, de quo vide prolegomena ad Bithyniam.
AE. R.

REGES HERACLEAE.

Historiam tyrannorum Heracleae conscripsit Memnon, quam ad summa capita redactam servavit Photius [x]), Gallice deinde redditam illustravit Gedoynus [y]). Is primum Heracleae tyrannum vocat CLEARCHVM Isocratis et Platonis discipulum, crudelem tamen, et sanguinarium. Tyrannidem adiit teste Diodoro Siculo V. C. 390., fuitque aequalis Artaxerxis Mnemonis. Caesus est a conjuratis anno XII. tyrannidis. Successit frater SATYRVS, idemque tutor liberorum Clearchi, crudelitate ante omnes tyrannos infamis, una tutela raro sanctimoniae exemplo obita illustris. Ei post septennium vita functo successere nepotes ex fratre.

TIMOTHEVS et DIONYSIVS,

Timotheus fratre Dionysio in tyrannidis collegium adscito, magna humanitatis ac prudentiae laude remp. administravit. Annis XV. secundum Diodorum in imperio exactis inter publicum ac sincerum suorum luctum elatus est.

Successit frater DIONYSIVS, qui pericula, quae sibi ab Alexandro M. victis Persis Asiae imperante, eoque mortuo ab ejus ducibus impendebant, prudentia ac sagacitate elusit. Ducta deinde uxore Amastrie ex Persiae regum sanguine, de qua infra, amplas nactus opes, et nomen illustrius paullo post in nomen quoque regium invasit, et conciliata sibi ducum Alexandri amicitia sui jam securus, empta pretiosa Dionysii II. Syracusani supellectile, quem sui tyrannide dejecerant, coepit magnificentiam et mollitiem regiis curis anteferre, sed aucta inter haec supra quam credi potest corporis pinguedine, cum annos XXX. magna moderationis laude regnasset, relictis ex Amastrie liberis, de quibus infra, decessit. De hominis sera incontinentia, et abdomine vide elegantia duo veterum epigrammata [z]).

Numi:

Caput Apollinis, ut aliis visum, Bacchi. Ϫ ΤΙΜΟΘΕΟΥ. ΔΙΟΝΤΣΙΟΥ. *Hercules stans elata clava tropaeum constituit.* AR. III. (Haym. Pellerin.)

Caput Bacchi hedera coronatum, retro thyrsus. Ϫ ΔΙΟΝΤΣΙΟΥ. *Hercules stans*

x) Cod. 224. y) B. L. Mem. T. XIV. p. 279. z) Analect. Brunck. T. II. p. 72. et 434.

Digitized by Google

d. elata, s. tropaeum contingit, cui inclinatur clava. AR. III. (Mus. Caes.)
AR. RRR.

AMASTRIS.

Patrem habuit Oxathrem Darii Codomanni fratrem. Volente Alexandro M. nupta Cratero, quem inter principes is duces habuit, sed ab hoc post Alexandri mortem repudiata Dionysio Heracleae tyranno sese uxorem, et una amplas suas facultates obtulit. A mariti excessu tutrix liberorum, ac postea Lysimacho Thraciae regi matrimonio juncta, insigni aliquamdiu apud novum maritum gratia valuit, donec hic novis nuptiis Arsinoes Ptolemaei Philadelphi sororis sese illigasset. Heracleam redux urbem in Paphlagonia aedificat de suo nomine dictam Amastriam, post a filiis in mare abjecta teterrimo parricidio sublata est, non impune, nam a Lysimacho, qui Amastriem etsi facta discessione semper tamen amaverat, pertracti in retia, captique matris manibus immolati sunt.

Filii ex Dionysio: *Clearchus* et *Oxathres*, par impium, merito caesi a Lysimacho, ut diximus; filia *Amastris*. Filium *Alexandrum* eruit Gedoynus ex Polyaeno [a]), sed natum Amastrii ex Lysimacho.

Numus:

Caput forte Amastrios cultu peregrino. Ʒ AMAΣTPIO. BAΣIΛIΣΣ. *Mulier sedens capite turrito d. Victoriolam tenet.* AR. III.

Ediderunt ex museo reginae Christinae Spanhemius [b]), et Holstenius [c]). Similem etiam, sed aeneum, dedit Exc. Comitissa de Bentinck cum epigraphe AMAΣTPIOI. BAΣIΛIΣΣ., in quo, si genuinus est, legendum certe AMAΣTPIOΣ.
AE. RRRR.

IVLIOPOLIS.

Strabo, Ptolemaeus, aliique Iuliopolin in Bithynia collocant, at Plinius disertis verbis binas hoc nomine, non tamen satis prope earum situm definit. Vnam Olympo M. et Mysiae admovet: *nunc sunt XII. civitates, inter quas Gordiu-come, quae IVLIOPOLIS vocatur* [d]). Hanc etiam nominat Strabo, quam narrat fuisse patriam Cleonis latronum ducis, qui eam in Augusti gratiam *Iuliopolin* apellavit. De altera Plinius sic: *intus in Bithynia colonia Apamena, Agrippenses, IVLIOPOLITAE, Bithynion. Flumina: Syrium - - Scopius* [e]). De his vide plura apud Cellarium. Numi hoc nomine inscripti non infrequentes exstant, quos antiquarii Bithyniae quidem tribuunt, non tamen facto utriusque Iuliopolis discrimine, credo, quod certi nihil ea in re definiri possit. Commemorabo hic numos sic inscriptos additis levibus conjecturis.

Imperatorii.

Editi a Trajano usque ad Valerianum.

a) L. c. p. 286. b) Tom. I. p. 494. c) Not. ad Steph. sub Ἀμάσεις. d) L. V. §. 40. e) L. V. §. 43.

Digitized by Google

Epigraphe: ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. in numo Commodi, in quo hic, ut in numis Romanis, ΗΡΑΚΛΗC dicitur; etiam ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΙC. (Vaillant.)

Typi variant; potiores sunt: *deus Mensis* vario cultu, *tria signa militaria.*

* * *

Mentio situs exstat in binis numis:

CΚΟΠΑC. *Fluvius decumbens d. arundinem*, in numo Getae. (Vaill.)

Duo fluvii decumbentes, quorum is, cui adscriptum: CΑΝΓΑΡΙΟC, *remum manu tenet, alter, juxta quem* CΚΟ-ΠΑC, *ramum vel arundinem*, in numo Severi.

Alterum hunc, eumque illustrem numum olim edidi ex museo Comitis Festetits [f]). Alium similem serius vidi in museo ill. Com. Vitzai. Scopas fluvius idem est, quem supra vidimus a Plinio dici *Scopium*. Sangarius, vel Sagaris legitur etiam in numis vicinae Nicaeae, quam vide. De utroque flumine pluribus egi in citato opere.

Neocoratus.

ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Pallas stans d. hastam, s. Victoriolam, ex adverso Mercurius d. crumenam, s. caduceum, in utriusque medio fluvius decumbens*, in numo Caracallae max. mod. (Mus. princ. Waldeck.)

Vnicus hic est Iuliopolis numus, in quo scriptum neocoratum viderim.

* * *

Video, complures numos Iuliopolis nomine notatos tam fabrica, quam typo, nempe *trium signorum militarium*, similes esse numis Nicaeae, in quibus hic typus inde a Caracalla obvius. Quid quod et Sangarius fluvius numo Domnae a Nicaeensibus signato inscriptus est. Quare videntur hi numi tribuendi Iuliopoli illi, quae prae altera Nicaeae vicinior fuit. Alterius Iuliopolis videntur esse illi, quibus typus est Mensis, qui Galaticum quid, et Phrygium sapit, et vix in interioris Bithyniae moneta observatur. Sane Ptolemaeus Iuliopolin aliquam ultra Dadastanam ad fines Galatiae promulgat, cui etiam eandem ob causam tribuendum crederem numum Valeriani cum Cybele sedente. (Arigoni.) De reliquis numis, qui alios typos objiciunt, multo incertius est judicium. *AE. R.*

METROVM.

Autonomi:

Capita duo jugata incerta. Ꝟ ΜΗ-ΤΡΟΣ. *Leo inter duos pileos Dioscurorum.* AE. III.

Hunc olim numum ex museo Savorgnan vulgavi, et copiose illustravi [g]). Videtur vocabulo ΜΗΤΡΟΣ indicari Cybele, quae κατ' ἐξοχην dicebatur Μητης. Et vero Arrianus Μητρῳον maritimum facit prope Heracleam [h]), et Μητρῳον Graecis *Magnae Matris fanum* notat, quale etiam fuit Athenis [i]). Suffragantur praeterea huic sententiae pilei

f) Num. vet. p. 181. g) Num. vet. p. 181. h) In Periplo. i) Pollux L. III. §. 11.

Digitized by Google

Dioscurorum, qui typus frequens est in moneta urbium Euxino adsitarum.

* * *

Similis numus editus est ab Arigonio, sed cum auctor epigraphen legeret KIΠΡΟΣ, numum esse Cypri insulae adseruit.
AE. RRRR.

MYRLEA.

Vide supra in *Apamea* Bithyniae.

NICAEA.

Mediterranea, urbs illustris ad lacum Ascanium. Nomen traxit a Nicaea Antipatri filia, Lysimachi uxore, cum antea varia per vices tulisset, quae enarrata vide apud Cellarium. Sed fabulae appellatam volunt a Nicaea Bacchi amasia, de qua infra.

Autonomi:

Satis rari, atque hi vix praeconio digni.

NIKAIΩN. *Caput muliebre laureatum.* Ϟ ЄCA - - *Hercules stans.* AE. II. (Pellerin.)

Caput muliebre. Ϟ NIKЄΩN. *Victoria gradiens.* AE. III. (Arigoni.)

Caput juvenile cum corona fastigiata, prae quo signum militare et literae IЄ. Ϟ NIKAIЄΩN. *Tria signa militaria.* AE. III. (Mus. Caes.)

In binis praecedentibus epigraphe aberrat a recepto scribendi more, cum in reliquis omnibus legatur NIKAIEΩN, NIKAEΩN. Fabrica et typus numi III. satis monent, eum vix ante Gordianum signatum esse.

* * *

Sunt adhuc autonomi argumenti magis eruditi.

NIKAIEΩN. *Diota.* Ϟ ЄΠI. ΓAIOT. ΠAΠIPIOT. KAPBΩNOΣ. *Caduceus clavae junctus, et annus* BKΣ. AE. II. (Morelli in fam. Papiria.)

NIKAIЄΩN. *Caput Bacchi, infra annus* ΔKΣ. Ϟ *Idem magistratus. Roma sedens, infra quam* PΩMH. AE. II. (Ibid.)

De C. Papirio Carbone, et annis epochae egimus altius in prolegomenis ad numos Bithyniae.

* * *

Numos cum magistratu ΠOTΠIOC a Spanhemio Nicaeae tributos [k]) esse potius Cyrenaicae, dicetur in hujus numis.
AE. RR.

Imperatorii.

Autonomorum defectum supplent, qui porriguntur ab Augusto usque ad Gallienum, quin et duorum tyrannorum, qui Gallieno imperante Asiam vexavere, Macriani junioris, et fratris Quieti. Illius numum edidit Haymius [l]), et Pellerinius [m]), qui etiam est in museo Caesareo, hujus Arigonius, atque iterum Pellerinius [n]). In utroque *castra praetoria* typum faciunt.

* * *

k) Tom. II. p. 163. l) T. II. p. m. 393. m) Mel. II. p. 23. n) L. c.

Digitized by Google

Epigraphe: NIKAIEΩN. NEIKAIEΩN., item in recto: NIKAIEIΣ. Apud Vaillantium nonnunquam scriptum reperio NIKAEΩN, NIKAEIΣ, quod gentile probat etiam Stephanus. Qui numi solum NEIK. inscriptum habent, dubium faciunt, an Nicaeam, an Nicomediam referendi sint, nisi adsint alia indicia.

* * *

Typi, ut in tanto numero, varii argumenti. Inde a Caracalla nihil iis vilius, qui *tria signa militaria* exhibent, quos Froelichius nonnulla conjectura Nicen Thraciae referendos censuit, ut in hac dictum.

Herculis quoque cultus in hac urbe cumprimis viguit, cujus aerumnae variae proponuntur, ut cum *Antaeum sublimem suffocat*, *Diomedis equos abigit*, *taurum domat*, aut cum, ut est in numo singulari Maximi Caes., *aves Stymphalidas sagittis petit*, (Mus. Caes.) qui typus est etiam in numo Perinthi.

Singulare etiam istud in Nicaeensium moneta, quod non deos modo additis eorum nominibus in numis proposuere, sed etiam heroas, aliosque antiquitatis viros illustres, quorum hic catalogum texo.

ZETΣ. MHΛIOΣ. *Caput Jovis.* (Vaill. in Domit.)

Harduinus interpretatur: *pecorum custos*, *a* μηλον, *ovis*, *pecus.*

ΔIOΣ. AΓOPAIOT. *inscriptum aras*, in aliquibus neque urbis nomen additur, in numo Domitiani. (Morelli Impp.) Cum solo ΔIOΣ, Trajani. (Mus. Caes.)

De hoc *Jove Forensi* vide Harduinum o).

ΔIONTΣOT. KTIΣTOT. NIKAIAΣ. *Ara ignita*, *cui inscriptum* K *incertae significationis*, Neronis. (Morelli Impp.)

ΔIONTCON. KTICTHN. *vel tantum* TON. KTICTHN. NIKAIЄIC. *Bacchus stans*, Antonini, Aurelii, Veri.

Bacchus variis etiam aliis modis, etiam cum inscriptio abest, in Nicaeae numis proponitur, *in consortio Ariadnes*, *coronatus a Satyro*, *vectus in quadrigis elephantorum.* Narrat Plinius p), Liberum victa India triumphantem curru elephantis juncto invectum. Memoratur ergo Bacchus in his numis Nicaeae conditor. Ille nimirum, cum ejus loci nympham Nicaeam deperiret, sed ad amoris negotium morosam, quod sese Dianae et venatui saeraverat, quoniam puellam siccam persuadere non potuit, vitiavit ebriam digno sese astu, fluminis aquis in vinum versis, quae omnia lepide describit Nonnus Panopolites totis fere libris XV. et XVI., quorum postremum sic claudit:

Και πτολιν ευλατιγγα φιλακρητῳ παρα λιμνῃ
Τευξε Θεος Νικαιαν επωνυμον, ἡν ἀπο νυμφης
Ασταχιης ἐκαλεσσε, και Ινδιφενον μετα νικην.

Et urbem bonis lapidibus structam
vinum amans prope stagnum
Aedificavit deus Nicaeam nomine,
quam a nympha
Astacia vocavit, et Indos occidentem
post victoriam.

o) Num. urb. p. 121. p) L. VIII. §. 2.

Digitized by Google

Eandem fabulam recitat etiam Memnon apud Photium. Vide praeterea, quae mox in Hercule dicentur.

ΤΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. ΕΡΚΟΛ. *Caput Herculis*, in numo Domitiani. (Catal. d'Ennery p. 523.)

ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Hercules nudus stans clavae innixus, d. femori admota*, Aurelii. (Mus. Caes.)

Dio Chrysostomus vocat Bacchum Nicaeae πρωπατορα, et Herculem κτιστην [q]).

ΑCΚΛΗΠΙΩ. CΩΤΗΡΙ. ΝΙΚΑΙЄΙC. *vel:* ΤΟΝ. CΩΤΗΡΑ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Jungitur etiam cum Hygia:* ΤΓЄΙΑ. ΚΑΙ. ΑCΚΛΗΠΙΩ. *Uterque stans*, in numis Antoninorum. (Vaill.)

ΘЄΑ. ΤΓЄΙΑ. ΝΙΚΑΙЄΙC. *Hygia cultu solito*, in numis Antoninorum. (Vaill.) Iungitur etiam cum Aesculapio, ut mox vidimus.

ΘЄΩ. ΤЄΛЄCΦΟΡΩ. ΝΙΚΑΙЄΙC. *Telesphorus stans*, Antonini. (Vaill.)

ΘЄΑ. ΔΗΜΗΤ. ΝΙΚΑΙЄΙC. *Ceres in bigis*, Antonini. (Vaill.)

ΘΗCЄΑ. ΝΙΚΑΙЄΙC. *Caput Thesei leonis exuviis tectum*, Commodi. (Vaill.)

ΘΗCЄΑ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Theseus stans Herculis imberbis cultu, et clavae innixus*, Caracallae. (Vaill.)

De Theseo Herculis facta et cultum imitato vide Plutarchum [r]), et Aristidem [s]).

ΟΜΗΡΟC. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Homerus sedens d. chartam*, Commodi. (Vaill.)

ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΝ. ΝΙΚΑΙЄΙC. *Caput Alexandri M.*, Aurelii. (Vaill.) In alio: *Ipse nudus stans d. --- s. hastam*, Commodi. (Mus. Christinae.)

CΑΓΑΡΙC. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Fluvius decumbens*, Domnae. (Vaill.)

Sagarin fluvium laudat Plinius, aitque, fuisse unum ex inclytis, dictumque a plerisque Sangarium [t]), quo posteriore nomine eum vidimus compellatum in numo Iuliopolis Bithyniae. Sagaris in hoc numo situm non indicat, nam urbis latera non alluit, pervaserit tamen ejus agrum. Analogia docet, eum instar numinis monetae insertum, forte propterea, quod Nicaea nympha, quae a se urbi nomen dedit, fuit Sangarii et Cybeles filia, ut alibi ex Memnone docui [u]). Sic et Xanthum velut deum vidimus in numo Germanicopolis Paphlagoniae.

ΡΩΜΑΙΩΝ. ΝΙΚΗΝ. ΝЄΙΚΑΙЄΙC. *Victoria inscribens clypeo*, in numo L. Veri. (Gessner ex museo Pfau tab. CXVIII. n. 21.) In alio: *Imperator eques hostem hasta impetit*, ejusdem Veri. (Pellerin.)

Celebrant nimirum Nicaeenses Aurelii et Veri victorias de Parthis relatas. De numis similis argumenti agam in numis M. Aurelii commatis peregrini.

ΙΠΠΟΝ. ΒΡΟΤΟΠΟΔΑ. *Vir in equo, cuius pes sinisterior humano similis, dexterior manum humanam refert, qua baculum Aesculapii complectitur*, Gordiani (Mus. Christinae.)

Singularem hunc numum ex eodem

---

q) Orat. 39. r) In Theseo. s) Orat. T. I. p. 486. t) L. VI. §. 1. u) Num. vet. p. 188.

Digitized by Google

musco descripsere Vaillantius, et Spanhemius [x]), et vidi ipse ibidem Romae. Significat epigraphe *equum cum pede humano*. Exstitisse id genus monstra, veteres prodidere. De I. Caesare Suetonius [y]): *Vtebatur equo insigni pedibus prope humanis, et in modum digitorum ungulis fissis.* In eadem fere verba Plinius [z]). Quid vero in praesente numo monstrum istud indicet, difficile est adsequi. Connectendum cum Aesculapio arguit hujus baculus, quem manu praefert.

ΠΥΘΑΓΟΡΗC. *Pythagoras sedens d. globum contingit*, Gallieni. (Vaill.)

Eodem cultu is proponitur in numis Samiorum.

NIKAIA. *Caput muliebre turritum hedera coronatum, pone quod pharetra*, Antonini. (Vaillant.)

Caput istud est Nicaeae nymphae. Corona turrita eam decet, quae urbi nomen dedit, hederacea eam, quam Bacchus suam esse voluit, pharetra eam, quae vitam in venatibus exegit. Vide, quae de hac nympha plura alibi dixi [a]).

ΑΓΑΘΗ. ΤΥΧΗ. *Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens*, Faustinae jun. (Mus. M. Ducis, et reg. Christinae.)

Hic *Bonae fortunae* typus frequens est in numis Ciliciae, Syriae, Mesopotamiae, at in Asia minore cis Taurum vix obvius. De hac urbium Fortuna vide, quae olim observavi, quo loco numum hunc edidi [b]).

* * *

Inter Nicaeensis monetae aversas memoranda etiam:

ΚΟΜΟΔΟΥ. ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC. Ο. ΚΟCΜΟC. ΕΥΤΥΧΕΙ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *scriptum intra lauream*, in numo Commodi. (Vaill.)

Eadem formula est etiam in numis Cii Bithyniae, et Caesareae Cappadociae.

* * *

Magistratus:

Romanos totius provinciae jam vidimus in autonomis. Frequenter in imperatoriis leguntur nomina *proconsulum*, simul et *patronorum*. Sed de variis his totius provinciae magistratibus abunde egimus in prolegomenis ad numos Bithyniae.

An etiam magistratus civitatis suae proprios soliti sint monetae inscribere, dubitare liceat, et nescio, an istud certo evincat numus Etruscillae: ΕΠΙ. ΑΡΙCΤΕΟΥ., quem unus citat Vaillantius. Alter Severi ab eodem productus: ΕΠΙ. CΤΡΑ. - - - ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ. ΚΥΖΙ. ΚΗΝΩΝ. nihil probat, quia idem signari etiam potuit Cyzici. Tertius Alexandri ΕΠΙ. C. Μ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. videtur male lectus pro ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Typus *duorum pharorum, vel lampadum medio vexillo*, ut eum describit Vaillantius, uni Byzantio proprius est, similemque infra sub Treboniano recenset: ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Arula inter duos pharos vel lampades.* Est ergo ve-

x) T. I. p. 288. y) Cap. 61. z) L. VIII. §. 64. a) Num. vet. p. 188. b) Num. vet. p. 183.

Digitized by Google

rius numus concordiae inter utramque urbem.

* * *

Honorum vocabula leguntur varia, atque ambitiosa.

Primatus:

ΝΙΚΑΙΕΙΣ. ΠΡΩΤΟΙ. ΤΗΣ. ΕΠΑΡΧΕΙΑΣ. *Ara, in qua scriptum:* ΔΙΟΣ. ΑΓΟΡΑΙΟΥ. vel: *Caduceus*, vel: *Imperator paludatus stans d. extenta, s. hastam*, in numis Domitiani. (Vaill. Morelli Impp. Mus. Christinae, Theup.)

ΠΡΩΤΟΙ. ΤΗΣ. ΕΠΑΡΧ. ΤΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. ΕΡΚΟΛ. *Caput Herculis barbatum laur.*, Domitiani. (Mus. d'Ennery p. 523.)

ΤΟΝ. ΚΤΙΣ. ΝΕΙΚΑΕΙΣ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ. ΑΜΒ. *Hercules stans d. femori admota, s. clavae innixus*, Domitiani. (Arigoni.)

Nicaeenses ergo se scripsere *primos provinciae*, deinde et *Ponti*. Constat ex Dione Chrysostomo [c]), contentionem de primatus honore fuisse Nicaeenses inter et Nicomedenses, tum metropolis honorem unj fuisse Nicomediae proprium, at primatum utrique communem. Hunc igitur in numis his jactant Nicaeenses. At videtur is illis serius ademptus, nam in numis post Domitianum cusis nulla amplius ejus fit mentio. Dicere vero etiam se primos Ponti poterant, quia Domitiani aetate Pontus cum Bithynia conjunctus fuit, atque etiam Nicomedenses in suis se numis dixerunt *primos Bithyniae et Ponti*.

Literarum AMB., quae sunt in numo III., impeditior est explicatio. Belleyus eas legit: A, id est: Πρωτη Μητροπολις Βιθυνιας [d]). Non animum advertit vir eruditus ad id, quod refert Dio Chrisostomus [e]), Nicaeam primatus quidem titulum cum Nicomedia habuisse communem, at non metropoleos, ut mox diximus. Quod Dionis oraculum magni est ad rem praesentem momenti, nam I. ea vixit aetate, qua numus signatus est. II. Dixit istud ad ipsos Nicaeenses et Nicomedenses oratione publica, ergo utriusque jura penitus nosse debuit. Verum quidem est, Nicaeam Straboni dictam fuisse metropolin [f]), at enim a Strabonis aetate usque ad Domitianum multa poterant in urbium juribus permutari, et verum scripsisse Strabo, ut tamen propterea non falsum dixerit Dio coaevus, et in Bithynia praesens, et publice orator. Si, ut censet Belleyus, Nicaeenses urbem suam dixere metropolin, ut pares se esse Nicomedensibus adfectarent, cujus exempla analoga praestant Anazarbus et Tarsus, quaeri jure potest, fueritne positum in arbitrio urbium, ut sese palam metropoles profiterentur nulla senatus R. auctoritate? Sin hujus permissu fuit metropolis, cur in unico numo eam profitetur dignitatem, in reliquis omnibus abstinet, praecipue si gestiebat aequalia habere cum Nicomedensibus jura? Cur velut metuentis more siglis tandum utitur, cum Nicomedia se plerumque metropolin plena scriptu-

c) Orat. 38. d) B. L. T. XXXI. hist. p. 284. e) Orat. 38. f) L. XII. p. m. 848.

Digitized by Google

ra profiteatur? Quam igitur significationem his dabimus literis? Fateor, rem a quaesitore difficilem, ac impeditam imperari, et nescio, sitne operae pretium, huic multum examini inhaerere, antequam de vera harum literarum lectione plane certi simus. Solus Arigonius hunc nobis numum dedit, cujus iconismi quam saepe a vero aberrent, satis cognitum perspectumque. Quod si quam licet tentare conjecturam, legi forte poterit: NEIKAEIΣ. ΠΡΩτοι ΠΟΝΤω Αριστοι Μεγιστοι Βιθυνιας., cujus lectionis insolentiam excusare possunt numi continuo sequentes, tum et quae in Tarsi Ciliciae numis ad literas AMK iis passim inscriptas observabimus.

Optimi Maximi.

ΜΕΓΙCTΩΝ. ΑΡΙCTΩΝ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Tres urnae cum palmis*, in antica capita Valeriani, Gallieni, Salonini. (Vaill. Theup.)

Varii sunt apud antiquarios horum epithetorum explicatus. Vaillantius putat, subaudiri *principum*, nimirum trium, qui in antica nominantur [g]). At cur idem inscribitur numo Gallieni, quem infra citat [h]), in quo unicum tantum Gallieni caput proponitur, et in aversa ΑΡΙCTΩΝ. ΜЄΓΙΣΤΩΝ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ.? Harduinus censet, subaudiri: *ludorum*, nempe in honorem Iovis *Optimi Maximi*, cui quidem sententiae suffragatur typus urnarum; verum cur in solis his numis ludi exprimerentur in gignendi casu, cum in copiosis aliis hujus urbis, etiam Gallieni aetate cusis, vigeat rectus, ut continuo videbimus? Froelichius [i]), et auctor catalogi Theupoli hos titulos deferunt ipsis Nicaeensibus. Istud si verum, nihil ad Nicaeensium insaniam addi posse videtur, qui, quae erant Iovis epitheta, sibi tribuerunt. De Tarsensibus, forte etiam Αριστοις, Μεγιστοις, vide horum numos.

* * *

Ludorum mentio in hujus urbis numis frequens.

ΙЄΡΟC. ΑΓΩΝ. *Urna:* Commodi. (Vaill.)

ΑΓΩΝЄC. ΙЄΡΟΙ. *Tres urnae*, Gallieni. (Pellerin.)

ΙЄΡΟC. ΑΓΩΝ. ΠΥΘΙΑ. *Tres urnae*, Valeriani. (Arigoni.)

ΚΟΜΟΔЄΙΑ. *Urna*, Commodi. (Vaill.)

CЄΟΥΗΡΙΑ. *Severus togatus stans d. pateram, s. hastam*, Severi. (Vaill.)

CЄΟΥΗΡΙΑ. ΑΥΓΟΥCΤЄΙΑ. *Duae urnae*, Philippi sen. (Vaill.) quod mirum, nisi forte, quem Philippum putavit, Severus est.

CЄΟΥΗΡΙΑ. ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ. ΜЄΓΑΛΑ. *Urna, hinc et inde caput Caracallae et Getae*, Severi. (Mus. Caes.)

ΑΥΓΟΥCΤΙΑ. ΚΑΙ. ΦΙΛΑΔЄΛΦΙΑ. *Capita Caracallae, et Getae*, Domnae (Vaill.)

CЄΥΗΡЄΙΑ. ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΙΑ. *Duae urnae*, Getae. (Vaill.)

ΔΙΟΝΥCΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Tres urnae*, Valeriani jun. (Pellerin.)

---

g) Num. Graec. p. 178. h) Pag. 182. i) Not. elem. p. 28.

Digitized by Google

ICΘM. ΠΤΘ. *Mensa cum tribus urnis*, Valeriani. (Vaill.)

* * *

Concordiae duplex modus in Nicaeae moneta habetur.

I. Concordia inter ipsos oppidanos inita, quam probat numus L. Veri, quem ex museo M. Ducis edidi: ΟΜΟΝΟΙΑ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ *Mulier stans ante aram d. pateram*, quo indicari solam inter cives concordiam, pluribus tum probavi [k]). Similis, sed Plautillae exstat in Theupoli.

II. Concordia cum exteris populis inita: ΝΙΚΑΙЄΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. — ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. — ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. nulla in his causa digna, cui immoremur.

Numos ΝΙΚΑΙЄΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. vide in Cilbianis Lydiae.

* * *

Situs definitur in numo Commodi: ΝΙΚΑ.ЄΩΝ. ΒΙΘΥ. *Commodus eques*, praecone uno Vaillantio.

Fluvius *Sagaris* Domnae numo inscriptus situm non indicat, ut supra dictum. *AE. C.*

NICOMEDIA.

Ad Propontidem, caput provinciae sub imperatoribus. Nomen traxit a rege Nicomede I.

Autonomi:

Sunt hi ejusdem rationis, cujus Nicaeenses, inscripto constanter magistratu Romano, et quidem

C. Papirii Carbonis: ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ. Typi: *Diota* ☧ *Clava caduceo juncta.* — *Caput Palladis.* ☧ *Victoria.* — *Capita jugata Bacchi Indici et Herculis* ☧ ΡΩΜΗ. *Roma sedens.* — *Caput muliebre.* ☧ *Diana stans cum face et arcu.* Sunt omnes AE. II. et apud Morellium in Fam. Papiria.

C. Vibii Pansae. ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ.ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΟΥΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. *Caput muliebre turritum.* ☧ *Aquila insistens fulmini.* AE. II. — *Eadem epigraphe. Caput nudum, secundum aliquos I. Caesaris.* (Vide dicta in Prolegomenis Bithyniae.) ☧ *Victoria.* AE. II. Morelli in Fam. Vibia.

Thorii Flacci procos. Hujus numos binos attulimus in prolegomenis ad Bithyniam.

* * *

Epochae anni leguntur in numis Papirii: ΔΚΣ., Vibii: ΒΛΣ. De hujus initio agitur in Prolegomenis iisdem. *AE. R.*

Imperatorii.

Majore numero exstant ab Augusto ad Gallieni aetatem.

Epigraphe: ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. ΝΙΚΟΜΗΔΕΙΑ. ΝΙΚΟΜΗΔΙΑC. prima syllaba saepe diphthongo ΕΙ. scripta.

Typi varii generis.

---

k) Num. vet. p. 184.

Digitized by Google

Saepe comparet *Aquila cum serpente*, quin et *Serpens erectus instar Glyconis Aboni ticheos.* In numo Gordiani singularis est typus: *Vir sacrificans adstante altero, advolante desuper aquila, et serpente subtus emergente.* (Beger T. II. p. 726.)

Aquilae et serpentis explicatum suppeditat Libanius. Narrat is [l]), conditoribus incertis, quo loco urbem statuerent, repente apparuisse aquilam et draconem, illam caput victimae ex igne unguibus eripuisse, utrumque mox contulisse se ad collem, quo fundari urbem divinitus fuit constitutum.

Numos inscriptos ΕΙΡΗΝΗ, — ΟΜΟΝΟΙΑ, vide in Prolegomenis Bithyniae inter numos proconsulum.

ΥΓΕΙΑ, *Hygia stans*, in numo Commodi, (Vaill.) nisi forte est Nicaeae.

ΣΤΟΛΟΣ. *Figura nuda stans d. extenta, s. gubernaculum inversum, pro pedibus prora navis*, Antonini. (Pellerin Rec. III. p. 228.)

Potest hic typus notare expeditionem maritimam, quam et vocabulum ΣΤΟΛΟΣ significat. Et fuit gubernaculum, et inversum quidem, symbolum Bithyniae, ac privatim Nicomediae, ut docent numi Hadriani: RESTITVTORI. BITHYNIAE. vel NICOMEDIAE. et infra numi concordiae, quo adeo Nicomedia propter situs opportunitatem urbem se navarchida voluerit profiteri. Sed potest nomine σολε etiam annona mari advecta notari. Sane in utroque Codice promiscue ponuntur *Alexandrinus stolus*, *Alexandrinum frumentum*, *commeatus frumentarii.* Verius ergo credam, Nicomedensibus ab Antonino decretam certam annonae mensuram, de qua principum in illustriores urbes liberalitate vide, quae dicentur in numis coloniae Laodiceae Syriae inscriptis AETERNVM. BENEFICIVM. Ex simili causa numis Tarsensium inscriptum legitur CЄΙΤΟC, *annona*, typo item navis.

Cereris et Proserpinae honores in his numis obvii, sed et teste Arriano in Bithynicis Nicomedia utrique deae sacra fuit.

* * *

Honorum tituli.

Metropolis: M. ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. in numo Germanici, quem descripsimus in Prolegomenis Bithyniae inter numos proconsulum. Non ergo hunc honorem Nicomedia primum sub Claudio nacta est, ut visum Vaillantio [m]).

Metropolis et Primatus.

Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. jam inde a Domitiano, et primatus adhuc mentio fit in numis Antonini, post hunc *metropolin* se tantum scripsit, et hujus quoque mentio inde a Severo desinit. Supra in Nicaeae moneta observavi ex Dione Chrysostomo, Nicomediam utroque honore et *metropolis* et *primatus* gavisam.

Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΝΙΚΟ. ΚΑΙ. ΠΡΩΤΗ. ΒΙΘΥΝΙΑΣ. ΚΑΙ. ΠΟΝΤΟΥ.

---

l) Tom. II. orat. VI. p. 203. m) Num. Graec. p. 208.

Digitized by Google

in numo Domitiani, (ex Pellerinio Belleyus B. L. T. XXX. p. 332.) item Trajani. (Harduin.)

Bithyniam cum Ponto fuisse conjunctam, docui in Prolegomenis Bithyniae.

Addendus hoc loco numus singularis: ΡΩΜΗΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ. ΝΕΙΚ. ΠΡΩ. ΒΙΘ. ΚΑΙ. Π. *Roma galeata thoraci insidens*, in numo Domitiani (Haym. T. II. p. m. 254. Theupoli.)

Honoris et adulationis causa Nicomedenses in his numis Romam vocant *metropolin*, quo sensu etiam Dionysius Periegetes eam dixit μητερα πασαων πολεων, *matrem omnium urbium* [n]). Ergo Nicomedenses, qui privatum suum metropoleos honorem nunquam addere neglexerunt, quotiescunque se πρωτας scripsere, eum tamen in praesentibus numis caute omisere, ne aequales se dignitate ipsi Romae ferrent, quam in eodem monumento *metropolin* appellavere.

* * *

Neocoratus mentio frequenter occurrit. Ejus prima fit in numis Antonini: ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΙΑΣ. ΜΗΤΡΟΠΟ. ΝΕΩΚΟΡ. (Vaill. Theup.) Iteratur primum sub Commodo: ΔΙΣ. ΝΕΩΚ., (Vaill.) idque constanter, ut ait Vaillantius, sub Severo, Caracalla, et sequentibus usque ad Valerianum, sub quo tandem in ejus doctrina incipit ΤΡΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, a quo ergo Nicomedenses tertium neocoratum adeptos censet. At Pellerinius integerrimos tres cum capite Caracallae e tenebris produxit inscriptos ΤΡΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., (Mel. II. p. 288.) neque soli hi sunt ante Valerianum cum hac epigraphe noti, nam et binos Elagabali (nisi forte et hi Caracallae sunt) sic inscriptos, et binos Alexandri reperias in museo Theupoli, quibus unum Alexandri addidit Arigonius. Sub Valeriano et Gallieno, eorumque familia jam ΔΙΣ. jam ΤΡΙΣ. comparet. In reliquis imperatorum omnium numis hactenus cognitis inde a Commodo constanter ΔΙΣ. tantum. Quod propter neocoratus implexam rationem latius exponere placuit, sed quoad fieri poterit, explicabitur in tractatu de neocoratu. Alterum neocoratum videntur adepti Nicomedenses favente Saotero et ipso Nicomedensi, et Commodo in paucis charo. Sane per hunc eos impetravisse a senatu, ut certamina celebrarent, et templum Commodo facerent, tradit Dio [o]).

* * *

Magistratus.

Numos, in quibus exarata sunt proconsulum nomina, vide in Prolegomenis Bithyniae.

Magistratus privati: ΕΠΙ. ΜΗΝΟΦΑΝΤΟΥ, in numo Veri. Dignitas non additur. Videntur primum civitatem rexisse *archontes*, nam in numo Commodi apud Pellerinium (Mel. II. p. 243.) legitur: ΕΠ. Α. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ. ΑΡΧ. *Praetores* inscribuntur inde a Macrino: ΕΠΙ. ΣΤΡ. Μ. ΛΟΝΓΙΝΟΥ. et

n) Descr. orb. v. 355. o) L. LXXII. §. 12.

Digitized by Google

similiter in numis Etruscillae, et Valeriani. (Vaill.)

* * *

Concordia notatur vario sensu:

I. Concordia inter imperantes:

M. ATP. ANTΩNINOC. A. ATP. OTHPOC. ATTOKPATOPEC. *Capita M. Aurelii et L. Veri se respicientia* X NIKOM. NEΩKO. OMONOIA. *Templum 4. col., intra quod mulier sedens d. pateram, s. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Nimirum exemplo monetae Romanae concordiam inter utrumque hunc Augustum frequenter jactantis.

II. Concordia inter oppidanos: NEIKOMHΔEIA. BOTAH. ΔHMOC. OMONOIA. *Figura senilis dexteram porrigit mulieri turritae*, in numo M. Aurelii. (Vaill. Theup.)

III. Concordia cum urbibus exteris:

Amasia: NEIKO.MHTP.AMACEΩN. OMONOIA. *Amazon dexteram porrigit mulieri turritae gubernaculum super humerum tenenti*, Severi. (Vaill. Theup.)

Amazone notatur Amasea, altera figura cum gubernaculo Nicomedia, cujus illud fuisse symbolum, dictum.

Smyrna: CMTP. NEIKOM. C. CTPA. M. CEΛΛIOT. *Amazon Smyrnae stans dexteram jungit cum muliere turrita stante juxta proram navis, s. gubernaculum inversum tenente*, Commodi, et Crispinae. (Arigoni, Pellerin. Mel. II. p. 114.)

Laodicea Phrygiae: Commodi. (Vaill.)

* * *

Ludi.

CETHPEIA. MEΓAΛA. *Duae urnae*, Severi. (Vaill.)

AKTIA. ΠYΘIA. *Vrna*, Caracallae. (Vaill.)

ΔHMHTPIA. *Vrna*, Caracallae. (Vaill.)

ANTΩNINIANA, *Vrna*, Elagabali. (Vaill.)

AE. C.

PRVSIA AD OLYMPVM.

Olympo M. adsita, quam Strabo esse opus pervetusti cujusdam Prusiae dixit, qui cum Croeso bellum gessit, at Plinius ab Hannibale aedificatam sub Olympo adseruit. Gentile hujus urbis est Προυσαευς, quo se reipsa ab aliis Bithyniae urbibus cum nomine adfini distinguit, nempe inscripto ΠPOTΣAEΩN., ut et in insigni epigrammate apud Muratorium legitur: ΠPOTΣAEIΣ. AΠO. OΛTMΠOT p).

Autonomi.

ΠPOTΣAEΩ- *Caput juvenile infra quod annus* ΔKΣ. X EΠI. ΓAI. ΠAΠIPIOT. KAPBΩNOΣ. *Roma sedens.* AE. II. (Pellerin.)

Caput muliebre turritum addito in aliis ΠPOTCA. X ΠPOTCAEΩN. *Cupido stans columnae innititur.* AE. III. (Pembrock, Sestini Lettere T. IV. p. 105.)

Epochae annus ΔKΣ. exigendus ad aeram Bithynicam, de qua egimus in Prolegomenis.

AE. BRR.

p) Pag. 1073.

Digitized by Google

Imperatorii.

Vulgati a Trajano usque ad Saloninam, cujus numum vulgavit Sestinius. (l. c.)

Epigraphe constans ΠΡΟΥCΑЄΩΝ. ΠΡΟΥCΑЄΙC.

Inter *typos* frequentius occurrit: *Vir nudus galeatus ingeniculatus d. pugionem.* Eo plerique existimant proponi Ajacem violentas sibi manus inferentem. Froelichius Gallum Cybeles sacerdotem sibi ipsi pessime consulentem putat q).

ΠΡΟΥCΑЄΩΝ. ΔΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΟΝ. *Iuppiter sedens d. hastam, s. Victoriolam,* Trajani. (Pellerin.)

Dubium non videtur, hunc Iovem a monte Olympo, cui adsita Prusa, nomen tulisse.

AE. R.

PRVSIAS AD HYPIVM.

Mediterranea ad Hypium fluvium, sic vocatum, quod ab Hypiis montibus decurrit, ut testatur scholiasta Apollonii r). Antiquitus dictum fuisse *Cieron* dixit Pellerinius, atque hoc nomine autonomum edidit inscriptum KIЄΡЄ, sed istud refutabimus in sequente Prusiade ad mare. Nomen certe tulit a rege Prusia, incertum, quo. Ptolemaco perperam dicitur *Prusa*, cui repugnat constans in numis gentile ΠΡΟΥCΙЄΩΝ.

Autonomus.

ΒΟΥΛΗ. *Caput muliebre turritum.* Ϟ ΠΡΟΥCΙЄΩΝ. ΠΡΟC. ΤΠΙΩ. *Nemesis stans d. ori admota.* AE. III. (Pellerin. Suppl. I. p. 14.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

Ab Antonino usque ad Gallienum.

Epigraphe: ΠΡΟΥCΙЄΩΝ. ΠΡΟC. ΤΠΙΩ., nempe ad Hypium fl., de quo continuo, cujus mentionem raro omittit.

* * *

Mentio situs, ut diximus. Omnium praestantissimus est numus: ΠΡΟΥCΙЄΩΝ. ΤΠΙCC. *Fluvius decumbens*, M. Aurelii, (Haym. T. II. p. m. 287.) quo typo et epigraphe docemur, Prusiadem non adstitutam fuisse monti hujus nominis, quod aliqui opinati sunt, sed fluvio. In marmore Muratorii supra citato legitur: ΠΡΟΥΣΙЄΙΣ. ΑΠΟ. ΤΠΙΟΥ s).

* * *

Numum Augusti, inscriptum, ut videbatur, ΠΡΟΥCΙΑC. ΤΠΙΩ., quemque propterea olim huic Prusiadi tribuendum putavi t), esse Temni Aeolidis, in hac dicetur.

Metropolis dicitur in numo Macrini apud Tristanum: (T. II. p. 299.) ΜΗΤΡ. ΠΡΟΥCΙЄΩΝ. ΠΡΟC. ΤΠΙΩ., verum non jam facile unius Tristani judicio acquiescimus.

AE. R.

PRVSIAS AD MARE, quae et CIVS.

Ad Propontidem, olim vocata *Cius*,

q) Appendic. II. novae. r) Argon. L. II. s) Pag. 1074. t) Num. vet. p. 190.

Digitized by Google

verum, ut narrant Strabo et Stephanus, Philippus V. Macedo eam expugnatam Prusiae Zelae F. dono dedit, qui eam de se *Prusiadem* appellavit. Idem factum refert Memnon apud Photium, sed his verbis: Prusiam cepisse Cieron Κιερων, Hercleae obnoxiam, eamque Prusiadem nominasse; cepisse item Tium etiam Heracleotis obnoxiam, ut sic Heracleam utrinque a mari ad mare clauderet. Hoc Memnonis testimonio nixus Pellerinius *Cieri* nomine numum edidit: *Caput nudum incertum.* Ϡ ΚΙΕΡΕ. *Figura nuda gradiens d.* — — AE. II. eumque Prusiadi ad Hypium tribuere non dubitavit, (Rec. II. p. 24. Suppl. 1. p. 15.) cusum, ut opinabatur, tum, cum adhuc pro Prusiade Cieri nomen teneret. At enim Memnonem hac Cicro nostram hanc Cion indicasse, non modo ex collato, quem antea citavi, Strabonis loco palam fit, sed etiam ex iis, quae ibidem de eadem Cio addit: *ad hanc et appulisse Argonautas, sublatumque ex oculis Hylam, et circumerrasse Herculem ad eum quaerendum, fama est.* Iam vero haec omnia ad hanc Cion contigisse, et insuper annua a Cianis Hylae gratia constituta sacra testantur auctores locupletes, Strabo [u]), Apollonius [x]), Solinus [y]), Dionysius Alexandrinus. Ergo manifeste erravit Memnon pro *Cio* scribendo *Cieron*, quem alioqui saepe in re geographica ineptire arguit Holstenius [z]), et quod sequitur, si numus hic ad aliquam Prusiadem pertineret, pertineret certe juxta ejusdem Memnonis verba ad hanc nostram Propontidi adsitam, omnium vero minime ad alteram ad Hypium, quam in mediterraneis numerat Ptolemaeus, et ipse Memnon, cum tamen Cieron fuisse maritimam idem Memnon cum per clausos a mari ad mare Heracleotas, tum per appulsum της Αργους profiteatur. Nihil ergo huic numo inscripto ΚΙΕΡΕ cum Prusiade qualicunque, alioqui spectatis etiam aliis causis nihil habet Bithynici.

Fuit ergo haec Cius serius vocata *Prusias*, atque ut ab altera cognomine ad Hypium distingueretur, dicta *ad mare*, quod non modo numi docent inscripti: ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΗΙ., sed etiam epigramma Muratorianum in utraque urbe praecedente citatum: ΠΡΟΥΣΙΕΙΣ. ΑΠΟ. ΘΑΛΑΣΣΗΣ.

Autonomi nomine Cii.

Caput Apollinis laureatum, infra quod ΚΙ. Ϡ ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΣ. *Prora navis.* AR. III. (Pellerin Rec. II. tab. LXVII. n. 23.)

Caput Apollinis laureatum. Ϡ ΚΝΙΑΚΡΟ. *Prora navis.* AE. III. (Pellerin l. c. n. 34.)

Caput Apollinis laureatum. Ϡ ΑΘΗΝΟΔΩΡΟΣ. *Prora navis.* AR. III. (Pellerin Rec. tab. XXVI. n. 9.)

Caput Apollinis laureatum, infra quod Κ. Ϡ ΒΑΚ. ΜΕΓΑ. *Prora navis.* AR. III. (Hunter tab. 36. n. 19.)

Caput Apollinis laureatum, infra quod

u) L. XII. p. m. 845. x) Argon. L. I. v. 1321. y) Cap. 42. z) Ad Steph. in Πριηα.

Digitized by Google

KI. Ϟ ΠΡΟΞΕΝΟΣ. *Prora navis.* AR. III. (Mus. Gradenigo.)

Caput Apollinis laureatum, infra quod KIA. Ϟ ΠΡΟΞΕΝΟΣ. *Prora navis.* AR. III. IV. (Sestini Lettere p. 86.)

Caput Apollinis laureatum, infra quod KIA. Ϟ ΑΘΗΝΟΔΩΡΟΣ. *Prora navis.* AR. III. IV. (Sestini l. c.)

Caput idem Ϟ ΜΙΛΗΤΟΣ. *Prora navis.* AR. III. (Ibid.)

Pellerinius numum ex descriptis primum, etsi in eo legatur KI., Cnido tamen tribuere non dubitavit. Causa illi haud dubie, quia in numo altero cetera simili legit KNIAKPO, in cujus literis prioribus KNI. Cnidum, in sequentibus AKPO. initium magistratus videre sibi visus est. Numum tertium esse Demetriadis Thessaliae conjecit. Numum IV. Combius propter inscriptum ΜΕΓΑ. Megaris Atticae dedit, (Mus. Hunt. p. 194.) consentiente etiam Neumanno. (Num. pop. P. II. p. 225.) Mihi pridem verisimile visum, quia in his numis constanter infra caput Apollinis K. vel KI. conspexi, nomen urbis ab his literis petendum, et conjeci adeo, eos omnes Cisamo Cretae restituendos. At cum nuper in opere a cl. Sestinio vulgato viderem, in aliis similibus magis integris legi KIA., non amplius dubitavi sequi sententiam viri eruditi, eos omnes Cianis Bithyniae adjudicantis, quidcunque deinde significabunt vocabula KNIAKPO, vel BAK. ΜΕΓΑ., quae exemplo aliorum videntur esse nomina magistratuum forte ex numis exesis male excepta. Sunt ergo numi hi Cianorum antiquissimi, et signati, antequam urbs, ut dictum, pro Cio Prusias appellari coepit, quam etiam aetatem universus eorum modus palam profitetur. Apollinis cultus tractus videtur a Mileto Cii nostrae metropoli; ut auctor est Plinius [a]), neque dubitem, matrem Miletum notari vocabulo ΜΙΛΗΤΟΣ, quod inscriptum est numo postremo, signatumque illum tum, cum materna adhuc jura in filiam praevaluere.

* * *

Autonomos alios resuscitato Cii nomine vide infra.
AR. RR.

Autonomi nomine Prusiadis.

Caput Herculis barbatum diadematum. Ϟ ΠΡΟΤΣΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΑΝ. *Arcus et clava.* AE. II. (Goltzius in Asia tab. 5.) Sed in alio fere simili scriptum: ΘΑΛΑΣΣΗ. (Pembrock.)

Caput Herculis leonis exuviis tectum. Ϟ ΠΡΟΤΣΙΕΩΝ. *Clava, clypeus, arcus.* AE. III. (Goltz. l. c.)

Caput Apollinis. Ϟ ΠΡΟΤΣΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣ - - *Tripus.* AE. III. (Panel Cistoph. p. 41.) Alius, sed: *Caput Dianae.* (Sestini Lett. T. IV. p. 108.)

De his autonomis mox in imperatoriis redibit mentio.
AR. RRR.

---

[a]) L. V. §. 40. sub fin.

Digitized by Google

Regii.

Numos cum mentione reginarum Musae et Oradaltidos in hac urbe signatos vide infra in numis regum Bithyniae.

Imperatorii Prusiadis nomine.

Prusiadis nomine signatum unicum novi, qui certe hujus sit urbis.

TON. KTIΣTHN. ΠPOTΣIEIΣ. *Hercules nudus stans d. clavam, s. spolia leonis*, in numo Domitiani. (Theupoli.)

Explicatus causa hujus urbis autonomos, sed Cii nomine, advoco: aliumque imperatorium:

TON. KTICTHN. *Caput nudum barbatum Herculis specie.* ℞ KIANΩN. *Triremis.* AE. II. (Mus. Caes.)

HPAKΛEOTΣ. KTIΣTOT. KIANΩN. *Pharetra cum arcu*, in numo Claudii. (Sestini Lett. T. IV. p. 103.)

Cii conditores varii a veteribus produntur. Secundum Strabonem Cius Herculis socius a Colchis reversus eam de suo nomine statuit [b]). Apollonius nomen traxisse a Cio fluvio, et conditam a Polyphemo [c]). Ejus scholiastes Aristotelem citat adserentem, eam appellatam a Cio Milesio coloniae duce [d]). Scholiasta Theocriti a Cio Olympi F. conditam refert [e]). At ego in autonomo hoc indubitatum Herculis caput video, et secundum citatos supra Goltzii et Pembrockii autonomos Herculis arma in aversa proposita istud plane persuadent. Constat, Herculem, ut Hylam quaereret, diutius huic plagae immoratum. Quare facile creditum Cianis, ab eodem suam constitutam urbem, ut amabat Graecorum vanitas, ad deos referre urbis suae originem, et dubium adeo non est, numum Domitiani, de quo agimus, qui Herculem KTIΣTHN aperte profitetur, ad hanc Prusiadem pertinere. Hanc sententiam ipsa omissa situs mentio non obscure confirmat, nam cum in aliis utriusque Prusiadis numis fere constanter addatur vel *ad Hypium*, vel *ad mare*, in hoc istud dissimulatur, quia Prusiadem ad mare satis conditor Hercules indicat.

Eidem Prusiadi videtur tribuendus numus:

ATT. KAI. OTEΣΠAΣIANΩ. ΠPOTΣIEIΣ. *Caput Vespasiani.* ℞ *Nomen Plancii procos. et typus arae*, quem numum jam dedimus in Prolegomenis ad Bithyniam sub proconsulibus.
AE. RRRR.

Nomine CII resuscitato.

Cianos vetus suum nomen *Cii* abolito adventitio *Prusiadis ad mare* respexisse, numi luculente docent, et factum istud crederem sub Domitiano, nam, ut vidimus, cum hujus capite exstat numus inscriptus ΠPOTΣIEΩN, et exstant alii, ut videbimus, inscripti KIANΩN, sed jam unum Claudii vulgavit Sestinus. Posteriorem hanc epigraphen reliquorum imperatorum numi omnes praeferunt.

Autonomi.

TON. KTICTHN. KIANΩN. etc. qui numus mox supra in imperatoriis descrip-

b) L. XII. p. m. 345. c) Argon. L. I. et IV. d) L. I. e) Ad Idyll. XIII. v. 30.

Digitized by Google

tus est. Videtur signatus post Domitianum, nam qui hujus urbis sub hoc signati sunt, Σ pro C offerunt.

Caput juvenile pileo incurvo tectum. Ϟ ΚΙΑΝΩΝ. *Clava.* AE. III. (Neumann Num. pop.)

AE. RRR.

Imperatorii.

Sunt a Claudio ad Saloninam usque.

Epigraphe: ΚΙΑΝΩΝ.

Typi praeter obvios alios:

Hylas puer s. vas (κάλπιδα) *tenens aquatum abit*, Alexandri Sev. (Arigoni.)

Nimirum is submersus in Cio fl., aut raptus a Nymphis Hercule illacrumante.

ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ. ΚΤΙΣΤΟΤ. ΚΙΑΝΩΝ, in numo Claudii supra indicato.

* * *

ΖΕΤΣ. Τ. ΚΙΑΝΩΝ. *Iuppiter stans d. Victoriolam, s. hastam*, Domitiani. (Pellerin.)

An in hoc numo T. positum pro ΤΩΝ?

CЄΤΗΡΟΤ. ΒΑCΙΛЄΤΟΝΤΟC. Ο. ΚΟCΜΟC. ЄΤΤΤΧЄΙ. ΗΛΚΑΝΟΤ. ΚΙΑΝΟΙ. *sine typo, nisi parva corona in imo posita*, Severi. (Haym. T. II. tab. 39.)

Vide similem inscriptionis modum in numis Nicaeae, et Caesareae Cappadociae. Ceterum quid de vocabulo ΗΛΚΑΝΟΤ statuendum sit, hucusque ignoro. Pro eo Harduinus legit: ΗΑΦΑΡΙΟΤ, (ad Plin. Tom. I. p. 289.) et more suo explicat.

* * *

Magistratus inscriptos reperio sequentes:

ЄΠΙ. ΑΡΧΙЄΡЄΩΣ. ΚΛΑΤ. ΒΙΑΝΤΟΣ. ΚΙΑΝΩΝ. *Iuppiter sedens*, in numo Domitiani et Domitiae. (Vaill. Mus. Christinae.)

ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΚΡΑΤΙΠΠΟΤ. Alexandri. (Vaill.)

* * *

Nomen ab Hadriano: ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΚΙΑΝΩΝ. in numo Hadriani, quem olim ex museo Caesareo vulgavi [f]), et in numo M. Aurelii. (Arigoni.)

AE. R.

PYTHOPOLIS.

Hoc nomine tres urbes memorantur, ignobiles omnes. Una, quam in Bithynia a Theseo conditam refert Plutarchus [g]), et cujus meminit quoque Plinius. Altera, nisi eadem est cum priore, quam in Mysia collocat Stephanus, et cum quo conspirat Aristoteles de Mirabil. auscult. saltem secundum MS. bibliothecae Caes. Vindob., nam in libris editis legitur *Mythopolis*, quo modo eadem quoque urbs perperam scribitur in Antigono Carystio [h]). Tertia teste iterum Stephano Cariae, sed quae serius dicta est Nysa; at idem parum sibi constans alibi Antiochiam Cariae dictam Pythopolin adfirmat [i]).

Pythopoli Bithyniae *autonomum* tribuit Pellerinius, sed quem esse insulae Samothraciae, in hujus numis dictum.

---

f) Sylloge I. p. 34. g) In Thes. p. 12. h) Hist. mir. c. 178. i) In Antiochia.

Digitized by Google

TIVM.

Maritima ad Billaeum fl. ad fines Paphlagoniae, ex quo oppido fuit Philetaerus regum Pergami caput.

Autonomi.

ΤЄΙΟC. *Caput juvenile diadematum.* ꝳ ΤΙΑΝΩΝ. *Mulier stans juxta aram d. rotam super cippo tenet, s. cornucopiae.* AE. I. (Pellerin Rois p. 206)

ΤЄΙCC. *Caput simile.* ꝳ ΤΙΑΝΩΝ. *Neptunus d. pede rupi insistens d. delphinum, s. hastam.* AE. II. (Ibid.)

Pars antica sistit *Tium* sacerdotem genere Milesium, a quo urbs nomen cepit, ut refert Stephanus. Mulier partis aversae est Nemesis, cujus etiam ipsum nomen nonnullis imperatoriis inscriptum legitur.
AE. RRR.

Imperatorii.

A Domitiano usque ad Gordianum.

Epigraphe: ΤΙΑΝΩΝ. ΤЄΙΑΝΩΝ., in numis Antinoi: ΤΙΑΝΟΙ.

ZЄΤC. CΤΡΓΑCΤΗC. *Iuppiter stans d. pateram, in aliis fulmen, s. hastam, pro pedibus aquila,* Domitiani, Trajani Antoninorum.

Pro CΤΡΓΑCΤΗC. Vaillantius constanter iis locis, quibus numos ipsos describit, legit ЄΤΡΓΑCΤΗC, at ubi de hoc Tianorum Iove privatim loquitur [k]), scribit ZΤΡΓΑCΤΗC. et ΣΤΡΓΑΣΤΗΣ. Quare et Froelichius de vera lectione dubitavit [l]). At in numis Domitiani, Trajani, Antonini, qui sunt in museo Caesareo, manifestum est CΤΡΓΑCΤΗC. Non satisfacit, quidquid Vaillantius ad explicandum istud vocabulum adfert, aut quod Harduinus, qui enixe vult legendum ΕΤΡΓΑΣΤΗΣ, quod idem esse putat cum contracto ΕΡΓΑΣΤΗΣ. *opifex.* Forte non inique dixeris, per synaloephen dictum CΤΡΓΑCΤΗC pro CΤΝЄΡΓΑCΤΗC, quasi *cooperator*, et hoc pro CΤΝЄΡΓΑCΤΗΡ, vel CΤΝЄΡΓΑΤΗC, perinde atque dicitur πρᾶγμα pro πρὸ ἔργου, tum ὁπιζης et ὁπιζης, ut adeo Tiani Iovem coluerint tanquam operum suorum socium et adjutorem, qualem Vlyssi se addixit Pallas. Eodem sensu Antiochus I. in celebri Sigeorum psephismate dicitur sibi adscivisse τὸ δαιμόνιον ἐυνουν καὶ ΣΤΝΕΡΓΟΝ, *deum benevolum, et OPERIS SOCIVM* [m]). Huc pertinet Gruteri SVRGASTEO. MAGNO [n]). sed quale fuerit istud numen, lapis in incerto relinquit.

ΔΙΟΝΤCOC. ΚΤICΤΗC. *Bacchus stans solito cultu*, Aurelii. (Vaill.) Tranquillinae (Sestini Lettere T. IV. p. 108.)

Fuisse Tium Milesiorum coloniam, tradit Mela, nomen accepisse a Tio sacerdote Milesio narrat Stephanus ex Philone, atque idem ex Demosthene, Patarum fuisse urbis conditorem. Graecula vanitas Bacchum urbis auctorem maluit.

ΑCΚΛΗΠΙΟC. ΤΙΑΝΩΝ, Antonini. (Vaill.)

ΤΟΝ. CΩΤΗΡΑ. ΤΙΑΝΟ. *Aesculapius stans*, Severi. (Pellerin.)

---

k) Pag. 295. l) Not. elem. p. 57. m) Chishull Ant. Asiat. p. 50. n) Pag. 107. 3.

Digitized by Google

NEMECIC. TIANΩN. Antonini et Aurelii. (Vaill.)

* * *

Situs definitur a fluviis:

BIΛΛAIOC. CAPΔΩ. *Fluvius decumbens*, Aurelii. (Haym. T. II. p. m. 286.)

BIΛΛAIOC. CAPΔΩ. *Duo fluvii decumbentes medio Bacchi stolati signo*, Antonini. (Mus. Caes.)

Billaeus Tianorum ex geographis notus, Plinio scribitur *Blilis*. At *Sardo* veteribus omnibus ignotus. Harduinus in eodem numo pro CAPΔΩ legit CAΓAPIC, qui est *Sagaris* vel *Sangarius*, quem etiam habent numi Iuliopolis et Nicaeae. Ab hoc adlui Tium dicit, quod certe falsum. At Vaillantius testatur, CAPΔΩ in numo regio probe legi, atque idem docet numus musei Caesarei. Videtur ergo Sardo ignobilis esse rivus prope Tium in mare, vel Billaeum exiens.

AE. B.

REGES BITHYNIAE.

Reges Bithyniae vetustiores Dydalsus, Botiras, Bas, Zipoetes I. quia numis carent, ad praesens institutum non pertinent. Eorum seriem et res gestas enarratas videas apud Reinerum Reineccium, et Sevinum eruditum Gallum, qui regum Bithyniae historiam scribere aggressus est, cujus partes exstant in Actis Parisinis T. XII. Mem. p. 316. Tom. XV. p. 21. et Tom. XVI. Mem. p. 141., sed eam morte praeventus cum Prusia I. finivit. Eorundem regum historiam scripsit Vaillantius regum Ponti et Bospori historiae adjectam. Haymius eorum, quot potuit, numos collegit et illustravit o).

NICOMEDES. I.

Zipoete mortuo, qui prudentia ac scientia militari clarus regni sui res egregie promovit, circa annum V. C. 476. successit filius Nicomedes I. Vt bella intestina averteret, mox ab adito regno fratres e medio tollit, atque eodem tempore, ut adversum bella externa tutum sese praestaret, quae sibi Antiochus I. Syrus minabatur, Gallos e Thracia trans Hellespontum certis legibus in armorum societatem vocat. Quod consilium ut temerarium videri poterat, eorum tamen ope bellum periculosum depulit. Nicomediam deinde aedificat, illustre olim Bithyniae decus futurum. Regno magna cum laude administrato moritur circa annum V. C. 503.

Reliquit liberos *Zelam*, *Prusiam*, *Lysandrum*.

Numi:

Caput diadematum imberbe. Σ BAΣIΛEΩΣ. NIKOMHΔOT. *Diana alte*

o) Thes. Brit. T. II. p. m. 51.

Digitized by Google

succincta trunco insidens d. duas hastas s. quid paraxonio simile, pro pedibus scutum pereleyans, retro arbor decisis ramis, in area Victoriola, et monogramma. AR. I. (Mus. Caes.)

Praeclarum hunc numum pridem edidit Froelichius p), eumque ex tribus hoc nomine Bithyniae regibus huic primo vindicavit, quia in hoc lineamentorum conformatio multum diversa est ab iis, quae Nicomedem II. ac IV. in numis distinguunt. Addit vir praeclarus, sequentes hujus nominis reges addidisse titulum ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ, et epochae annos, quorum utrumque in hoc numo desideratur. Mulierem sedentem partis aversae Dianam Thraciam putat, (fuisse autem Nicomedis majores domo Thracas) secundum Hesychium vocabulo Thracio dictam *Bendin*, et Δίλογχον, quod binas hastas gereret. Nomus hic, quod unicus forte est, et operis praestantissimi, insignis est meriti.

Numi NICOMEDIS incerti.

Caput imberbe diadematum. ΧΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΝΙΚΟΜΗΔΟΤ. *Mulier sedens d. ramum attollit, s. hastam.* AE. III. (Pellerin.)

In alio: *Equus gradiens.* AE. II. (in meis Num. vet. p. 192.)

Cum in numis his solum legatur ΒΑΣΙΛΕΩΣ, videri possunt eodem, quo praecedens, jure Nicomedi I. tribuendi. Verum constat, reges non semper omnes suos titulos in numis proposuisse. Ad haec facies regis in iis multum abludit ab ea, quae est in praecedente, Sed enim criteria a lineamentis petita in numis regum, etsi affabre factis, nimium saepe in vado destituunt, quod malum cum in his Bithyniae regibus, tum aliis quoque molestum experimur.

* * *

ZELAS Nicomedis I. filius cognitis novercae insidiis in Cappadociam fugit. Patre mortuo Bithyniae regnum testamento in fratres collatum repetiturus redit, illudque sibi variam expertus fortunam Gallorum denique ope vindicat. Horum proceribus cum insidias strueret, his detectis ab iis ipsis in convivio obtruncatur incertum, quo anno.

Reliquit filium *Prusiam*, sed numis ipse caret.

PRVSIAS I.

Zelae filius, varia cum Byzantiis et regibus Pergamenis bella gerit. Philippi V. Macedoniae regis auxilio adjutus, cujus sororem sibi matrimonio junxit, ut dicetur infra, urbes Cium et Myrleam sibi subjicit, illam de se Prusiadem, hanc de uxore Apameam vocat. In Heracleae obsidione adflicto ex lapsu femore *Claudus* deinceps appellatus est. Per Romanorum in Asia bellum ipse tantisper quietus, verum cum illo finito decedere Phrygia a senatu juberetur, quam occupaverat, vindictam meditans Hannibalem in Armenia exulem evocat, sed paullo post ipse moritur circa annum V. C. 566 q).

p) Reg. vet. num. p. 40. q) Sevinus l. c. in Prusia I. Vaillant.

Digitized by Google

Numos Prusiae I. vide infra in Prusia II.

PRVSIAS II.

Prusiae I. filius. Fuerunt, qui unum tantum agnoscerent Prusiam, quos inter Reinerus [r]), et Sigonius [s]). Sed praeterquam quod historici Prusiam unum cognomento *Claudum*, alterum Κυνηγον, *venatorem* memorant, binos Prusias invicte statuunt numi. De altero hoc Prusia haec Appianus [t]), Polybius [u]), et Livius [x]), capto Perseo ultimo Macedonum rege, cujus sororem duxerat, ducibus Romanis pileatum et raso capite occurrisse, seque populi R. libertum palam appellasse. Ab his missum Romam, cum et hic ridiculus et minime metuendus compertus esset, facile in regnum remissum. Cum sese suis propter saevitiam exosum, et Bithynorum studia in filium Nicomedem inclinare intelligeret, eum Romam abire jussisse, sed qui subinde reversus inita cum Attalo Pergami rege conspiratione, oppresso repente caesoque patre Bithyniae regnum occupavit. Obiit circa annum V. C. 604.

Numi PRVSIAE I.

Caput diadematum barbatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΡΟΤΣΙΟΥ. *Iuppiter seminudus stans d. protenta coronam, s. hastam, per aream varia monogrammata, plerumque* TA. AV. II. AR. I. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Numi PRVSIAE II.

Caput regis diadematum adstituta ala cum barbae tantum indicio. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΡΟΤΣΙΟΥ. *Typus similis.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caput juv. diadem. cum ala. ℞ *Ead. epigraphe. Hercules stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numi PRVSIAE alterutrius.

Caput Bacchi. ℞ *Centaurus lyra canens.* — *Caput Iovis.* ℞ *Victoria stans d. lauream*, vel: *Tropaeum.* — *Caput Apollinis.* ℞ *Lyra.* — *Caput Mercurii.* ℞ *Caduceus.* Sunt omnes AE. III. et inscripti: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΡΟΤΣΙΟΥ. (Mus. Caes. Neumann.)

Numos ΠΡΟΤΣΙΟΥ nomine insignes in tres classes distribui, quarum I. sistit caput regis diadematum barbatum, II. caput regis diadematum alatum, III. aliquod in antica caput divinitatis.

Caput regium, quod est in numis classis I., adeo sive lineamentis oris, sive cultu abludit ab eo, quod sistunt numi classis II., ut dubitari non possit, binos in iis varios Prusias esse propositos. Quare falluntur ii, qui, ut dixi, unum tantum in Bithynia hoc nomine regem agnovere. At molestum criterium, quinam utrique regi numi sint tribuendi. Vaillantius et Pellerinius numos cum capite regis barbato omnes Prusiae I. adjudicant, alios cum imberbi Prusiae II., sed ejus rationem discriminis non exposuere. Spanhemius et Froelichius statutum ab iis ordinem inverterunt. Atque ille quidem numos classis II. propter ipsam alam tribuit Prusiae I., persuasus, eo attributo indicari hominem δεξιηειον, seu *in ge-*

r) In regib. Bith. s) De ant. jure prov. t) Bell. Mithr. c. 2. seq. u) Leg. 97. x) L. XLV. c. 44.

Digitized by Google

rendo celerem et efficacem, quo ingenio fuit Prusias I., omnium vero minime Prusias II. y). Froelichius caput barbatum tribuit Prusiae II. Vna illi ratio, quod hic rex ab Appiano deformi fuisse vultu, et dictus *Venator* perhibetur z). At numi eum deformem non sistunt, sed facie potius liberali, una vero barba turpitudinis indicium non facit. Begerus, sed aperto is peccato, utriusque classis numos Prusiae II. largitur a). Quae sententia sit praestabilior, inquirendum.

Ala, quae in classis II. numis diademati conjungitur, in hoc examine cumprimis observanda. Begerus ea censet indicari magnitudinem, vel gloriam regiam b). Spanhemii sensum mox exposui, cum quo et consentit Froelichius c). His ergo viris eruditis explicatus allegoricus placuit. Verum ego aliam subesse adscititii hujus cultus causam suspicor. Diximus in numis Alexandri M., hunc regem Ammonis cornu sibi adplicuisse, quia Ammonis filius credi voluit; diximus in numis Lysimachi Thraciae regis, et Demetrii I. Macedoniae regis, illum arietis, hunc tauri cornu, Bacchi certis insignibus, usum, quia ille genus suum a Baccho derivavit, hic Bacchum omni observantia coluit. His ergo praeeuntibus exemplis tantum abest, ut ad allegoriam advertendum animum putem, ut plane existimem, similis modi insaniam Prusiae quoque placuisse, et seu Mercurium, seu Perseum in majoribus suis numerasse. In utrumque deum speciosum quoddam jus habuit Prusias. Constat, Arcades Mantinenses Bithynium Bithyniae oppidum deduxisse coloniam. Hi ergo Bithynienses domo fuere Arcades, apud quos natus Mercurius, et quod sequitur, ejus fuere dei abnepotes eodem modo, quo T. Statilius in marmore Hadriani aetate posito, quod recitavi in numis Philippi V. Macedonis, se dixit Persei et Dioscurorum abnepotem, quod hi dii Argivi, et ipse quoque Argivus esset. Habuit igitur Prusias homo Bithynus causam honestam, (nam quae causa honesta non videatur arrogantiae et vanitati?) genus suum a Mercurio ducendi. At multo certius Prusiae II. in Perseum jus. Natus is est ex Prusia I., atque haud dubie Apame Philippi V. Macedonis sorore, quam Prusias I. uxorem duxit. Copiose in numis hujus Philippi comprobavi, eum ab heroe Perseo voluisse oriundum videri, qua de causa toties in ejus moneta caput Persei alatum recurrit, indito etiam propterea filio suo ab hoc heroe nomine. Ex quo sequitur, Perseum Prusiae II. in majoribus maternis fuisse, atque illius cultum jure ab hoc advocatum. Accedit, Prusiae II. teste Appiano collocatam fuisse ipsam Persei Macedonis sororem, ut diximus *). Posterior haec adscitae alae

y) Tom. I. p. 513. z) Not. elem. p. 193. 194. a) Thes. Br. T. I. p. 267. b) Thes. Br. T. I. p. 270. c) Not. elem. p. 124.

*) Mira apud scriptores veteres confusio in definiendis utriusque Prusiae uxoribus, cujus potior causa, quod in explicandis adfinitatibus adhibuere vocabula nimium communia ac vaga, ex quo enasci debuit auctorum nostrae aetatis dissensus. Secundum Vaillantium Prusias I. Philippi V.

Digitized by Google

causa si verisimilis videbitur eruditis, habemus promptum in utriusque Prusiae numis argenteis discrimen, sic ut ii, qui exhibent caput barbatum, tribuendi sint Prusiae I., qui imberbe alatum, Prusiae II. Sane hac una causa suadente, reliquis oppido vagis ac incertis, hanc mihi in iis definiendis legem praefixi. Ex simili causa Seleucum I. Syrum, ejusque filium Antiochum in jus alarum involasse, dicemus in utriusque numis.

Propter eandem causam eidem Prusiae II. dedi numos aeneos, in quorum antica est caput imberbe alatum diadema-

---

Macedonis filiam Apamen uxorem duxit. (in Prusia I. p. 317.) Dicti sui vadem non citat, sed videtur illud hausisse ex Polybio, qui Prusiam I. hujus Philippi κηδεστην vocat, (Hist. L. XV. c. 22.) quod *generum* fuerit interpretatus. Verum Appianus diserte narrat, Prusiam II. Venatorem matrimonio junctam habuisse Persei sororem, id est, Philippi V. filiam. (In Mithridat.) Ex quo sequeretur, Philippum filiarum unam elocasse Prusiae patri, alteram Prusiae filio. Quod cum vix sit verisimile, pronum est credere, Prusiae I. uxorem fuisse Philippi V. sororem, non filiam, nam κηδεστης jam generum, jam socerum, jam quemcunque adfinem notat, quod multis exemplis comprobavit Spanhemius. (ad Orat. I. Juliani p. 287.) Quod ipsum impulerit eruditum Sevinum, ut eam Philippi sororem confidenter adsereret. (B. L. T. XVI. Mem. p. 146.) Quod fuerit huic Prusiae I. uxori nomen, et istud disputatur. Sevinus Apamen vocat. Fuisse Prusiae I. uxorem dictam Apamen, tenemus ex Strabone, cum refert, eum acceptam Philippi beneficio Myrleam ab uxoris nomine Apameam vocasse. (L. XII. p. m. 845.) Quae quidem peristasis facile me adducit, ut credam, hanc ipsam Apamen fuisse Philippi sororem; nam cum narret Polybius, (l. c.) Philippum in capiendis urbibus Cio et Myrlea auxilio fuisse Prusiae, suo tum adfini, et Strabo, Myrleam vocatam Apameam ex nomine suae uxoris, patet sane, Prusiae uxorem tum fuisse sororem Philippi, eamque vocatam Apamen. Froelichius Apamen filiam Attali I. Pergameni facit, nescio, quo auctore. (Not. elem. p. 193.) At Reineccius: *Habuit Prusias in matrimonio Apamen Diegyllis Thracis filiam, et N. filiam Philippi regis Macedoniae.* Lapsus in his verbis manifestus. Nam etsi demus, unicum tantum fuisse Bithyniae regem nomine Prusiae, quod ille senserat, tamen certum est ex ipso rerum gestarum ordine, ut eas enarrant Appianus, et Strabo, (ll. cc.) praecessisse matrimonium cum Philippi sorore, secutum alterum cum Diegyllis filia, nam illud peractum Philippo vivo, alterum capto jam Perseo. Accedit, Apamen nomen fuisse Graecum; at sicut Diegyllis nomen est Thracium barbarum, sic dubium non est, filiae quoque appellationem ejusdem fuisse indolis. Sane Numulizinthin Diegyllis filiam prodit Valerius Max. (L. IX. c. 2.) Secundum haec ergo argumenta habemus probabilem Prusiae I. uxorem Apamen Philippi V. filiam. Prusiae II. duas fuisse uxores, certum est, priorem anonymam, sororem Persei ex Appiano, (l. c.) et Livio, (L. XLII. 12.) alteram idem Appianus paullo infra obscure indicat, cum Diegyllin Thraciae regem Prusiae κηδεστην appellat. Sed hoc vocabulum iterum molestum, et incertum, an *socerum* dicas, an *generum*. Interpres editionis Henrici Stephani, (pag. 174.) tum et postremus ejus interpres Schweighaeuserus (Vol. I. P. II. p. 649.) vertunt *socerum*, A. Valesius *generum*. (ad Diodori exc. T. II. p. 595. ed. Wessel.) Secundas tamen nuptias aperte indicat Iustinus: (L. XXXIV. c. v.) *Eodem fere tempore Prusias consilium capit interficiendi Nicomedis filii, dum consulere studet minoribus filiis, quos ex noverca ejus susceperat.* Ex his colligo, Prusiam II. natum ex Apame Philippi sorore, ut avunculum tum potentem impensius observaret, addidisse

Digitized by Google

tum. Videtur Pellerinius in his caput Mercurii vidisse [d]). Verum ut Mercurio competunt alae, sic nequaquam diadema, quod in tribus illaesis musei Caesarei luculentum est.

Numi aenei, quos loco III. descripsi, cujus sint Prusiae, quia criteria, quae fidem facere queant, penitus absunt, adfirmare non audeo.

Numi Prusiae I. aurei et argentei summae sunt elegantiae. Begerus Iovem partis aversae putat esse Tarantaeum, teste Stephano sic dictum a Tarento Bithyniae oppido, faventibus huic opinioni literis TA. plerumque adstitutis [e]).

NICOMEDES II. EPIPHANES.

Regnum, ut diximus, parricidio auspicatur. Romanos in bello Aristonici juvat. Multis cum Mithridate VI. Ponti rege Cappadociae causa turbis collisus a Socrate filio occiditur circa annum V. C. 660, cum imperium ultra annos L. porrexisset. Alii hoc parricidium in Nicomede III. patratum censent.

Numi:

Caput regis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ. *Iuppiter seminudus stans d. elata coronam, s. hastam, in arca aquila fulmini insistens, et anni:* ΝΡ. ΒΞΡ. ΕΞΡ. ΘΞΡ. ΕΟΡ. ΗΟΡ. ΘΟΡ. ΠΡ. ΑΠΡ. ΓΠΡ. ΖΠΡ. ΗΠΡ. ΑΡ. I. (Haym. T. II. p. m. 55. Pellerin Rois, Mus. Caes. Belley B.L.T. XLII. p. 46.)

Sola oris lineamenta numos Nicomedis II. et IV. distinguunt. Nam etsi utriusque moneta annos inscriptos habeat, cum non constet, quo anno mortuus sit Nicomedes II., certi esse ex solis his annis non possumus, utrum anni ΗΠΡ. ΗϘΡ. sint ultimi Nicomedis II., an primi Nicomedis IV. At cum caput, quod est in numis ab anno ΝΡ. usque ΗΠΡ. multum differat ab eo, quale cernitur in numis ab anno ΗϘΡ. et sequentibus, evidens est, illos esse Nicomedis II., hos Nicomedis IV.

De epochae, ad quam hi anni referuntur, exordio adhuc vago, actum in prolegomenis ad numos Bithyniae.

Numi regi huic cognomen Epiphanis tribuunt, sed eodem praeditum quoque fuisse Nicomedem IV., continuo videbimus.

NICOMEDES III. Philopator.

A nonnullis eruditis hic rex plane omit-

---

capiti suo alas, sibi per Philippi sanguinem a Perseo heroe tractum debitas, quod jus firmatum amplius subinde est juncta sibi matrimonio ejusdem Philippi filia. Duraverit haec observantia, quamdiu res successoris Persei integrae steterunt; at hoc a Romanis capto constat ex auctoribus, quos supra in ejus vita citavi, cum adcurrisse Romam, et servilem in modum senatui victoriam de Perseo gratulatum, atque tum, ut quo esset adfectus animo, palam testaretur, repudiata Persei sorore verisimile est inductam filio Nicomedi novercam, cujuscunque ea filia fuerit. Haec omnis lis adcuratius in judicium vocanda videbatur, ut agnito Prusiae cum Macedoniae regibus nexu etiam alarum causa a me constituta stabiliretur.

[d]) Rois p. 183. [e]) Tom. I. p. 269.

Digitized by Google

titur, ut dicetur in Nicomede sequente. Non valde gravate istud ferimus, cum etsi exstitisset, numis careat.

NICOMEDES IV. EPIPHANES.

Pulso propter parricidii infamiam Socrate malebant Bithyni alterum ejus filium Nicomedem sibi praeficere secundum Memnonem apud Photium natum ex Nysa, quam per ludibrium *saltatricem* appellavit Mithridates VI [f]. Ejectus a Mithridate, restitutus a Romanis valde turbidum habuit regnum. Apud hunc commoratum Iulium Caesarem juvenem non sine ignominia prostratae regi pudicitiae, fama tulit. (Suet. in Iulio c. 2. et 49.) Legato Romanis regno, quia rapiendum praeviderat, mortuus est V. C. 679. vel secundum Appianum 678 [g]. Bithynia subinde in provinciam redacta, ut diximus in prolegomenis ad numos Bithyniae.

Postremorum Bithyniae regum, Nicomedis nomine, mire confusa est historia, sic ut, quem auctorem sequi oporteat, in incerto haereas. Reinerus Reineccius Nicomedes tres post Prusiam II. Bithyniae reges memorat, nimirum Nicomedem II. III. IV., atque ab hoc postremo Bithyniam Romanis legatam. Idem Nicomedis III. regnum, quem *Philopatora* vocat, longius producit [h]. Spanhemius quoque Nicomedes tres Prusiae II. successores intulit, sed Nicomedi III. breve regnum dedit [i]. At Vaillantius in sua regum Bithyniae historia hunc Nicomedem III. ignorat, illique adeo Nicomedes III. est is, qui populum R. regni sui haeredem instituit, dictusque simul *Epiphanes*, simul *Philopator*, quod alterum illi nomen ab Appiano [k] datum comperit. Vaillantium secutus est Froelichius [l]. Dissidium istud componant historici. Ex numis istud tantum constat, fuisse post Prusiam II. reges duos Nicomedis nomine, an praeterea tertium aliquem, non produnt.

Numi:

Caput regis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ. *Juppiter seminudus stans d. elata coronam, s. hastam, in area aquila fulmini insistens, et anni:* ΗϘΡ. ΘϘΡ. Σ. ΕΣ. ϛΣ. ΖΣ. ΘΣ. AR. I. (Haym. l. c. Mus. Theup. Pellerin. Belley. B. L. T. XLII. p. 47.) *Alius cum anno* ΑΙΣ. (Sestini Lettere T. III. p. 146.)

Numus postremus cum anno ΑΙΣ. multum valet ad illustrandam epocham Bithynicam. Vide dicta in prolegomenis ad Bithyniae numos.

MYSA et ORADALTIS
reginae Bithyniae.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΜΟΥΣΗΣ. ΟΡΣΟΒΑΡΙΟΣ. *Caput muliebre.* Ϟ ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣ. *in alio plenius:* ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΗΙ. *Caput Herculis.* AE. III.

ΩΡΑΔΑΛΤΙΔΟΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΚΟΜΗΔΟΥ. ΘΥΓΑΤΡΟΣ. *Caput reginae diadematum.* Ϟ ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ. ΤΩΝ.

f) Iustin. L. XXXVIII. c. 5. g) Bell. civ. L. I. c. 111. edit. Schweigh. h) Part. III. p. 176. i) Tom. I p. 516. k) De Bello Mithrid. l) Notit. elem p. 194.

Digitized by Google

ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΗ. *Fulmen, omnia intra coronam.* AE. III.

Insignes hi numi binas reginas sistunt a scriptoribus omnibus neglectas, certe Bithynicas, nam signati sunt, ut aversae epigraphe eloquitur, apud Prusiadem maritimam, notam Bithyniae urbem.

MVSAE numum primus edidit Scipio Maffejus [m]). Secutus est alius similis me olim vulgante ex gaza Marchionis Savorgnan Veneti [n]). Ad eum explicandum Maffejus profert fragmentum Sallustii agens de Nicomede Bithyniae rege, in quo legitur: *cum filius NVSA, quem regem appellaverat, genitus haud dubie esset*, quae lectio in variis codicibus varie effertur, et in binis quidem: *cum filius MVSA etc.* deinde Memnonem apud Photium, qui sic habet: τον ἐκ Νικομηδους και Νυσης; denique Suetonium narrantem: Iulium Caesarem *in senatu defendisse NYSAE causam, filiae Nicomedis.* Sed varia haec testimonia magis adhuc impediunt virum eruditum, ambiguum, an NVSA vel NYSA dictante hoc numo in MVSA sit restituendum. Difficile enimvero, haec testimonia cum numo conciliare, et expectandum plus lucis. In nomine ΟΡΣΟΒΑΡΙΟΣ. Froelichius monetarii, aut artificis nomen latere suspicatur [o]). At nemo non videt, esse Orsobarin Musae patrem, suppresso ΘΥΓΑΤΡΟΣ, quod in sequente numo aperte ponitur. Memoratur Appiano *Orsabaris* Mithridatis VI. filia, a Pompejo M. in triumpho traducta [p]), quae forte per matrem ad eundem Orsobarin genus retulit.

* * *

ORADALTIDOS numum primus protuli ex eadem illustri gaza M. Savorgnan [q]). Ejus nullum in veterum monumentis vestigium. Neque mirum videatur, obscuriorem esse reginarum Bithyniae historiam, quando ipsos ejus reges nox atra premit, sic ut maxima ingenia in scribenda eorum historia non uno loco adhaereant. Ea difficultas in reginis tanto implicatior, quod raro a scriptoribus, etiam cum earum fit mentio, ipsa exprimuntur nomina, unde nata dissidia, quorum exempla supra in regibus dedimus. Huc accedit regum ejus aevi levitas in ducendis, ac mox repudiandis uxoribus, quo fit, ut haec nostra Oradaltis, vel quae proditur in marmore apud Chishul [r]), *regina Camasarta* ex nullius Bithyniae regis toro possit excludi, quia sive ipsa repudiata alteri locum fecit, aut sibi factus locus repudiata altera. Dicitur in numo *regis Lycomedis filia*, sed neque hujus regis historia in aprico est. Quos Lycomedes prodiderunt Strabo [s]), Hirtius [t]), Dio Cassius [u]), aut reges non fuere, etsi regii generis, aut si reges, fuerunt tempore posteriores, quam ut eorum filia esse potuerit Oradaltis no-

---

m) Ant. Gall. epist. 2. n) Num. vet. p. 193. o) Not. elem. p. 38. et 195. p) Mithrid. c. 117. q) Num. vet. p. 192. r) Ant. Asiat. p. 92. s) L. XII. p. m. 558. et 560. t) Bell. Alex. c. 66. u) L. LI. c. 2.

Digitized by Google

stra, ut tum probaveram. Observandum denique, simillimum alterum Oradaltidos numum serius a Neumanno nostro ex praeclaro suo museo editum x), sed qui pro elemento tertio A potius O videtur offerre, sic ut forte verum ejus nomen sit *Orodaltis*. Differt etiam, quod in eo manifeste legitur ΛΥΚΟΜΗΔΟΥΣ, cum in meo sit ΛΥΚΟΜΗΔΟΥ, sed utrovis modo scribas, ex grammaticae Graecae legibus perinde est. Sane in numis perpetuum est ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ, etsi scriptores legem ordinariam scribendo Νικομηδης, nonnulli, ceu Appianus, utramque sequerentur. Serius Excell. Comitissa Bentinck alium Oradaltidos meo simillimum edidit y).

x) Num. pop. P. II. p. 17. y) Supplement au Catalogue p. 46.

Digitized by Google

MYSIA.

Regio ad Propontidem et Hellespontum. Vaillantius et Harduinus prodidere numum Domitiani inscriptum MTΣIA typo *provinciae lugentis*. Eum Harduinus diserte huic Mysiae largitur. At ego nomine MTΣIA certius existimo intelligendam Daciam Cisdanubianam in Moesia positam, ut probavi in numis Moesiae.

ABBAETI MYSI.

Autonomi.

Caput Iovis. ΣMTΣΩN. ABBAITΩN. *Fulmen intra coronam.* AE. III. (Mus. Caes. Haym. Pellerin.)

Populi cujuspiam hoc nomine veterum nemo meminit, videturque dicti in his numis Abbaeti constituta extra Mysiam sede patrium *Mysorum* nomen addidisse, ut, unde essent profecti, sciretur, quas conjecturas copiosius propositas vide apud Haymium et Pellerinium.

AE. RR.

ADRAMYTIVM.

E regione Lesbi ad sinum cognominem. Scriptores veteres T geminant, at in numis simplex est, saltem secundum Pellerinium, et aliorum adcuratiorum catalogos, nam Vaillantius ejus quoque numos cum duplice T proposuit. Sed et Stephanus utrumque modum probavit.

Autonomi.

Epigraphe constans: ΑΔΡΑΜΤΤΗΝΩΝ.

Typi: in antica: *Protome Palladis*, vel *caput muliebre laureatum*, vel: *caput barbatum diadematum*, quod Pellerinius recte adserit esse Adramyti conditoris, qui fuit filius Alyattae, Croesi frater, ut Stephanus ex Aristotele refert. In aversa: *Iuppiter aetophorus stans*, (Pellerin,) qui videtur Adramytenorum princeps fuisse numen, nam eo usi sunt in numo Concordiae cum Epheso ad notandam urbem suam. In aliis: *Cornucopiae inter pileos Dioscurorum.* (Pellerin.) vel: *Pallas stans d. Victoriolam.* (Pembrock.)

Magistratus: ΕΠΙ. CTPA. ΛΟΤΚΙΟΤ. - - (Pembrock.) In Pelleriniano mira epigraphe explicatu mihi ignoto: CTPATΩN. ΠΕΡΙ. Α ΚΑΙ ΚΑΠΙΤΩN. Α.

AE. RR.

Imperatorii sunt a Domitiano usque ad Gallienum.

Typi obvii. In numo Alexandri max. mod. sistitur *Neptunus togatus stans s. tridentem, et dexteram extendens versus mulierem ingeniculatam, et velum per caput sinuantem.* Eum edidi ex museo Caesareo a). Quas hic Neptuni delicias

a) Syllog. I. p. 33.

Digitized by Google

narret numus, incertum; enimvero his appetendis fratrem Iovem aequavit.

Magistratus praetor jam inde a Domitiano, inscriptus v. g. ЄΠ. ЄΤΡΑ. ΚΤΙΝΤ.ΛΙΑΝΟΥ. vel ΠΑΚΙΑΝΟΥ. ΤΟ. Β. — *Scriba* in numo Domnae, etsi in aliis ejusdem Augustae numis pro more inscribantur praetores, de qua inconstantia agam pluribus in tractatu de archontibus.

Neocoros fuisse Adramytenos arguit Vaillantius ex unico numo Alexandri: ЄΠ. ЄΤΡ. ΑΤΡ. ΓΑΡΟΥ. Β. ΝЄ. verum hoc loco το Β. ΝЄ. non refertur ad Adramytenos, verum ad praetorem *iterum neocorum*, ut jam advertit Pellerinius [b]), et nos docebimus in tractatu de urbibus neocoris.

Concordia cum Mytilenaeis in numo Veri, (Pellerin Suppl. II. p. 72.) Laodicenis Phrygiae M. Aurelii, (Vaill.) Ephesiis Caracallae. (Theupoli.)

* * *

Non praetereundus lapsus auctoris musei Theupoli, qui Commodi numum sic describit: ΑΔΡΑΜ. ΜΗΤΡ. ΝЄΟΚ. ΠΡ. ΠΟΝΤ. ЄΤ. ΡΠΘ., cumque ex singulis his titulis nullus Adramytio competat, ei tamen ibi tribuitur. Legendum in hoc numo: ΑΔΡ. ΑΜ. et est numus *Hadrianae Amasiae*.

* * *

Numum Antinoi in hoc oppido signatum dabimus in hujus herois numis post numos Hadriani commatis Romani.
AE. RR.

ANDERA.

Gordiani numum inscriptum ΑΝΔЄΙΡΗΝΩΝ. citat Harduinus ex Ligorio non optimae auctore fidei.

ANTANDRVS.

Ad sinum Adramytenum, ab aliis Aeolidi inscritur.

Autonomum editum video in museo Pembrock. ΑΝΤΑΝ. *Capra stans.* (Part. II. tab. 4.) Verum acute vidit Neumannus noster, legendum ΑΙΝΙΩΝ. eumque restituendum Aeno Thraciae.

Aeneus huic oppido tributus a Cl. Oderico [c]) certus est Apameae Phrygiae. Vt adeo autonomum haec urbs necdum possideat.

* * *

Imperatorii a Tito usque ad Paulam. Epigraphe ΑΝΤΑΝΔΡΙΩΝ. typis *Dianae Ephesiae*, vel *Aesculapii*. Sunt apud Vaillantium et Pellerinium.
AE. RRR.

APOLLONIA.

Ad Rhyndacum fl., a quibusdam geographis Phrygiae accensetur.

Autonomi hactenus proditi non sunt.

Imperatorii a M. Aurelio usque ad Gordianum.

Epigraphe ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. addita mentione Rhyndaci, de qua mox. Vaillantius constanter in iis legit ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ., at prior inscriptio non modo exstat in binis accuratissimi Pel-

b) Mel. II. p. 280. c) Num. Graec. p. 1.

Digitized by Google

lerinii, sed etiam in numo max. moduli musei Caesarei, neque puto Apolloniam aliam praeter illam in Illyrico sitam Dorice locutam. *Typus:* plerumque *Apollo stans intra templum*, aut *Rhyndacus decumbens*, aut *navis*.

Mentio situs per Rhyndacum fl. ΡΤΝΔΑΚΟC. vel ΠΡΟC. ΡΤΝΛ. vel ΡΤΝΔΑΚΩ. quo se ab aliis urbibus cognominibus distinguit.

AE. RR.

ASSVS.

Ad sinum Adramytenum; Aeolidi ab aliis tributa.

Autonomi:

Caput Palladis. Ɪ ΑΣΣΙ. *Gryphus.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.) In alio: *Caput bovis superimposita diota.* AE. III. (Hunter.)

Gryphum haec urbs forte Apollinis causa exhibuit, nam dicta quoque fuit Apollonia teste Plinio. Typo numi Hunteriani haud dubie vini frumentique praestantia praedicatur. Diota vini symbolum res nota. Bos, quia aratro junctus, agriculturam facile indicat. Testatur Strabo [d]), a Persarum regibus triticum in coenam usque Asso petitum.

AE. RR.

Imperatorii rari item a Claudio usque ad Alexandrum.

Insignis numus Pellerinii:

ΑΓΡΙΠ. ΚΛΑΤΔΙΟΣ. *Capita se respicientia Agrippinae jun. et Claudii.* Ɪ ΑΣΣΙΩΝ. *Gryphus jacens.*

In aliis potior typus: *Ara cum serpente.*

Magistratus ΚΡΙΝΑΚΙΔΗC. absolute in numo Commodi; at *praetor* dicitur in numo Alexandri: ЄΠΙ. CTP. ΑΤΡ. ΜΗΤΡΩΝΙΚΤΟΥ. apud Vaillantium, pro quo Harduinus legit ΜΗΤΡΩΝΙCΤΟΥ.

Concordia cum Pionia vicina, quam vide.

AE. RRR.

ASTYRA.

Imperatorii bini citantur, uterque Ant. Pii.

ΑCΤΥΡΗΝЄΩΝ. ΚΡΙΝΑΚΙΔΗC. *Diana Ephesia cum adminiculis.* Citatur a Vaillantio ex museo reginae Christinae, sed quem, cum Romae essem, ibi non reperi. Alium similem dedit Patinus, sed exeso magistratu.

Ex pluribus Astyris, quas citat Stephanus, hi numi videntur tribuendi illi, quam is prope Adramytium locat, et de qua narrat Strabo, ibi esse lucum Astyrenae Dianae sacrum, cum quo testimonio conspirat typus.

AE. RRR.

ATARNEA.

Prope Adramytium.

Autonomi editi sunt ab Haymio et Pellerinio.

Caput Apollinis laur. Ɪ ΑΤΑΡ. *Equus dimidius saliens, in area variantes literae solitariae.* AE. III. In simili Hunteriano legitur tantum ΑΤΑ.

---

d) L. XV. p. m. 1068.

Digitized by Google

CYZICVS.

Ad Propontidem urbs illustris, sita in insula orae adjacente.

Autonomos aureos pervetustos, in quorum una facie: *caput leonis*, in altera: *caput forte vituli*, vel: *quadrata incusa*, huic urbi tribuere non dubitavit Pellerinius, at cum absit epigraphe omnis, et leo typus sit pluribus urbibus familiaris, vererer, mox pro Cyzico ferre suffragium. Abbas Sestinus eos Samios putat, ut dicetur in Samo.

Neque certiores sunt bini argentei ab eodem propositi: *Caput muliebre.* ℞ *Caput leonis cum pede anteriore, aut sine hoc. Posteriori horum additur* K. Pellerinius in his caput Proserpinae videt, cumque, ut mox dicetur, solitus monetae Cyzicenae typus fuerit ejus deae caput, et leo, non dubitat argenteos hos numos, suffragante praeterea elemento K, huic urbi largiri. Sed enim certum non est, caput anticae esse Proserpinae, nam abest corona spicea, proprium ejus attributum, et collatis Cnidi Cariae numis patebit forte, plus huic juris in hos numos esse, quam Cyzico. Sunt tamen numi illustres alii argentei, quos sibi vindicat Cyzicus:

ΣΩΤΕΙΡΑ. *Caput Proserpinae spicis coronatum.* ℞ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Caput leonis hiante rictu.* AR. I. (Beger Thes. Br. T. I. p. 490. Hunter.)

Haec tetradrachma eximia sunt; nam confirmant id, quod refert Suidas [e]), *Cyziceni stateres celebres fuere, quod eleganter essent signati. Nota autem eorum fuit una parte facies muliebris, parte altera protome leonis.* Pari fama fuerunt stateres Cyziceni aurei, sed verisimiliter imaginarii tantum, de quibus actum alibi. (Prolog. gen. cap. IX.) De Proserpina et typo leonis continuo.

Autonomi aenei frequentiores, inscripti: ΚΥΖΙ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. Qui neocoratus addunt, sub imperatoribus signati sunt.

Proserpinae in hac urbe cumprimis stabilitum cultum praeter copiosa scriptorum testimonia comprobant etiam numi cum autonomi, tum, quos argumenti causa huc refero, imperatorii:

Caput Proserpinae spicis coronatum intra coronam ex spicis et papavere contextum. ℞ ΚΥΖΙ. *Cornucopiae, ex quo spicae et papavera protuberant.* AE. II. (Hunter.)

ΚΟΡΗ. ϹΩΤΕΙΡΑ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Caput Proserpinae spicis coronatum.* ℞ ϹΤΡΑ. ΚΑΜΟΤ. ϹΕΒΗΡΟΤ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Bacchus tigride vectus d. thyrsum.* In alio: *Vir nudus decumbens d. pateram, s. prorae navis innixus.* AE. m. m. (Mus. Caes.) Alios similes cum variis aversis vide apud Vaillantium in numis Graecis Impp. sub Faustina jun.

Eadem adversa. ℞ ϹΤΡΑΤ. ΝΑΙΒ. ΚΥΙΝΤΟΤ. ϹΠΙ. ΟΜΟΝΟΙΑ. ΚΥΖΙΚ. ϹΜΥΡΝΑΙ. *Bacchus stolatus facem tenens in bigis Centaurorum cum solito comitatu.* AE. m. m. (Mus. Albani tab. 33.)

---

e) In Κυζικηνοι σατηρες.

Digitized by Google

ΔOMNA. ΣΩTIPA. KTZIKHNΩN. *Mulier tutulata stans d. hastam in ictum erigit, s. Victoriolam*, in numo Trajani AE. I. (Pellerin. Rec. III. p. 231. et Additions p. 5.)

KOPH ΣΩTEIPA usitata sunt Proserpinae nomina non apud Cyzicenos modo, sed et Lacones [f]), et Arcadas [g]), et KOPAΣ nomine eadem ornatur in numis Agathoclis Siculi. Causa impensioris ejus in hac urbe cultus fuit, quod ea huic deae a Jove in dotem tradita ferebatur [h]), ac propterea ejus honores praedicant non modo citati hoc loco numi, sed et alii passim, cum typos offerunt ad hanc deam prorsus pertinentes, ceu *faces duas, quibus obvoluti serpentes* intermedia ara, (Hunter.) nam mater Ceres amissam Proserpinam curru serpentibus juncto, et accensis facibus inquisivit. Possunt etiam faces nocturna Proserpinae vel Hecates sacra respicere, ut monebimus in numis Stratoniceae Cariae, tum: *caput bovis, aut bos integer.* (Mus. Caes.) Fuit hoc animal Proserpinae immolatum, et quod propius hoc spectat, cum Cyziceni obsidione a Mithridate premerentur, et imminentibus Proserpinae sacris deesset bos atra sacrificio destinata, per prodigium earum una urbi adnatavit, ut narrat Appianus [i]), et Plutarchus [k]), tum: *caput leonis* in descriptis supra tetradrachmis. Porphyrius [l]): ἡ δ' Ἑκατη ταυρος, κυων, λεαινα φαινεσθαι μαλλον ὑπακουει, *at Hecate, si taurus, canis, leaena vocetur, magis exaudit.* Proserpinam eandem cum Hecate habitam constat. Sed forte certius leonis typus Cybelen respicit, ut dicetur in imperatoriis.

At enim quem sensum dabimus inscriptioni ΔOMNA. ΣΩTIPA numi postremi? Existimat Pellerinius το ΔOMNA esse ex Latino captum, et ex DOMINA contractum, et hoc vocabulo compellatam a Cyzicenis Proserpinam suam. At sunt non pauca, quae sententiam hanc impediunt. Ac primum quidem nescio, cur Graeci ad exprimendam Proserpinam *Dominam* alienae linguae vocabulo uterentur, cum scribere potuissent KTPIA. ΣΩTIPA., perinde atque scripsere alias: KTPIA NEMECIC. Numus praeterea est Trajani, cujus aetate nondum facile Graeci linguam suam passi sunt contaminari. Deinde satis constat, nomen ΔOMNA esse Syriacum, et hoc compellatam uxorem Severi, ut a me latius probabitur in hujus Augustae numis. Denique ut nomen videtur peregrinum, sic et adstitutus deae typus, qua forma vix credam Proserpinam ex ullius Graecae urbis monumento cognitam. An incredibile videatur, hanc Cyzicenorum Domnam fuisse ex alieno solo petitam, cum alii alienos Ammones, Sarapides, Anubies arcessiverint? aut Cyziceni observare non potuerint binas varias Sotiras, quando iidem binos varios conditores observavere, ut mox docebimus? Caeterum in his tenebris offensionis metu nihil confidentius statuo. Quod si ea figu-

f) Pausan. L. III. c. 13. g) Ibid. L. VIII. c. 31. h) Appian. bell. Mithr. c. 75.
i) l. c. k) In Lucullo p. 497. l) De abstinent. L. III. §. 17.

Digitized by Google

ra vere Proserpinam refert, et vere etiam vocabulum ΔΟΜΝΑ ex Latino *Domina* petitum est, hanc Cyziceni inferorum deam dixere *dominam* capto a Latinis exemplo, nam hoc eam honoravit quoque Virgilius [m]): *hi DOMINAM Ditis thalamo deducere adorti.*

Putavit Vaillantius, et ego quoque olim, capite anticae numorum loci II. et III. exhiberi Faustinam juniorem sub Proserpinae specie. Hoc ut verum sit, necesse est, securos nos esse, id genus numos omnes imperante M. Aurelio signatos. At dubium movet numus III. praetorem *Naevium Quintum* indicans, sed quem sub Commodo fuisse Cyzicenorum praetorem comprobat numus a Vaillantio promulgatus [n]). Quod si Commodo imperante iterum hunc magistratum obivisset, vix rear omissum fuisse το B. Vide, quae huc pertinentia in autonomis Smyrnae notabuntur.

* * *

ΚΥΖΙΚΟC. *Caput Cyzici juvenile diadematum.* Ꜩ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *variis typis.* AE. omnis formae. (Mus. Caes. ac praecipue Hunter.)

ΚΟΡΗ. CΩΤΕΙΡΑ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Caput Proserpinae.* Ꜩ ΕΠΙ. CΥΡΑΤ. ΝΑΙΒ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Cyzicus stans s. hastam adscripto juxta* ΚΥΖΙΚΟC. *dexteram jungit cum Amazone bipenem et peltam gestante, scripto juxta* CΜΥΡΝΗ., *in imo*: ΟΜΟΝΟΙΑ. AE. m. m. (Pembrock P. II. tab. 41.)

Offerunt hi numi Cyzicum hujus insulae regem, qui appulsos huc Argonautas comiter excepit, at per imprudentiam a Iasone occisus est, de quo vide mythologos passim. Caesum ab Hercule refert Orpheus [o]), a Cybele Valerius Flaccus, ut dicetur mox in imperatoriis. In numis cultu regio proponitur. Nimirum et Flaccus dixit: *Rex divitis agri Cyzicus* [p]).. Eum ergo ut heroem, a quo urbs nomen cepit, atque etiam ut κτίστην venerati sunt Cyziceni, quod vocabulum etsi omittatur in numis, additur tamen in vetere marmore, ut dicetur infra in Κτίστης. Partes aversae in his numis admodum variant, ut videri potest apud Hunterum, et Pellerinium. Rariores sunt in Pelleriniano *struthiocamelus.* In binis Hunterianis *capricornus*, aut *gemini pisces*, typi ex zodiaco petiti, incerta causa. Numi hi imperatorum aetate signati sunt, nam plerumque neocoratus additur.

AV. dubii, AR. RRRR. AE. C.

Imperatorii incipiunt cum Augusto, et desinunt cum Claudio Gothico.

Typi fere conspirant cum iis, qui sunt in autonomis, praedicaturque frequenter *Proserpinae* et matris *Cereris* cultus, quin et

Rheae seu *Cybeles*, cujus honoribus Argonautae huc advecti in monte Dindymo, qui urbi imminebat, simulacrum statuerunt, subinde a Constantino Constantinopolin translatum, ut refert Zosimus [q]), de quo vide plura apud Com-

m) Aen. VI. 397. n) Num. Graec. p. 74. o) Argon. v. 520. p) Argon. L. II. 636. q) L. II.

Digitized by Google

Caylus r), quin et Cyzicus rex peremptus a Cybele fertur, quod leonem, qui ejus currum subiit, interfecit s), unde forte petenda ratio capitis leonini in autonomis.

Opilio saxo insidens, et capram mulgens. Forte hoc typo adluditur ad tribum Cyzicenorum, quae ex vetere Atheniensis tribus nomine Αιγικορεις vocabatur, ut docet marmor Peyssonelii apud Caylus t), quamvis auctore Euripide ea tribus nomen habuit ab Aegicoreo Ionis filio, et hic a Palladis aegide u). Sed constat, aegidem quoque dictam απο τυ αιγος.

Aedificia splendida hujus urbis, quae Strabo magnis laudibus effert, passim in numis occurrunt. Insolitae formae est, quod exhibetur in autonomo apud Haymium x), et Pellerinium y).

ЄΤΤΤΧЄCΤΑΤΟΥ. ΚΤΖΙΚΗΝΩΝ. *Navis cum vectoribus, in area hinc* C Є. *inde* B, in numo Hadriani max. mod. (Catal. d'Ennery p. 405.) Epigraphe mira sane, et cujus ego elicere sensum non ausim. Neque enim satis video, qua fiducia auctor ejus catalogi interpretari eam potuerit: *felicissimo Augusti adventu.*

Neocoratus primum in Hadriani numis comparet, a quo hunc honorem abstulisse verisimile est, quem ex iisdem Peyssonelii marmoribus urbi impense favisse constat exstructo ibi in suum ipsius honorem templo magnifico, constitutis in singula quinquennia certaminibus, quae *Hadriana Olympia* dicebantur, et *Hadrianae* nomine urbi ipsi concesso. Alter neocoratus haud dubie per Caracallam accessit; nam sub hoc is honos repetitur addito ΔIC. vel B. In sequentium imperatorum numis nulla certa lege jam simplex, jam repetitus notatur. Neocoratum III. in unico numo Hunteriano, qui autonomus est, reperi: ΚΤΖΙΚΗΝΩΝ. Γ. ΝЄΟΚΟΡΩΝ. Neocoratus B adhuc notatur in numo Claudii Gothici. Id in hujus urbis numis observandum, fere constanter scribi ΝЄΟΚΟΡΩΝ pro ΝЄΩΚΟΡΩΝ, vicinis Pergamenis eadem scribendi lege non raro usis.

Magistratus et dignitates.

Praetor. Hic memoratur in copiosis numis a Trajano usque ad Claudium, v. g. ЄΠΙ. CTPA. ΓΛΑΤΚΟΤ. In autonomis supra descriptis legitur: ЄΠΙ. CTPA. ΚΑΜΟΤ. CЄΒΗΡΟΤ. Froelichius pro ΚΑΜΟΤ perperam legit ΚΛΙΤΟΤ z), mendose item Vaillantius in numo Faustinae jun. ΚΛ. CЄΒΗΡΟΤ. et in numo M. Aurelii ΚΛ. ΒΤΡΡΟΤ. pro ΚΑ. CЄΒΗΡΟΤ. in utroque. Corrigendum item Vaillantii ΠΟΝΤΙΑΝΟΤ in Haymianum ΠΟΝΤΙΚΟΤ. in numo Claudii Gothici.

Archon in unico numo Caracallae comparet apud Vaillantium: ΑΡΧ. ΑΙΛ. ΟΝΗCIΦΟΡΟΤ. Decebat Cyzicum archon, nam fuit colonia Mileti, haec Athenarum, ejusque tribus iisdem nominibus fuere insignes, quibus Athenienses. Nominantur etiam bini archontes in lapide Cyziceno apud Caylus a), nulla unquam in aliis ibi adlatis marmoribus praetoris facta men-

r) Rec. T. II. p. 198. s) Val. Flaccus L. III. 20. t) Rec. II. p. 207. u) Ion. v. 1580. x) Tom. II. p. m. 7. y) Suppl. III. p. 136. z) 4. Tent. p. 211. a) Rec. II. p. 261.

Digitized by Google

tione. Adverte iterum hoc loco ad Vaillantii inconstantiam, qui cum in suis numis Graecis το APX. hujus numi legisset *Archontem* [b]), subinde infra [c]) legendum putat APXιερεως, addita causa: *Cyzici erant praetores.*

Asiarcha in numis Commodi: CTPA. Λ. ΑΤΡΗΛΙΟΤ. ΑCΙΑΡΧΟΤ. (Vaill.) CTP. ΑΤΡ. ΜΕΙΔΙΟΤ. ΑCΙΑΡΧΟΤ. (Mus. Caes.)

Conditores plures venerati sunt Cyziceni, I. Cyzicum suum, de quo supra egi, etsi κτιστης titulum non addiderunt; conditorem tamen fuisse agnitum, docet marmor Muratorii [d]), in quo legitur ΚΤΖΙΚΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. II. Herculem teste numo Tiberii, (Morelli Impp. tab. XII.) et Domitiani, (Vaill. Morelli in numis Domit.) in quibus; ΤΟΝ. ΚΤΙΣΤΗΝ. ΚΤΖΙΚΗΝΩΝ. *Hercules stans.* A Thessalis aedificatam contendit Ovidius: *Cyzicon Haemoniae nobile gentis opus* [e]), cui consentit Conon [f]). IV. Apollinem Cyzici conditorem praedicat Aristides [g]).

Antoninianam se dixit Cyzicus in honorem Caracallae in hujus numo. (Vaill. Pellerin Suppl. III. p. 136.) In alio numo Caracallae est: ΑΤΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΩΝ. (Mus. Albani, Spon. Recherch. p. 407.)

Concordia cum variis Asiae minoris urbibus.

Certamina ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑ cum typo insolito octo figurarum circum duo vasa quadrata palmis referta ludentium, in numo Caracallae max. mod. (Num. max. mod. reg. Gall.)
AE. C.

GARGARA.

Ad sinum Adramytenum, secundum aliquos Aeolidis, a messis abundantia apud veteres in proverbium abiere.

Autonomus.

Protome Palladis cum binis serpentibus. Ƨ ΓΑΡΓΑΡΕΩΝ. *Telesphorus.* AE. III. (le Blond. ex mus. Pellerinii pag. 12.)
AE. RRRR.

Imperatorium Commodi vulgavit Maffeius ex museo Rothelin: (Antiq. Gall. p. 115.) ΓΑΡΓΑΡΕΩΝ. typo *Aesculapii* AE. III. cujus similis etiam proditus in catalogo d'Ennery.
AE. RRR.

GERME.

Binae fuere hujus nominis urbes in Mysia, una Ptolemaeo dicta Ιερα Γερμη quam is in Hellesponto locat, et mediterraneam dicit. Ejus etiam meminit Stephanus: Γερμη πολις Ελλησποντια, πλησιον Κυζικου. Alteram itinerarium Antonini Pergamum inter et Thyatira locat. Fuit etiam tertia sita in Galatia, cujus habemus numos coloniae nomine. Alteri ignobiliori vix tribuendi videntur numi, quosque habemus superstites cum autonomos, tum imperatorios, ad priorem magis illustrem potius vocandi.

Autonomi in antica offerunt: ΙЄΡΑ. ΓЄΡΜΗ. vel: ΤΥΧΗ. ΠΟΛЄΩС. typo

b) Pag. 103. c) Pag. 310. d) Pag. 1042. 5. e) Trist. L. I. El. 10. v. 30.
f) Ap. Photium narrat. 41. g) Orat. Tom. I. p. 237.

Digitized by Google

capitis muliebris turriti, vel IЄPAN. CTNKΛHTON. *Caput virile senatus*, vel: ΔHMOC. vel IЄPOC. ΔHMOC. *Caput virile laureatum.* In aversa: ΓЄPMH-NΩN. *Hercules*, *Aesculapius*, *Pallas.* Sunt in museo Caesareo, Pembrock, Arigoni, Pellerin.

IЄPA. CTNKΛHTOC. *Caput laureatum imberbe senatus.* Ϫ ЄΠI. AIΛ. APICTONЄIKOT. ΓЄPMHNΩN. *Apollo stans cum lyra, ex adverso figura alia dubia juxta arborem.* AE m. m. (Mus. Com. de Sternberg.)

Signatus sub Gordiano, in cujus numis apud Vaillantium idem magistratus occurrit.

Abstergendi etiam errores ab Haymio in recensendis hujus urbis numis admissi.

Caput Iovis laur. Ϫ IEPAΣ. *in corona olcagina* (T. II. p. m. 138.) Hunc numum esse Epidauri Argolidis, in hujus numis docui.

Numus inscriptus hinc ΣΛΛЄTKOT. inde ΓЄPMHNΩN. ab eodem primum Germae huic, et Seleuco I. Syriae regi tributus est. (T. I. p. 30.) Advertit lapsum ipse vir eruditus, numumque Pergamo restituit in prooemio ad Tomum II. *AE. RR.*

Imperatorii editi exstant a Trajano usque ad Philippos. *Epigraphe* ΓЄPMHNΩN. *Typi* Herculis fere cultum persequuntur.

Magistratus praetor non paucis numis inscribitur. Vocabulum CTPA. inde a Gordiano non amplius additur. Videtur serius numis inscriptus *archon*; nam sic legas in numo Gordiani: ЄΠI. ATP. AΠOΛΛΩNIΔOT. A. APX. quod explico: *primi archontis*, non ut doctissimo Buenarrotio visum, qui numum edidit [h]), *primi pontificis.*

Coloniae numos a variis huic Germae tributos pertinere Germen Galatiae, in hac videbimus.

AE. R.

LAMPSACVS.

Ad Hellespontum, Themistocli a Xerxe permissa, unde vinum peteret. Docente Mela condita a Phocaeensibus, et sic appellata, quod oraculi monitu ibi aedificare urbem jussi sunt, ubi primum fulsisset. At secundum Plutarchum sic dicta urbs a Lampsace illustri ejus tractus femina, cui sua adhuc aetate a Lampsacenis sacrificia fieri testatur [i]). Catalogum plenum numorum hujus urbis additis Ainslieanis nondum cognitis debemus industriae cl. Sestinii [k]).

Autonomi.

Caput Bacchi hedera redimitum. In alio: *Caput barbatum galea peregrinae formae tectum.* Ϫ *Sine epigraphe. Equus marinus alatus saliens* AV. (Hunter, Pellerin, Pembrock P. II. tab. 4. Sestini.)

Equus marinus alitus saliens. Ϫ *Quadrata informia incusa.* AV. AR. III. (Sestini, Pellerin, Hunter.)

Equus similis. Ϫ *Sine epigraphe. Laocoon genu flexo a binis serpentibus constrictus.* AR. II. (Pellerin.)

Numi hi cum propter metallum, tum

h) Osserv. p. 285. i) De virt. mul. k) Lettere T. IV. p. 67.

Digitized by Google

aevi pervetusti indicia omnia, insignis sunt pretii, atque etsi inscriptione carent, Lampsaceni tamen causa equi marini alati certe sunt, quia in numis eorum aliis ipsum populi nomen juxta scriptum legitur. Et quod amplius est, etiam tum, cum aliis in moneta sua typis sunt usi, ejus tamen sigillum juxta adstituerunt, ceu Sidetes malum granatum, Selinuntii folium apii etc. ex quo satis apparet, Lampsacenos fictitium istud animal velut sibi proprium adseruisse. Quis sive casus, sive deus Pegasum in piscem verterit, mihi ignotum. Res tamen esse debuit in vulgus nota, nam aliae quoque urbes, ut Syracusae, praeter Pegasum terrestrem marino saepe in numis usae sunt. Forte adlusum ad fabulam, qua docente Pegasus fuit Neptuni filius habitus [l]). Plato in fabuloso suo templo effictum nobis Neptunum narrat ἐξ ὑποπτερων ἱππων ἡνιοχον, *sex alatorum equorum aurigam* [m]). Laocoon numi postremi insignis est typus, etsi non constet, qua de causa eum Lampsaceni advocaverint, forte causa viciniae, quae atrox istud spectaculum vidit.

Caput Bacchi. Ꝛ ΛΑΜΨΑΚΗΝΩΝ. *Apollo stolatus stans d. plectrum, s. lyram, in area hinc monogramma, illinc palmae ramus, infra* CΩKPATOT. TOT. ΞENOΦANOT. AR. I. (Sestini.)

Videtur illustris hic numus paullo post victoriam Actiacam signatus, atque ea hoc numi typo celebrata. Apollo enim hoc cultu certus est Actius, et potest adstituta palma ad victoriam adludere.

In numis aliis *epigraphe* ΛΑ. ΛΑΜ. ΛΑΜΨ. ΛΑΜΨΑ. ΛΑΜΨΑΚΗΝΩΝ. In quibus solum ΛΑ. legitur, minus tuto huc pertinent, cum plurium urbium nomina ab his literis incipiant.

Typi praeter jam dictos: *Caput juvenile biceps* significatione incerta, *Apollo cum lyra*, *Bacchus cum thyrso*, *vel diota*, *Caput Ammonis.*

AV. RRR. AR. RR. AE R.

Cum *Alexandri M.* epigraphe in hac urbe signata sunt insignia tetradrachma, quae vide in numis hujus regis.

* * *

Imperatorii ab Augusto usque ad Gallienum. Augusti sunt apud Pellerinium et Theupoli, Gallieni bini apud Arigonium.

Typi:

Pegasus marinus, ut in autonomis.

Priapus stans, *vel ejus caput*, typus obvius. — *Templum 4. col.*, *in cujus aditu Priapus ad aram ignitum*, *in imo sus*, in numo Caracallae. (Vaill.)

Vulgatum fuisse Priapi apud Lampsacenos cultum, obvia veterum testimonia fidem faciunt, quae referre supervacaneum. Insigne marmor apud Gruterum [n]): ΙΘΤΦΑΛΛΩΙ. ΚΟΡΥΝΗΦΟΡΩΙ. ΚΗΠΟΦΤΛΑΚΙ. ΚΛΕΙΤΟΜΑΣΤΙΓΙ. - - - ΛΑΜΨΑΚΙΩΝ. ΚΟΙΝΩΝΙΑ. Sus in Caracallae numo haud dubie Priapo se in victimam offert deo suo dignam. Apud Ovidium ex causa ridenda asinus Priapi hostia dicitur [o]).

---

l) Cornut. Natur. deor. c. 22. m) In Critia p. 116. n) Pag. 95. 3. o) Fast. I. 391.

Digitized by Google

CTNKΛHTOC. *Caput Senatus*, in numo Augusti. (Sestini.)

Metropolis titulum jactat in unico numo Caracallae? (Pellerin. Rec. III. p. 232.) ΛAN. MHTPOΠ. ΛAMΨ. neque ex alio quopiam monumento constat, Lampsaco eum honorem tributum. Quid praefixum ΛAN. significet, necdum assequi licuit.

Magistratus praetor: ЄΠI. CTP. Λ. CЄBHPOT. in numo Elagabali. (Sestini.) ЄΠI. AΠOΛΛΩNIΔOT., Decii. (Pellerin.) ЄΠI. CTPA. ΦIΛIΠΠON. ut scriptum fertur in numo Etruscillae. (Arigoni.)

AE. R.

Colonias Lampsacum deduxit Julius Caesar, et talis fuit adhuc anno V. C. 719. docente istud Appiano [p]). Videtur ergo paullo post coloniae jura amisisse, quia jam sub Augusto numos signavit nulla coloniae mentione.

MILETOPOLIS.

Mediterranea prope Cyzicum.

Autonomi tres hactenus editi:

Caput Palladis. Ɪ MIΛHTO. *vel* MIΛHTOΠOΛITΩN. *Noctua una, vel duae, vel utraque in unum caput coalescens.* AE. II. (Haym. Musseli, Pellerin.)

AE. RRR.

Imperatorii a Vespasiano usque ad Gordianum.

Epigraphe: MЄIΛHTOΠOΛITΩN. *Typi* obvii.

Magistratus inscribitur jam addito, jam omisso *praetoris* vocabulo. In numo Vespasiani: TI. OTOΛOT. In numis Aurelii, Lucillae, Commodi, Crispinae: ЄΠI. CTPA. ETTTXOTC. ΛΛЄΞAN-ΔPOT. Testatur Holstenius [q]), exstare lucernam aeneam apud Petrum Bellorium, cujus ansae insculptum: APTЄMIC. ЄΦЄCIΩN. ЄTTTXOTC. ΛΛЄΞAN. ΔPOT. MЄIΛHTOΠOΛЄITΩN.

AE. RR.

PAESVS.

Huic Mysiae urbi numos ΠAIS tribuerunt Harduinus et Haymius, (T. II. p. m. 168.) quos esse Paesti Lucaniae in hac rei numismaticae luce indicasse sufficiat, probare supervacaneum.

PARIVM.

Ad Propontidem, colonia Erythrarum Ioniae [r]), sed Strabo conditum ab incolis Pari insulae dixit [s]), Eustathius a Thasiis [t]), sed qui ipsi fuere Pariorum coloni.

Vrbis hujus numi hactenus aut magno numero editi non fuere, aut si editi, aliis urbibus inique sunt tributi. Magno nuper beneficio cl. Sestinus sibi obstrinxit eruditos, cum numos thesauri in Parii vicinia reperti, et in museum Aislinea-num inlati vulgaret [u]), eorumque numerum iis, quos repertus serius alter continuerat, augeret [x]), qua fortuna factum, ut jam auctiorem, certioremque habeamus Parianorum rem numismaticam. Eadem occasione vir eruditus, catalogum

p) Bell. civ. L. V. cap. 137. q) In notis ad hanc urbem. r) Pausan. L. IX. c. 27.
s) L. XII. p. m. 745. t) Ad Dionys. 517. u) Lettere P. I. p. 96. x) Lettere P. III. p. 18.

Digitized by Google

amplum construxit numorum hujus urbis omnium hucusque cognitorum, unde eos, qui aliquid observatu dignum offerunt, excerpam.

Autonomi.

Caput Cereris spicis coronatum Σ ΠΑΡ. *intra coronam hederaceam.* AV. III. AR. III. (Mus. Caes.)

Alius, sed inscriptus: ΠΑΡΙ. AR. III. (Hunter. tab. 41. n. XVIII.)

Caput juvenile nudum. Σ ΠΑΡΙΑΝΩΝ. *intra coronam hederaceam.* AE. III. (Pellerin.)

Illustris est numus prior aureus musei Caesarei, et hactenus, quod norim, unicus. Esse eum hujus Parii, et non alterius urbis ab his literis incipientis, evincit numus III., qui inscriptum plene ΠΑΡΙΑΝΩΝ exhibet, quod fuisse Parii gentile, docuit Stephanus, eoque usus est etiam Pausanias [y]). Sistunt hi numi Cererem, quia haec Parii conditoris mater fuit credita, de quo plura infra. Vide, quae alia ad hos numos alibi observavi [z]). Corrigendus ergo Paruta, ejusque commentatores, qui similem argenteum inscriptum ΠΑΡ. esse Paropi Siciliae sanxerunt [a]).

* * *

Bos stans et respiciens. Σ *Quadratum incusum.* AR. IV. (Sestini l. c.)

Larva ejecta lingua serpentibus horrens. Σ ΠΑΡΙ. *Bos stans et respiciens, inferne apis, astrum etc.* AR. III. (Mus. Caes. Sestini l. c.)

Eadem adversa. Σ ΠΑΡΙΑΝΩΝ. *Victoria gradiens.* AR. I. (Dutens Explic. de quelq. méd. Hunter.)

Numi secundo loco descripti ab antiquariis olim Paro insulae tributi fuere. Primus dubium movit Pellerinius, qui, cum videret, numos Abydi Troadis, quae huic Paro fuit vicina, similes larvas praeferre, coepit suspicari, eos Parium forte vocandos [b]). Non vanum fuisse vatem, docuere numi serius editi, quos loco tertio descripsi.

* * *

Caput muliebre. Σ ΠΑΡΙ. ΑΝΑΞΙΚ. — — *Caper stans.* AR. I. (Sestini l. c.)

Caput varians. Σ ΠΑΡΙ. *Caper stans vel currens, vel cornupeta.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin, Sestini.)

Similes numos ipse ego, Pellerinium aliosque secutus, Paro insulae tribueram, sed quos modo auctoritate cl. Sestini Pario restituimus.

* * *

Caput muliebre, vel: Bos cornupeta, vel: Bos stans vel: Caput bovis. Σ ΠΑΡΙ. ΠΑΡΙΑΝΩΝ. *Ara ignita, adstituta in nonnullis infra dicta.* AE. II. III. IV. (Sestini.)

Arae typum praeclare vir eruditus ex Strabone explicat laudante aram in hac urbe aedificatam, opus Hermocreontis, mole et pulchritudine conspicuam [c]). Addo, jam altius eundem Strabonem hanc Parii aram dixisse dignam visu, cujus

y) l. c. z) Num. vet. p. 199. a) Ad Parutae tab. 34. b) Rec. III. p. 89. c) L. XIII. p. m. 879.

Digitized by Google

latera stadii longitudinem aequent [d]), ad quem locum Casaubonus citat verba Eustathii: ᾄδεται γὰρ καὶ Παριάνος βωμος ἐπι μεγεθει, καὶ Ἐφεσιος δε κερατινος, *celebratur ara Pariana propter magnitudinem, et Ephesiorum cornea.*

* * *

Caput Bacchi hedera coronatum. Ɪ ΠΑΡΙ. *intra coronam spiceam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Botrus. Ɪ ΠΑΡΙ. *Spica.* AE. III. (Sestini.)

Parium a vini largo proventu praecipue laudat Strabo [e]).

* * *

Bos cornupeta. Ɪ ΠΑΡΙ. *Taeda, omnia intra coronam spiceam.* In alio: *Apis.* AE. III. (Sestini.)

Lyra. Ɪ ΠΑΡΙΑΝΩΝ. *Spica.* AE. III. (Sestini.)

Caput adversum Medusae. Ɪ ΠΑΡΙ. *Aquila adversa stans explicatis alis.* AE. III. (Pellerin sub Paro, Sestini.)

Caput Iovis. Ɪ ΠΑΡΙ. *Fulmen alatum.* AE. III. (Sestini.)

Numi similes jam ab aliis fuere vulgati, sed passim Paro insulae adjudicati.

AV. RRRR. AR. RR. AE. R.

Coloniam fuisse Parium jam constabat cum ex scriptoribus, tum inscriptionibus, quae documenta vide apud Cellarium, jam vero numis quoque invicte stabilitur, in quos erudite et eleganter commentatus est Belleyus [f]). Inscribuntur hi plerumque: C. G. I. H. P. quos adeo Harduinus primum *Hadrumeto*, mox *Himerae* Siciliae, demum *Germae* Mysiae mira inconstantia tribuit. Vaillantius eos omnes Hipponem regium Africae transtulit. At Belleyus ex numis, qui plenius inscribuntur PA. PAR. PARIA, feliciter eruit, literam P legendam *Pariana*, quam ejus sententiam subinde ex numo, qui insuper Parium conditorem memorat, plene confirmavi, quem mox producam. Infra in imperatoriis probabimus, epigraphen legendam: *Colonia Gemella Iulia Hadriana Pariana.* Habet colonia Pariana cum autonomos, tum imperatorios.

Autonomi.

PARIO. CONDIT. *Caput nudum.* Ɪ C. G. I. H. P. *Mulier stolata stans ante aram luculentam d. pateram, s. cornucopiae.* AE II. In alio: *Lupa cum gemellis, supra aquila ramo insistens.* AE. III.

Numum priorem olim edidi ex museo reverendiss. abbatis Trombellii Bononiae [g]). Alterum addidit cl. Sestinus. Fuit hic Parius Iasionis Cereri cumprimis dilecti filius, quem condidisse Parium, nomenque suum huic urbi indidisse prodidere veteres, quorum ibi testimonia citavi.

* * *

RIOSSH. *(retrograde) Caput imberbe nudum.* Ɪ DEO. AESC. C. G. I. H. P.

d) L. XII. p. m. 746. e) L. XIII. p. m. 879. f) B. L. T. XXV. p. 94. g) Num. vet. p. 200.

Digitized by Google

Vir imberbis sedens, cui bos adstans anteriorem pedem porrigit. AE. II. (Pellerin Rec. II. p. 54.)

Adde similes alios:

Caput Commodi, in alio Gallieni. ℞ DEO. AESC. SVB. C. G. I. H. P. *Idem typus.* (Pellerin Additions p. 29. et Mel. I. p. 331.)

Censet Belleyus, qui hos numos recitavit [h]), *ro* SVB. explendum SVB*venienti*, tanquam Aesculapius subveniret pecudi quoque morbis adflictae. Pellerinius SVB*urbano* legendum mavult [i]), cujus conjectura prae Belleyana videtur infirmior. Neumannus hoc Aesculapii nomine et typo latere putat Alexandrum Paridem, qui Parianis teste Athenagora *ἐπήκοον θεόν*, *exaudientis dei* instar fuit [k]). Selige lector. Epigraphe anticae numi prioris barbariem jam sapit.

* * *

C. G.

P. I. *Aratrum, et spica.* ℞ T. ANICIO. C. MATVIN. AED. *sine typo.* AE. III. (Sestini. l. c.)

C. G.

P. I. *Caput muliebre.* ℞ C. MATVINO. T. ANICIO. AED. *Vas monotum.* AE. III. (Ibid.)

Eadem adversa. ℞ MVC. PIC. IIVIR. DD. *Vas monotum.* AE. III. (Ibid.)

Eadem adversa. ℞ DD. *Vas monotum.* AE. III. (Ibid.)

Numos hos omnes primo aspectu derassem in Hispania signatos, nisi obstaret cl. Sestini auctoritas. Sane Hispanienses arguere poterant aratrum et spica, et haec quidem situ horizontali, tum et mentio magistratus, ac praecipue *aedilium*, qui, si Leptin Syrticae demas, hactenus in unis coloniarum Hispanicarum numis leguntur. At enim cum excusso solerter universo Florezii opere nullum horum numorum reperirem vestigium, neque ullo modo verisimile videretur, si Hispaniam patriam haberent, eorum nullum tot annis attentissimo Florezio in manus venisse, cum tamen Sestinus in opposito, ac tantis intervallis disjuncto Oriente varios quatuor reperit, et quidem numi postremi exempla omnino septem, cogebar dare manus victas, eosque cum Sestino proprios coloniae Parianae profiteri, praecipue cum is profiteretur, eos una cum aliis certis hujus coloniae numis, et quidem prope Parium, in eodem thesauro repertos. In aliis omnibus hujus coloniae numis epigraphes literae hoc ordine ponuntur, C. G. I. P., at in praesentibus est: C. G. P. I. Ergo in his epitheton *Iuliae* aut nomen Parii consequitur, quod hactenus tantum in numis Calagurris et Ilici Hispaniae urbium observatum, aut literae legendae sunt *βυζαφηδον*.

AE. RR.

Imperatorii.

Horum primus hactenus fuit Nervae, quem edidit Neumannus, verum hoc

h) L. c. i) L. c. k) Num. pop. P. II. p. 22.

Digitized by Google

priores vulgavit Sestinus ex museo Ainsliano, in quod insignes duo thesauri, de quibus nobis supra sermo fuit, migravere. Horum primus est cum capitibus Augusti et Agrippae, quem mox describam, sequuntur Tiberius, Drusus jun., Claudius, Vespasianus, Nerva etc. et porriguntur in imperium Gallieni. Illustriores sunt:

M. AGRIPPA. *Caput nudum.* ☧ IMP. CAES. DIVI. F. C. G. I. P. *Caput Augusti nudum.* AE. I.

Alium similem cl. Sestinus se vidisse testatur Thessalonicae in museo Cousinerii eruditi Galli [l]). Reperti feliciter hi numi variorum errata corrigunt. Pellerinius, cum in simili suo legeret: C. C. I. P., eum primum Carthaginem, serius Paradam Zeugitanae migrare jussit [m]). Auctor musei Theupoli, cum et hic in suo legeret C. C. I. P., eum inter incertos reposuit. Morellius, quia in suo scriptum C. C. I. B. viderat, eum Babbam Mauretaniae adegit. Hos ergo omnes esse coloniae Parianae, reperti recens hi numi testantur.

Illustris est etiam numus Corneliae Superae apud Pellerinium, (Rec. I. p. XXI.) de quo agemus in numis hujus Augustae.

Epigraphe in his numis ante Hadriani tempora est: *Colonia Gemella Iulia Pariana.* Inde ab hoc additur H. vel HA. id est: *Hadriana*, in numis Gallieni HAD. (Sestini.) Belleyus in numo Antonini legit: C. PAR. IVL. AVG., unde arguit, coloniam fuisse deductam ab Augusto, praecipue cum in citato Trajani numo compareat capricornus Augusti symbolum. Verum hic numus haud dubie restituendus est coloniae Parlaidi Lycaoniae, quam vide.

OPTIMO. PRINCIPI. in numo Trajani. (Pellerin.)

SALVS. C. P. legendum, ut videtur, *Coloniae Parianae*, typo *gemellorum lactentium*, in numo Gallieni, (Pellerin.)

* * *

Lupa gemellos lactans, *infra* II. VII. in numo Gallieni. (Pellerin.)

Additi numeri indicare videntur, partem legionum II. et VII. apud Parium stetisse. Etiam in numis Romanis Gallieni legio II. lupam cum geminis habet, et belle geminorum lactentium typus ad nomen *Gemellae* huic coloniae inditum adludit.

* * *

Typi reliqui:

Capricornus, qui etiam frequenter in numis superiorum imperatorum signum incusum facit, ex quo verisimile, quia typus Augusteus est, coloniam ab Augusto deductam.

Silenus utrem super humero gestans, in numo Gallieni. (Sestini.)

AE. R.

PERGAMVS.

Mediterranea ad Caicum fl., urbs clara et regum Pergamenorum sedes.

Autonomi:

---

l) Lettere P. I. p. 103. m) Rec. I. p. XXII. et Lettres p. 152.

Digitized by Google

Caput Herculis juvenis. ℞ ΠΕΡΓΑΜ. *Pallas in Hermae forma hastam intorquet.* AR. III. (Pellerin, Hunter.)

Vnicus hic est certus Pergami argenteus praeter cistophoros.

Aenei copiosi supersunt.

Epigraphe: ΠΕΡΓΑ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ.

Pallas stans, Victoria, aquila fulmini insistens, baculus Aesculapii, serpens, Telesphorus, caput bovis, etiam duplex.

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput juvenile senatus.* (Pellerin.)

* * *

Conditor.

ΠЄΡΓΑΜΟC. *Caput barbatum diadematum.* ℞ ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΚΛ. ΚЄΦΑΛΙΩΝΟC. *Baculus Aesculapii.* AE. III. (Haym.)

ΠЄΡΓΑΜΟC. ΚΤΙCΤΗC. Harduinus ex museo reg. Gall., reliqua reticet.

Fuit Pergamus teste Pausania [n]) Pyrrhi Aeacidae et Andromaches filius, frater Molossi et Pieli, transgressus subinde in Asiam cum matre accitu Eurypyli, de quo mox Pergamo nomen dedit, quorsum jam antea Telephus ex Arcadia coloniam deduxit, ut narrant Aristides [o]), et Pausanias [p]).

Magistratus *Cephalion* in numis Pergamenis et sub Augusto et Hadriano notatur. Sed videtur hic numus sub posteriore signatus.

Heros Eurypylus.

ЄΥΡΥΠΥΛΟC. ΗΡΩC. *Caput juvenile nudum.* ℞ ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. ЄΠΙ. CΤΡΑ. Ι. ΠΟΛΛΙΩΝΟC. ΠΑΦΙΑ. *Templum Veneris Paphiae.* AE. (Spanheim T. I. p. 505.)

Eurypylus filius Telephi et Astyoches Priami filiae, vel secundum Q. Calabrum [q]) sororis, patre mortuo Mysiae rex, cujus ditio circa Caicum fl. fuit teste Strabone [r]), atque adeo Pergamenum agrum complexa. Idem et urbem ipsam in Pergami gratiam condidisse dicitur a Servio [s]). Ceterum ejus historia varie a veteribus refertur. Haec igitur Pergamenis ratio ejus in numis proponendi. Numum Spanhemius loco citato ex Homeri Odyss. Λ. v. 518. eleganter explicat, ubi poeta inducit Vlyssem haec de Neoptolemo memorantem.

Αλλ' ὁτε τον Τηλεφιδην κατεπεφνε χαλκῳ
Ηρῳ Ευρυπυλον, πολλοι δ' ἁμφ' αὐτον ἑταιροι
Κητειοι κτεινοντο, γυναικων ἑινεκα δωρων.
Κεινον δη καλλιστον ἰδον μετα Μεμνονα δῖον.

Sed ut Telephidem interfecerit ferro
Heroa Eurypylum, multi autem circa eum socii
Cetei trucidabantur muliebria propter dona.
Illum sane pulcherrimum vidi post Memnona divinum.

Dicitur hic Eurypylus *heros*, ut in numo, memorantur *socii Cetei*, quod idem esse ac *Pergameni*, infra ad fluvium *Ceteum* docebo. Laudatur a pulchritudine, quam idem singularem in numo praefert. Habes similia apud Q. Calabrum [t]). Cur

---

n) L. I. c. 11. o) Orat. de concord. p) L. I. c. 4. q) L. VI. v. 135. sqq. r) L. XIII. p. m. 915. s) Ad Virgil. eclog. VI. t) L. VI. 119. seq.

Digitized by Google

Veneris Paphiae templum in hoc numo jungatur, difficile est divinare. Forte ejus cultus viguit Pergami, ut Dianae Ephesiae in multis praeter Ephesum urbibus. Numus signatus est circa Trajani, Hadriani, vel Antoninorum aetatem, nam hac plures numi cum mentione Pollionis strategi percussi sunt. Exstat hic numus in museo reginae Christinae et Mediceo, et male lectum est a nonnullis CAΛAMINIΩN pro ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, ut abunde docuerunt Spanhemius, (l. c.) et Harduinus. (in *Salamina.*)

* * *

ΕΠΙ. ΠΕΡΓΑΜΟΥ. *Caput Palladis* Ϡ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Victoria stans.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Caput Iovis.* Ϡ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Aquila insistens fulmini.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. *Protome Palladis.* Ϡ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Aesculapius stans.* AE. II. (Seguin Num. sel. p. 62.)

ΧΟΡΕΙΟΥ. *Caput Palladis.* Ϡ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Victoria stans.* AE. II. (Hunter.)

Numum secundo similem Haymius Germae Mysiae cusum primum censuit [u]), sed agnito serius errore Pergamum revocavit [x]). In eo tamen ipse cum Froelichio [y]) errasse visus, quod nomine ΣΕΛΕΥΚΟΥ indicari Syriae regem hoc nomine opinabatur. Videmus in hac serie pro Seleuco alia inscripta nomina. Vt ergo haec aliud non sunt, quam magistratuum varia vocabula, sic et Seleucus habendus urbis magistratus. Ad eundem lapidem offendit Seguinus, qui, cum in numo suo, quem citavi, legeret ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ, eum erudite quidem, verum, ut ex dictis apparet, non satis certa fide Mithridati Pergameno tribuit, de quo egimus in numis Asandri regis Bospori.

Autonomi Pergami incerti.

Aureum anepigraphum: *Caput juvenile nudum.* Ϡ *Caput bovis*, huc posse vocari opinatus est Pellerinius, sed conjectura valde infirma.

Caput barbatum nudum. Ϡ ΜΩΔΑΙΩΝ. *Caput bovis adversum.* AR. I. (Pellerin, Mus. M. Ducis, Hunter.)

Cum populum non reperiret Pellerinius, quem numi epigraphe enunciat, Pergamum respexit causa numi alterius Pergameni, quem continuo adjecit, in cujus aversa legitur magistratus: ΕΠΙ. CTPA. ΜΩΔΑΙΩ. ΤΟ. Β. Vnde arguit, το ΜΩΔΑΙΩΝ numi argentei perinde esse posse magistratum, et eundem quidem, qui in altero numo CTPAτηγος dicitur. At vero spectata fabrica numi prioris facile eruitur, utriusque aetatem multum divergere, cum prior argenteus certe signatus sit ante imperatorum aetatem, posterior autem non minus certe sub imperatoribus.

* * *

De cistophoris Pergami cusis agetur in horum tractatu.

AV. dubii. AR. RRRR. AE. C.

---

u) T. I. p. m. 30. x) T. II. in procemio. y) In Annal. Syr.

Digitized by Google

Imperatorii magno numero extant ab Augusto usque ad Saloninam. In uno Vaillantius caput Iulii Caesaris videre sibi visus est, at eum esse Nicomediae, monui supra [z]). Insignis est Corn. Superae. (Sestini Lettere T. IV. p. 109.)

Typi pro tanto numero variant. De Aesculapio, principe Pergamenorum numine, infra. Sed habuere et deos, quorum ipsa nomina numis inscripsere. Eccos:

ΖΕΤC. ΦΙΛΙΟC. *Caput Iovis*, vel: *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam*, in numis Trajani. (Mus. Caes.)

Iuppiter dictus est Φιλιος et Εταιρειος, amicitiae praeses, quod omnes homines in unum cogit, et vult esse inter se amicos, ut explicat Dio Chrysostomus [a]). Cultus etiam fuit ab Arcadibus [b]), passimque per eum veteres, praecipue in sermone familiari, jurare sunt soliti. Lepide Diodorus Sinopensis apud Athenaeum [c]) Iovem hunc Philium parasiticae auctorem statuit, nempe qui omnium domos ingreditur, et sicubi lectum bene stratum viderit, mensamque admotam, ocyus accumbit, expletusque cibo exit parum de symbolis anxius. Eidem imperante adhuc Gal. Maximino Theotecnum quendam praestigiatorem Antiochiae posuisse simulacrum, narrat Eusebius [d]).

* * *

ΖΕΤC. ΠΕΙΟC. *Iuppiter Pius*, eodem cultu, quo Iuppiter Φιλιος, in numo Trajani. (Vaill.) De hoc Iove Pio numos Ephesi consule.

* * *

ΚΟΡΩΝΙC. *Mulier velata stans involutis manibus*, in numo Sabinae. (Vaill.) Fuit Coronis mater Aesculapii Pergamenorum tutelaris.

* * *

Augustus. Huic non mortuo modo, sed vivo quoque honores divinos habuere Pergameni, quod in utramque partem eorum testantur numi.

Deus Augustus vivus.

CЄΒΑCΤΟΝ. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Caput Augusti laur. addito capricorno.* ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΚΑΙCΑΡΑ. *Augustus paludatus stans in templo 4. col. d. hastam.* AE. III. (Morelli, Vaillant.)

ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΚΕΦΑΛΙΩΝ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΤΩΝ. *vel.* ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΔΗΜΟΦΩΝ. *Augustus stans in templo, ut in praecedente.* AE. III. (Mus. Caes. Morelli.)

ΘΕΟΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΙ. *Augustus stans in templo, ut in praecedente.* AE III. (Vaill.)

ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΒΟΤΛΑΙΩ. *Caput Augusti.* AE. III. (Vaillant.) — Adde argenteum, quem infra in Augusto mortuo citabimus.

Numos hos signatos fuisse vivo adhuc Augusto, arguit inscriptus horum nonnullis magistratus ΚΕΦΑΛΙΩΝ, qui idem occurrit in numo cum capitibus Caii et Lucii [e]). Neque istud mirum, cum certis auctoribus constet, quos in numis Augusti ad V. C. 735. adducam,

z) Prolog. ad Bithyn. a) Orat. I. b) Pausan. L. VIII. c. 31. c) L. VI. p. m. 239. d) Hist. eccl. L. IX. c. 3. e) Pellerin Rec. III. p. 233.

Digitized by Google

Augusto adhuc vivo Pergami dedicatum fuisse templum, ejusque et Romae nomine numos ibi argenteos signatos eodem templi typo, de quibus agemus mox. In numo postremo dicitur ΒΟΤΛΑΙΟΣ, *consilii praeses*, quod est certum Iovis epitheton, ut docebimus ad numum Mytilenes inscriptum ZЄTC. ΒΟΤΛΑΙΟC.

Deus Augustus mortuus.

ΑΤΓΟΥCTOC. ΠЄΡΓΑ. *Templum 4. col., in cujus fronte capricornus, intus Augustus paludatus, et hastatus stans.* Ɪ ΤΡΑΙΑΝΟC. CTP. I. ΠΟΛΛΙΩΝCC. *Templum 4. col., in quo Trajanus paludatus hastatus stans.* AE. (Haym. T. II. p. m. 269.)

ΑΤΓ. - - - CЄΒ. Π. Π. ΦΙΛΙΟC. ZЄTC. *Templum 4. col., intra quod Iuppiter Philius sedens, et juxta, ut videtur, stans imperator.* Ɪ ΡΩΜΗ. ΚΑΙ. CЄΒΑCTΩ. - - - *Templum 4. col., intra quod Augustus sedens, quem adstans mulier s. cornucopiae tenens coronat, in area signum incusum.* AE. II. (Mus. Caes. et a me editus in Sylloge I. p. 36.)

His adde insignes argenteos:

COM. ASIAE. *Templum 6. col., cujus epistylio inscriptum:* ROM. ET. AVGVST., in numo Augusti, addito: IMP. IX. TR. POT. V. AR. I. et IH. (Mus. Caes. Morelli Impp. Vaill. num. praest.)

Numum hunc, etsi, quod patet, Augusto vivo signatum, propter seriem huc distuli.

COM. ASI. *Templum 2. col., in quo Augustus paludatus hastatus stans, quem adstans mulier s. cornucopiae tenens coronat, epistylio inscriptum* ROM. ET. AVG. in numo Claudii. AR. I. (Morelli Impp. Vaill. Num. praest.) Nervae et Trajani, AR. I. (Vaill. l. c.)

Ex descriptis hic numis primus aeneus propter additum ΠЄΡΓΑ. Pergami certe est. In aeneo altero Pergami quidem nomen non comparet, quia a signo incuso absorptum fuit, hujus tamen urbis causa Iovis Philii sine dubio est. Atqui et hunc et sequentes argenteos mentio ROMAE et AVGVSTI, tum et COM*munis* ASIAE, typusque templi Pergamo invicte vindicant, cum constet ex Tacito et Dione, permisisse Augustum, ut sibi et Romae ab Asianis apud Pergamum templum aedificaretur, quod paucis hic commemorasse suffecerit, quia de hoc prolixius agam in numis Augusti ad annum V. C. 735.

Trajanus. Huic quoque vivo Pergamus honores divinos maturavit testibus numis:

ΘЄΩ. CΩΤΗΡΙ. ΚΑΙ. ΤΩ. ΘЄΩ. CЄΒΑCTΩ. *Templum 4. col., in quo Victoria coronat Trajanum stantem*, in numo Trajani. AE. II. (Vaillant.)

ΤΡΑΙΑΝΟC. *etc. Trajanus stans in templo*, in citato paullo supra Haymii numo.

Apparet ex his numis, Pergamenos Trajano majorem in modum fuisse devotos, quin et Augusto aequiparasse. Enimvero hac in urbe ejus honori constitutos fuisse ludos *Trajana*, qui saltem adhuc Severi aetate acti sunt, docet marmor Oxoniense f).

f) Pag. 18. n. 7.

Digitized by Google

ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ. *Caput Romae turritum*, in numo Augusti. (Vaill.)

De dea Roma Pergami aris templisque culta, et plerumque Augusto sociata, continuo egimus.

ΣΙΛΒΑΝΟΝ. Numus Augusti haec loquitur:

ΣΕΒΑΣΤΟΝ. *Templum 4. col., in quo Augustus paludatus et hastatus stans, infra* ΔΗΜΟΦΩΝ. Σ ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΙ. ΣΙΛΒΑΝΟΝ. *Figura velata et togata stans et d. pateram tenens coronatur ab adstante figura habitu succincto induta.* AE. (Haym. T. II. p. m. 219.).

Sunt, qui in similibus numis pro ΣΙΛΒΑΝΟΝ legunt ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ g), decepti numis in speciem similibus, in quibus legitur magistratus ΚΕΦΑΛΙΩΝ, de quibus infra. Apud Arigonium pro dicto vocabulo multo iniquius legitur ΑΡΑΙΑΝΩΝ. At Haymii lectionem adprobat numus simillimus musei Caesarei, et alter musei Christinae h), sed qui ibi injuria Commodo tribuitur, quoniam in eo editor perperam legit ΚΟΜΟΔΟΝ pro certo ΔΗΜΟΦΩΝ. Quaeritur, quis sit hic Silvanus? Haymius deum *Silvanum* in hoc numo propositum praepropere putavit. Silvanus Latinorum numen fuit, atque etsi demus a Pergamenis receptum, non videtur verisimile, eum fuisse effictum capite velato. Silvani veram imaginem habemus in numo, quem proposuit Morellius inter numos incertos familiarum i). Propius vero statuit in subjecta ibi nota Khellius, fuisse Silvanum virum inter suos illustrem, quem Pergameni ob sua in remp. merita statua honoraverint. Quid si statuamus, fuisse Silvanum magistratum Romanum, et forte Asiae proconsulem, ut revera Plautius Silvanus sub Augusto consul fuit V. C. 752., cui, quod rebus suis faveret impensius, hunc honorem habuissent Pergameni? praecipue cum referat Suetonius k), templa etiam in provinciis proconsulibus decerni solita fuisse. A. Plautium proconsulem offert numus Augusti in Cypro signatus.

Huic propter adfinitatem argumenti conjungo sequentem:

CЄΒΑCΤΟΝ. *Templum, in quo Augustus paludatus stans, in area:* ΚЄΦΑΛΙΩΝ. ΓΡΑΜΜΑΤЄΤΩΝ. Σ ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Vir togatus barbatus stans coronat adstantem virum alium togatum item et barbatum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Etsi desunt attributa, videtur horum unus esse Aesculapius Pergamenorum, qui Iovem Sardianorum causa concordiae inter utramque urbem stabilitae coronat.

* * *

Aesculapii cultum apud Pergamenos fuisse praecipuum, supra ὡς ἐν παρόδῳ indicavi. Epidauro huc accitum, refert Pausanias l). Imperante Tiberio cum asylorum jura examinarentur, consulti consules, *apud Pergamum Aesculapii compertum asylum retulerunt* m). Memorabi-

g) Morelli Impp. T. II. p. 434. h) Tab. LXIII. i) Tab. I. lit. K. k) In Aug. c. 52. l) L. II. c. 26. m) Tacit. Ann. III. c. 63.

Digitized by Google

les sunt numi Pergameni Caracallae, in quibus hic fingitur *paludatus et eques pacificatoris habitu*, aut *juxta Aesculapii templum sacrificans*, aut *imperator eques dexteram extendens versus mulierem turritam d. Aesculapii sigillum tenentem.* AE. m. m. (Vaillant.) Nimirum ipse valetudinis causa V. C. 968. Pergamum adivit, et in Aesculapii templo somnia captavit [n]), de quo ritu vide plura apud Aristidem rhetorem. Quare eximiis urbem privilegiis ornavit, de quibus vide infra in *Prima.*

Hygia et Telesphorus, Aesculapii comites, propter hanc ipsam causam Pergami numos frequenter occupaverunt. Narrat Pasanias [o]), Evamerionem a Pergamenis ex quodam oraculo Telesphorum vocari.

Aesculapius saepe proponitur a Centauris daduchis vel sustentatus [p]) vel vectus, de quo typo vide Spanhemii epistolam in Specimine Morellii p. 225. et de Praest. num. T. I. p. 282.

* * *

Herculis quoque labores, aut si qua alia ad eum pertinent, in Pergami numis saepe proponuntur. Insigniores typi sunt:

Hercules aprum Erymanthium gestans Eurystheo regi prae metu in dolium profugo. L. Veri. AE. m. m. (Mus. Caes.)

Idem argumentum jam dedimus ex numo Perinthi Thraciae.

Hercules stans d. clavam, s. arcum, contemplatur puellum a cerva super monte lactatum; in apice montis aquila expansis alis, in imo lacerta, Commodi: AE. m. m. (Mus. Albani, et Com. Vitzai.)

Illustre numi hujus argumentum. Hercules ad Aleum Tegeae Arcadiae regem divertens hujus filiae Auge vitium obtulit. Pater comperto crimine filiam gravidam Nauplio familiari tradit mari mergendam, quorsum profecta misera per iter in monte Parthenio masculum infantem enititur, quem ibi solum relictum adcurrens cerva lacte nutrivit, quo prodigio conspecto pastores puerum acceptum ad regem Corythum tulere, qui puero filii instar habito educatoque ab eventu *Telephi* nomen, ἀπο της τρεφουσης ἐλαφου, indidit. Interim mater a Caribus peregrinis, quibus eam vendidit Nauplius, delata in Mysiam ab ejus rege Teuthrante uxor adsciscitur. Telephus adultus et ab oraculo matris factum edoctus, profectusque in Mysiam ab ejus rege Teuthrante adoptatur, et in regno succedit. Haec Diodorus [q]), Appollodorus [r]), Hyginus [s]), Pausanias [t]), Tzetzes [u]). Et vero ab hoc Telepho primum Pergamum deductam coloniam ex Arcadibus conflatam creditum Pergamenis teste Aristide [x]). Quare illi tanquam heroi apud Pergamum decantati hymni, et sacra publice facta, ut docet Pausania [y]).

Fuit haec fabula non raro a veteribus in artis materiem lecta. Ejus simulacrum

---

n) Herodian. in Carac. o) L. II. c. 11. p) Beger. Thes. Br. T. III. p. 135. q) L. IV. c. 33. r) L. II. c. 4. §. 7. et L. III. c. 9. §. 1. s) Fab. 99. t) L. VIII. c. 48. u) Ad Lycophr. v. 206. x) Orat. T. I. p. 520. y) L. III. c. 26. sub. fin. et L. V. c. 13.

Digitized by Google

unum memorat Pausanias, nempe cervam Telepho Herculis F. mammam praebentem [a]). Ejusdem argumenti sunt alia inter picturas Herculanenses [a]), apud Winckelmannum [b]), et in binis gemmis musei Caesarei. Horum numerum auget insignis numus praesens, in quo stat Hercules miraculo velut attonitus. Eodem modo is stat etiam in pictura Herculanensi adstituta hic quoque aquila. In gemma Caesarea Hercules sedens Telephum in ulnis gestat adstante cerva. In aeneo Tarsensi max. mod. cum capite Maximini, quem edidit Cl. Venutus [c]), et Liebeus [d]), Hercules stat cum suis attributis s. gestans Telephum cum cerva colludentem, pone arbor, cui insistit avis, sed cujus typi significationem uterque vir eruditus adsecutus non est. Idem Telephus a cerva nutritus obvius est typus in numis Tegeae Arcadiae, prope quam haec fabula acta, quibus adde numos Midaei Phrygiae, unum Alexandri Sev. (Pellerin.) alterum Domnae. (de Camps.) Causam positae supernae aquilae cum diu investigarem, suppeditavit tandem Q. Calaber, qui cum ex furtivo Herculis cum Auge congressu natum Telephum narrasset, addit [e]):

Θρεψε θεη ποτε κεμμας, ἐῳδ' ἱσα φιλατο νεβρῳ,
Μαζον ὑποσχυμενη ΒΟΤΛΗΙ ΔΙΟΣ, ἑ γαρ ἐωκει
Εκγονον Ηρακληος οἰζυρως ἀπολεσθαι.
Nutrivit velox olim cerva, et suum tanquam hinnulum amavit,
Vbera praebens DECRETO IOVIS, nec enim fas erat
Prognatum Herculc misere interire.

En tibi missam a Iove aquilam, quae expositum infantem custodiret. Causam adpositae lacertae non aeque intelligo.

Copiosior fui in hujus numi explicatu, quia argumentum istud aliorsum ab eruditis averti video, etsi, ut ex dictis patet, certissimum sistat Telephum, et causa fuerit Pergamenis, cur eum monetae inferrent. Rodulphinus Venutus musei Albani eruditus interpres hoc typo intelligi Romulum a lupa nutritum existimat. Sed video virum praestantem paullo antea in eodem argumento lapsum, quo loco proposuit numum Antonini Pii, sed commatis Romani, typo in utroque ita simili, ut, si conferre lubeat, confiteare necesse sit, ad idem utrumque argumentum pertinere. Magis venia dignus Venutus, si in numo Romano propter typi adfinitatem fabulam Romanam videre sibi visus est. At multa sunt in eodem hoc Antonini numo, quae hanc montis Palatini fabulam evertunt. Quid enim Herculi cum geminis? cur, quod in nullo alio monumento videmus, unus tantum geminorum animali subjicitur? cur animal et infans editiorem montis locum occupant, quando ipsa ratio dictat, geminos in fluvii vado destitutos infimo montis Palatini loco adhaesisse? Quas in hoc actu partes agit aquila, eaque luculenta, quando picum geminis adsti-

a) L. XI. c. 31. a) Tom. I. tab. 6. b) Monum. ant. num. 71. c) Mus. Albani. d) Goth. num. p. 381. e) Paralip. L. VI. v. 140.

Digitized by Google

tisse scriptores omnes et monumenta docent? An vero satis exploravit animalis naturam, cum lupam dixit, quod per curtae caudae modum aliud quam cerva esse nequit? Novi, Vaillantium quoque in numo simili Antonini vidisse Romulum et Remum f), novi etiam, revera in pictura ejusdem numi, quae exstat in numis max. moduli regis Galliarum tab. 8., binos geminos quadrupedi subdi, at verisimile est, eum, qui picturam imperavit, alterum geminorum de suo addidisse. Sane eorum alter fatente ipso Venuto abest in numo musei Albani, qui certe idem est cum numo regis Galliarum. At, inquies, quid fabula Telephi in numo Romano? Idem nimirum, quod in alio ejusdem Antonini numo Romano fabula Promethei hominem fingentis. Pius hic imperator, quem constat, ut in ejus moneta docebimus, antiqua urbis decora in numis celebrare solitum, videtur argumentum Telephi propter ejus cum geminorum fato adfinitatem selegisse. Moverit etiam imperatorem privatus in Arcadiam adfectus, qua ex regione profectum Evandrum cum sociis fama erat eodem loco consedisse, quo deinde Roma aedificata est; quae causa fuit, cur Pallantium Arcadiae vicum et Evandri patriam in justae urbis formam redegerit teste Pausania g). Ex quo magis patet, Telephum non minus propter fati cum geminis communionem, quam propter patriam Arcadiam cum rebus Romanis componi.

* * *

Bacchus basi insistens, juxta quem popa taurum feriens, Severi. ÆE. m. m. (Pellerin. Suppl. IV. p. 7.)

Non novi alterum exemplum caesi Baccho tauri. Forte grata deo hostia est habitus, quod is puerum Ampelum, cujus amore insaniebat Bacchus, interemit, de quo fuse Nonnus toto libro XI. ac praecipue inde a. v. 264.

* * *

Magistratus et *dignitates* variae in Pergami numis memorantur.

Proconsulem Aviolam, et magistratum *Menophanem*, qui leguntur in Pergamenis Caligulae numis, vide infra in moneta Smyrnae.

Proconsulem Augustum reperio apud Vaillantium, sed etiam solum: ΑΤΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΑΝΘυπατῳ, utrum vera lectio, dubitem.

Archon. M. Furius ΙΕΡΕΤΣ. ΚΑΙ. ΑΡΧΩΝ. in numo Augusti, (Pellerin. Mel. II. p. 13.) sed de quo vide, quae dicentur infra in *Gymnasiarcha*.

Praetor obvius inde a Domitiano per reliquos omnes, sic: CTPA. ΚΕΦΑΛΙΩΝΟC. TO. B. in numo Hadriani.

Scriba. ΓΡΑΜΜΑΤΕΤΩΝ. dicitur ΚΕΦΑΛΙΩΝ. in numo Augusti, quem supra produxi.

Quaestor. ΕΠΙ. ΤΑΜ. ΑΙΛ. ΘΕΟΦΙΛΙΑΝΟΥ. Ant. Pii. (Beger Th. Br. T. III. p. 123.).

Epistates: Vaillantius in Severi numo

f) Numi. praest. Tom. III. p. 126. ed. Rom. g) L. VIII. c. 43.

Digitized by Google

legit: ЄΠΙCΤΑΤΟΥ. ΤЄΜ. ΑΝΝΙΟΥ. quod explicat: ἐπίσατα τεμένυς, *praefecto templi*. (Num. Graec. p. 314.) Sed Belleyo est *praefectus sacri luci* [h]). Varias ἐπίσατα significationes, qui et magistratus loco fuit, vide apud Suidam, ac praecipue Spanhemium in hujus numi explicatione facundum.

Sacerdos. In numo Augusti: M. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙЄΡЄΥΣ., de quo infra in *Gymnasiarcha*. — ЄΠΙ. ΑΥΡ. ΚЄΛ. ΙЄΡЄΩC. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΤΩΝ. CЄΒ. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. id est: *Sacerdotis perpetuo*, in numo Commodi. (Vaillant.)

Asiarcha. ЄΠΙ. CΤΡΑ. ΠΟΛΛΙΩΝΟC. ΑCΙΑΡΧΟΥ. Ant. Pii. (Vaill.) ЄΠΙ. C. ΑΥΡ. ΔΑΜΑ. ΑCΙΑΡΧ. (Pellerin. Suppl. II. p. 86.) Vide et titulum sequentem.

Gymnasiarcha. Numum Augusti III. formae aeneum ex museo Foucault protulere Vaillantius et Harduinus, in cujus aversa: M. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙЄΡЄΥΣ. ΚΑΙ. ΑΣΙΑΡΧΗΣ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Vas patulum trapezae impositum.* Impugnat hanc lectionem Gallandus ἀντεπτης, et talem esse Foucaultiani hujus cimelii epigraphen contendit: M. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙЄΡЄΥΣ. ΚΑΙ. ΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ., ut videre est in ejus ad Morellium epistola, quae est in Electis Wolterecki pag. 74. Non adrisit Pellerinio hic ΙЄΡЄΥΣ et simul Asiarcha, adjecta causa, infirma pol, quamque refutare piget, quod verisimile non sit, simplicem ἱερέα fuisse satis opulentum, ut praestare potuisset sumptus, qui Asiarchis faciendi fuere. Legendum igitur ex simili suo suadet: M. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙЄΡЄΥΣ. ΚΑΙ. ΑΡΧΩΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ [i]). Habeatur fides viro illustri hanc lectionem confidenter statuenti. Verum si ea est tam certa, qualem spondere videtur, quo pacto is eodem in volumine adserere potuit, non reperiri γραμματεως, *scribae* nomen in ullo numo earum urbium, quae ab archontibus regebantur [k])? Nam paullo altius scribam in numo Pergameno vidimus. Istud certum, nullum hactenus repertum alium Pergami numum cum archontis mentione. Quidquid erit, haud ita pridem numum similem museo Caesareo intuli, qui demptis nonnullis literis exesis has tamen offert luculentas: - - - ΙЄΡЄΥΣ. ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧ. - - ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Dubium non est, numum hunc esse eundem cum Foucaultiano, atque adeo collato hoc utroque veram plenamque ejus epigraphen esse: M. ΦΟΥΡΙΟΣ. ΙЄΡЄΥΣ. ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Est hic numus unicus, qui magistratum gymnasiarcham memoret, etsi in marmoribus non infrequentem, de cujus munere vide quae disseram in tractatu de Gymnasiarchis.

Theologus. ЄΠΙ. CΤΡ. ΤΙΒ. ΚΛ. ΑΛЄΖΑΝΔΡΟΥ. ΘЄΟΛ. in numo Caracallae. (Vaill.) ЄΠ. C. ΚΟΜ. Φ. ΓΑΤΚΩΝΟC. ΘЄΟΛΟΓΟΥ. Herennii. (Vaill.) sed quem magistratum aliter legit Pellerinius in numo Etruscillae: ЄΠΙ. ΓΟΜΦ. ΓΑΤ-

h) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 161. i) Mel. II. p. 13. k) L. c. p. 353.

Digitized by Google

ΚΩΝΟC. neque in hoc *Theologi* dignitas additur. ЄΠΙ. CTP. ΓΛΤΚΩΝΟC. ΘЄΟ-ΛΟΓΟΥ etiam meminit Harduinus in numo Decii. De hac dignitate vide tractatum de Theologis.

Metropolis. Hunc titulum in unico, quod sciam numo sibi arrogat, et quidem *metropolis primae*, ut continuo videbimus. Neque Vaillantius, neque Pellerinius ejus meminere.

Prima. Talem se frequenter profitetur inde a Caracalla. Inusitati fastus argumentum continet epigraphe in numo singulari Caracallae max. mod., qui est in museo Caesareo: Η. ΠΡΩΤΗ. ΤΗC. ACIAC. ΚΑΙ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. ΠΡΩ-ΤΗ. ΚΑΙ. ΤΡΙC. ΝЄΩΚΟΡΟC. ΠΡΩ-ΤΗ. ΤΩΝ. CЄΒΑCΤΩΝ. ΠЄΡΓΑΜΗ-ΝΩΝ. ΠΟΛΙC. In hoc numismate primatum tergeminum sibi adrogat, I. Asiae provinciae, more aliarum ejus urbium. II. omnium μητροπολεων, haud dubie, quod fuit sedes regum Pergamenorum, et caput adeo ejus regionis, quae deinde provincia Asia dicta est. III. videtur esse obvius ille, quo in numis aliis passim utitur, sed consueta formula: ΠЄΡ-ΓΑΜΗΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. Hos tantos honores civitas a Caracalla Aesculapii sui causa abstulit, ut dixi supra. At non modo iis a successore Macrino exuti sunt, sed etiam, quoniam eum hac de causa acerbis dictis insectati sunt, infamia publica notati, ut narrat Dio [l]. Egregie utrumque factum confirmant numi, quorum vis ingens, et maximi quidem moduli, imperante Caracalla emersit, additis, ut vidimus, novis et magnificis titulis; at post hunc rarior eorum moneta, et magis secundum veterem modestiam. Ceterum jam Trajani aetate Pergamenos se dixisse *primos*, docet marmor Pergamenum editum a Sponio [m]).

Neocora. Qui honos incipit sub Ant. Pio, scripto primum simpliciter NЄΩ-ΚΟΡΩΝ, et adhuc sub hoc legitur ΔIC. NЄΩΚΟΡΩΝ. Geminatus hic honos memoratur in sequentibus, at sub Caracalla et Domna triplicari incipit. In nonnullis scribitur NЄΟΚΟΡΩΝ pro NЄΩ-ΚΟΡΩΝ.

Nomen ab imperatore. CЄΒΑCΤΩΝ. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. Vide, quae dixi in *Prima*, et *Sacerdos*, nempe in honorem Augusti, a quo multis beneficiis fuit ornata, ut dictum.

Mentio situs a fluviis *Selino* et *Cetio*. ΠЄΡΓΑΜΗΝΩΝ. CЄΛΙΝΟC. *Fluvius decumbens d. cymbam contingit*, in numo Aelii. (Vaill.)

CЄΛΙΝΟC. ΚΗΤΙΟC. *Selinus et Cetius decumbentes intermedio Aesculapii signo*, in numo Aurelii, (Vaill.) at in Pelleriniano pro Aesculapio est *Fortuna stans* (Suppl. II. p. 69.) — *Juppiter nudus stans inter duos fluvios muliebres humi decumbentes*, in numo Commodi (Spanh. ad Morell. ep. II.) In simili reginae Christinae Spanhemius legit ΚΗ-ΤЄΙCC, (Tom I. p. 508.) non inique, nam utroque modo scriptum hoc flumen habemus. Vaillantii ΚЄΤΙΟC an recte scriptum ex numo Aurelii, dubitem.

---

l) L. LXXVIII. §. 20. m) Voyage T. III. p. 140.

Digitized by Google

De utroque flumine Plinius n): *laugque clarissimum Asiae Pergamum, quod intermeat Selinus, praefluit Cetius*, quamquam nec Caicus multo illustrior longe distabat. A Cetio urbis incolae, antequam Pergamus vocaretur, dicti sunt *Cetii*, quos innuit Homerus versibus supra citatis: ἑταίροι Κητειοι, quod mirum fugisse Strabonem, cum de his Ceteiis disserens addit: non constare, quos Ceteios intelligere debeamus. Pellerinius in suo numo juxta figuram Selini videt folia apii, quod Graecis σέλινον dicitur, quo indicatur, fluvium sic vocatum ab ejus herbae copia propter ejus oram enascentis. Ex his, quae modo dixi, sequitur, quam injuste Massonius Cetium ex similibus numis extrusum velit o).

Certamina indicantur: ΟΛΥΜΠΙΑ.ΠΥΘΙΑ, in numo Caracallae. — ΟΛΥΜΠΙΑ. Α. interprete Vaillantio: ΟΛΥΜΠΙΑ. Ακτια, in numo Valeriani.

Concordiae frequens mentio initae cum variis Asiae et Bithyniae urbibus addito vel suppresso ὁμονοιας vocabulo. Eam mature admodum in numis testati sunt; jam enim in Augusti numis, quos supra citavimus, legitur ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. de quibus vide etiam numos Sardium.

AE. C.

REGES PERGAMI.

Regnum Pergamenum conditorem habuit Philetaerum Tio Paphlagoniae obscura stirpe oriundum, et quod vilius, spadonem. Ei Lysimachus Thraciae rex thesaurum regium, qui Pergami servabatur, credidit. Lysimacho in acie a Seleuco caeso ejus quidem gazam Philetaerus victori obtulit, at cum hic non multo post Ptolemaei Cerauni insidiis occubuisset, ipse in Lysimachi opes successit, regnumque V. C. 473. A. X. 281. fundavit nonnisi cum gente sua desiturum. Mortuus est circiter V. C. 493.

Commemorato regni Pergameni exordio enarrandis successorum rebus gestis non immorabor, quod ad eas explicandas numi nihil conferunt. Etenim, ut recte advertit Pellerinius p), successores, etsi alii Eumenis, alii Attali nomine insignes fuerint, in numis tamen tantum Philetaeri fundatoris nomine usi sunt, ut reges Aegypti omnes se dixere Ptolemaeos, Parthiae Arsaces; tamen numos omnes Philetaeri nomine inscriptos non esse uni omnes Philetaero conditori tribuendos, ex ipsis numis satis appareret, qui nimium variantia oris lineamenta offerunt. At enim desperata ratio, varia haec capita singulis rite successoribus tribuendi. Ceterum Philetaerum excepit Eumenes *I.* ex fratre nepos, hunc Attalus I., hunc Eumenes II., quem secuti sunt Attali II. et III. Fuere in historia per bella Gallica, Syriaca, Bithynica, et questuosam rebus suis erga Romanos observantiam cogniti. Attalus III. moriens regnum Romanis legavit V. C. 623., quod cum non ferret *Ari-*

n) L. V. c 30. o) In Collect. histor. ad Aristid. p) Rois p. 179.

Digitized by Google

stonicus Attali II. filius, sed non legitimus, vi occupare regnum adortus, caeso primum Licinio Crasso Romanorum duce superior, deinde a Perpenna victus captusque in carcere strangulatur V. C. 625. Regum Pergami historiam adcurate scripsit Sevinus q).

Numi regum Pergami.

Caput regis laureatum, rarius diadematum. Ꝟ ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ. *Pallas sedens d. clypeum humi attinet, rarius coronam attollit, s. hastam, per aream literae solitariae, in nonnullis* ΑΣΚ. *saepe arcus.* AV. II. (Mus. Theupoli.) AR. I. (apud varios, praecipue Pellerinium.)

Caput Palladis galeatum. Ꝟ ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ. *Serpens.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.)

Caput Apollinis. Ꝟ ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ. *Tripus.* AE. III. (Haym.)

Caput regis. Ꝟ ΦΙΛΕΤΑΙ -- *Folium hederae.* AE. IV. (Mus. princ. de Waldeck.)

In nullo hactenus id genus numo, si Goltzianum demas, repertum est additum ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Omissum illud a Philetaero, et Eumene I., nequaquam mirum, quod ipsi in nomen regium nondum invasere. Eo tandem uti coepit Attalus I. victis magna gloria Gallis, docentibus istud Strabone, Livio, Polybio. Forte propterea huic et successoribus tribuendi illi, qui caput diadematum sistunt.

Palladis effigies in argenteis perpetua, quam forte iis intulerit propterea, quia eam proposuit in moneta sua etiam Lysimachus, cui ad extremum fidus permansit Philetaerus. Attalum solennes ludos in ejus deae honorem celebrasse ex Polybio canstat r). Serpens ad veterem apud Pergamum Aesculapii cultum adludit, de quo actum proxime. Tripus Apollinem, folium hederae Bacchum respiciunt.

AV. RRRR. AR. RR. AE. R.

PERPERENE.

Versus Adramytium, ab aliis Aeolidi tributa.

Autonomis caret.

Imperatorii a Nerone usque ad Otaciliam. Singularis est sequens:

ΝΕΡΩΝΟΣ. ΚΛΑΤΔΙΟΥ. ΗΓΕΜΟΝΙΑ. *Caput muliebre laureatum.* Ꝟ ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ. *Botrus.* AE. III.

Hunc numum ex museo collegii sui primus vulgavit Harduinus s), restituit bis Morellius t). Solae Thraciae urbes in numis ἡγεμονας, *praesides*, memorant, eoque nomine intellectus fuit magistratus Romanus, qui provinciae praefuit. At in hoc numo nomine ΗΓΕΜΟΝΙΑ. intelligitur *principatus Neronis*, nam et ipsos imperatores saepe a Graecis dictos fuisse ἡγεμονας, ostendam in tractatu de *Praesidibus*. Caput muliebre laureatum est caput symbolicum ipsius Ηγεμονιας, ut alibi senatus, populi, Γερουσιας etc.

* * *

q) B. L. T. XII. Mem. p. 204. r) Hist. L. IV. c. 49. s) Num. urb. illustr. t) Specim. tab. XXI. et Impp. Tom. II. p. 134.

Digitized by Google

ΤΠΕΡ.ΝΙΚΗC.ΕΠΙ.ΑΝΤΙΦΑΝΟΤC. ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ. *Fluvius decumbens*, Commodi. AE. I. (Vaill.)

Multi exstant numi imperantibus M. Aurelio, L. Vero et Commodo signati, qui ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗC. inscriptum offerunt, quos olim collegi in mea Sylloge I. p. 63. seq.

* * *

ΕΠΙ. CΤΡ. Μ. ΑΤΡ. ΠΟΝΤΙΜΟΤ. ΠΕΡΠΕΡΗΝΙΩΝ. *Caracalla paludatus stans d. pateram, s. hastam, quem adstans mulier tutulata s. cornucopiae tenens coronat.* Caracallae. AE. m. m. (le Blond Observat. p. 44.)

Observandum in hoc numo scriptum ΠΕΡΠΕΡΗΝΙΩΝ. pro solito ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ.

* * *

Commemorandi denique numi Perperenorum quidam dubiae omnes lectionis.

ΕΠΙ. ΛΕΩΝΟC. ΚΑΙΕΡΕΟC. ΔΙΑ. ΒΙΟΤ. ΤΩ. CΕΒ. ΓΑΤΚΩΝΟC. ΕΤ. - ΗΠ. ΠΕΡΠΕΡΗ. *Bacchus stans d. diotam, s. thyrsum, pro pedibus pantheriscus.* M. Aurelii. AE. m. m. (Mus. Pisani tab. XX.)

- - - ΙΕΡΕΟC. ΔΙΑ. ΒΙΟΤ. ΤΩ. CΕΒ. ΓΑΤΚΩΝΟC. - - - ΠΕΡΠΕΡΗ. *Idem typus.* M. Aurelii. AE. m. m. (Mus. Florent.)

ΠΕΡΠΕΡΗ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΙΕΡΕΩC. ΔΙΑ. ΒΙΟΤ. ΤΩ. CΕΒ. ΓΑΤΚΩΝΟC. ΕΤΟΤC. *Idem typus.* M. Aurelii. (Holstenius ex MS. Ligorii in Not. ad Steph. p. 246.)

ΕΠΙ. ΑΓΩΝΟΘΕΤ. ΙΕΡΕΟC. ΔΙΑ. ΒΙΟΤ. ΤΩ. CΕΒ. ΓΑΤΚΩΝΟC. Β. ΔΗΜΕ. ΠΕΡΠΕΡΗ. *Cybele* (verius Ceres) *canistro insidens d. spicas, s. facem.* M. Aurelii. AE. m. m. (Catalogue d'Ennery p. 408.)

Satis apparet, epigraphen in omnibus his numis esse eandem, sed quia singuli corrupti, a viris eruditis male exceptam. Non ergo videbantur promeriti tot conjecturas, quas ad evolvendam epigraphen attulerunt, ac praecipue Abbas Mazzolenus, qui binis locis praepropera, et incredibilia de proposito in his numis deo Glycone, et epocha, quam in literis ET. — ΗΠ. vidit, nobis propinavit [u]).

Magistratus praetor in numis Severi, Caracallae, Otaciliae.
AE. RRR.

PIONIA.

Versus sinum Adramytenum prope Gargara, memorata Straboni et Plinio.

Imperatorius Domnae: ΕΠΙ. CΤΡ. ΑΤΡ. ΑCCΙΩΝ. ΠΙΟΝΙΤΩΝ. *Templum 4. col., in cujus aditu mulier stans cum calatho s. hastam tenet.* (Vaillant.)

Exhibet hic numus concordiam Pioniam inter, Assumque vicinam.
AE. RRRR.

PITANE.

Versus Aeolidem.
Autonomi.
ΠΙΤΑΝΕΩΝ. *Caput Ammonis.* ΧΕΠΙ.

---

[u]) Mus. Pisani. T. I. p. 55. et T. II. Animadversione XIII.

Digitized by Google

ΜΕΛΕΑΓΡΟΤ. *Iuppiter stans d. aquilam, s. hastam.* AE. III. (Mus. Theup.)

Caput Palladis. Ϟ ΠΙΤΑΝΑΙΩΝ. *Telesphorus.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Ammonis. Ϟ ΠΙΤΑΝΑΙΩΝ. *Pentagonum.* AE. III. (Pellerin.)

ΘЄΑΝ. ΡΩΜΗΝ. *Caput Romae,* Ϟ ΠΙΣΑΝΑΙΩΝ. *Pentagonum.* AE. III. (Pembrock.)

Nomen urbis secundum scriptores et numos fuit *Pitane*, et, si non fallit ectypon Pembrockianum, dicta quoque fuit *Pisane.* Sin istud, videtur Pisane in Pitanen mutatum ex dialecto vicinae Aeolidos. Sic legimus in numis ΘΑΣΙΩΝ et ΘΑΤΙΩΝ, tum: ΜΕΣΗΜΒΡΙΑΝΩΝ et ΜΕΤΑΜΒΡΙΑΝΩΝ.

Cum pentagonum in his numis totum aversae typum constituat, lubet in ejus sensum hoc loco inquirere. Refert Lucianus x), Pythagoricis familiare fuisse το τριπλων τριγωνον, το διαλληλον, το πεντογραμμον, *triplex triangulus inter se junctus, quinquelinearis*, atque istud symbolum, ait, ΤΓΕΙΑ προς αὐτων ὠνομαζετο, *SALVS ab ipsis appellabatur.* Nullus dubito, pentagono huic in Pitanes quoque numis eandem esse significationem, propterea quod in alio ejus numo, quem citavimus, Telesphorus fingitur Hygiae comes. Eodem certe etiam sensu accipiendum pentagonum simile, quod saepe videre est in amuletis, quae ad Gnosticorum superstitionem vulgo referimus, et in quibus plerumque res et virtus medica agitur. Et videtur idem symbolum in area numorum Nolae, Nuceriae, Ptolomaei incerti, tum et urbium Galliae obviam eandem habere significationem.

AE. RR.

Imperatorii tres cogniti, Faustinae jun. ΠΙΤΑΝΑΙΩΝ. *Figura stans d. pateram s. bipennem.* (Pellerin.) Alexandri Sev., in quo magistratus: ЄΠΙ. CT. M. ATP. ΠΟΒΛΙΟΤ. ΤΟ. Β. (Vaillant.) Idem numus, sed praegrandis moduli, est in museo princ. Waldeck, sed cum epigraphe. ЄΠΙ. CTP. ATP. ΠΟΠΛΙΟΤ. ΤΟ. Β. ΠΙΤΑΝΑΙΩΝ.

AE. RRR.

POEMANENI.

Prope Cyzicum. Eorum meminere Plinius, Aristides rhetor, et Stephanus.

Autonomus editus a Pellerinio;

Caput barbatum. Ϟ ΠΟΙΜΑΝΗΝΩΝ. *Fulmen infra* ΒΗ. AE. II.

Alium huic similem jam ante Pellerinium citavit Cl. Masson in Collectan. hist. ad Aristid. §. 3.

Perperam Pellerinius his Poemanensis tribuit numum inscriptum ΠΡΑΙCΙΩΝ, qui est Praesi Cretae, quam vide.

AE. RRRR.

Imperatorius unicus, iisque Trajani, editus a Pellerinio: (Suppl. I. p. 35.) ЄΠΙ. ЄΓ. ΑΡ - - ΤΩΝΟΣ. ΠΟΙΜΑ. *Aesculapius stans.* Ejus dei illustre apud Poemanenos templum stetisse, testatur Aristides y).

AE. RRRR.

x) De lapsu inter salut. y) Orat. IV. sac.

Digitized by Google

PRIAPVS.

Versus Hellespontum et Lampsacum, a deastro cognomine appellationem adepta.

Autonomi:

Caput muliebre velatum. Ɪ ΠΡΙΑΠΗ-ΝΩΝ. *Caput bovis, juxta monogramma, omnia intra coronam spiceam.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Apollinis. Ɪ ΠΡΙΑΠΗΝΩΝ. *Cancer marinus oblongior.* AE. II. III. (Sestini Lettere T. III. p. 79.)

Inique Wildius et Froelichius huc vocaverunt numos, qui sunt Priansi Cretae, ut in hac dictum.

AE. RRRR.

PROCONNESVS.

Insula, quae vicinae Cyzico nobile marmor dedit.

Autonomi:

— ΑΣΙΓΕΝΗΣ. *Caput laureatum.* Ɪ ΠΡΟΚΟΝ. *Cervus dimidius respiciens, juxta vas.* AR. III. (Hunter.)

Plinius [a]): *Insulae in Propontide iuxta Cyzicum:* Elaphonnesus, *unde Cyzicenum marmor, eadem* Neuris, *et* Proconnesus *dicta.* Advertit ad haec Harduinus [a]), Scylaci Proconnesum et Elaphonnesum binas distinctas esse insulas, sed hoc ipsum conciliari a Strabone, Proconnesum novam et veterem agnoscente, appellationis vero rationem utrinque esse parem; nam πρῶξ et ἔλαφος cervini esse generis animalia, et ab his utrique insulae nomen factum. Sane teste scholiaste Apollonii [b]) *ἐν ταῖς πηγαῖσι ταῖς ἐλαφρὰς λεγεσθαι πρόκας, ὅθεν καὶ Προκοννήσος, cervas, cum uterum gestant, dici πρόκας, unde et Proconnesus.* Et infra: *ὑπο τινων δε Προκόννησος καὶ Ελαφόννησος ἐκλήθη, ab aliquibus vero Proconnesus et Elaphonnesus dicta est.* Eodem etiam pertinere appellationem tertiam *Neuris* Plinianam, haud dubie ductam a *νεβρος, hinnulus.* Ab his ergo testimoniis explicatur typus cervi in hoc numo propositi.

* * *

Caput Iovis. Ɪ ΠΡΟ - - - ΑΦΟΝΝΗ. *Fulmen alatum.* AE. III. (Pellerin, Rec. III. tab. CVI.)

Alium similem sic describit Sestinus (Lettere T. IV. p. 109.)

ΠΡΟΚΟΝ. ΑΦΟΝΝΗ. *Caput Iovis,* Ɪ ΠΡΟΚΟΝ. ΑΦΟΝΝΗ. *Fulmen alatum.* AE. III.

Conjecit Pellerinius, alterum numi sui vocabulum, idque mancum explendum esse legendo ΕΛΑΦΟΝΝΗ, ut adeo illi utrumque insulae nomen, *Proconnesi,* et *Elaphonnesi,* de que continuo egimus, videatur inscriptum. Verum cum in utraque numi Sestiniani parte aliud perinde non legatur, quam ΑΦΟΝΝΗ, conjectura haec locum jam habere nequit, et vocabulum illud vel magistratum, vel aliud notat.

AE. RRRR.

SCEPSIS.

Vide Scepsin Troadis.

---

a) L. V. §. 44. a) Nota 99. b) Ad Argon. L. II. 279.

Digitized by Google

TROAS.

ABYDVS.

Ad Hellespontum, qua is maxime artatur, Milesiorum colonia teste Thucydide [a]).

Autonomi.

Persona adversa exserta lingua. ℞ *Signum incusum in crucis formam.* AE. III. (Pellerin.)

Persona similis. ℞ *Caput Palladis.* AV. AR. III. (Pellerin.)

Persona similis. ℞ *Sine epigraphe, vel solo adstituto* A. *Ancora.* AR. III. (Pellerin.)

Persona similis. ℞ ABT. *Aquila stans.* AR. III. (Pellerin.)

Facundior numus postremus praecedentibus aut anepigraphis aut parcius loquentibus patriam Abydum jure adsignat. Personae, ancorae, aquilae causa incerta. Similis formae personam offerunt etiam numi vicini Parii Mysiae. Aureus, quem loco II. citavi, eximiae est raritatis. Teste Xenophonte [b]) Abydeni fodinas auri possederunt. Numus loco I. descriptus, quia incusus in parte aversa est, in antiquissimis est putandus.

* * *

Caput Apollinis laur. ℞ ABT. ΜΟΛΠΑΣ. *Aquila stans.* AR. I. (Pellerin.)

Protome Dianae cum arcu et pharetra. ℞ ΑΒΤΔΗΝΩΝ. *Aquila stans expansis alis, in area delphinus tridenti implexus, omnia intra coronam.* AR. I. (Pellerin.)

Protome adversa Dianae capite turrito, cum arcu et pharetra. ℞ ABT. *Cerva stans intra coronam.* AE. II. (Pellerin.)

Protome adversa Apollinis. ℞ ΑΒΤΔΗ. *Lyra.* AE. III. (Pellerin.)

En tibi illustriores reliquos Abydi autonomos. Docent, Apollinis et Dianae cultum in hac urbe fuisse potiorem. De Dianae cultu constat ex Polybio, qui refert [c]), Abydenos a Philippo V. Macedoniae rege obsidione pressos in ejus templo congregasse uxores filiasque, quas deinde rebus desperatis occiderent ipsi.

* * *

Magistratus domesticus nonnullis, ut vidimus, inscribitur. Talis sine dubio est etiam ΑΝΤΙΓΟΝΟΤ. inscriptus numo Abydeno, quem edidit Panelius, creditque, eo nomine intelligendum Antigonum Macedoniae regem [d]). Similia eruditorum sphalmata vidimus supra in numis Pergami Mysiae.

Arigonius Aryciae, Pellerinius Ary-

---

a) L. VIII. c. 61. b) Hist. Graec. L. IV. sub. fin. c) Hist. L. XVI. c. 116. d) Catalog. le Bret.

Digitized by Google

candae tribuerunt numos, qui huc pertinent, ut suis locis observatum.

AV. RRRR. AR. R. AE. RR.

Imperatorii ab Augusto usque ad Mamaeam.

Epigraphe ΑΒΤ. ΑΒΤΔΗΝΩΝ.

Typi insigniores:

ΗΡΩ. ΛЄΑΝΔΡΟC. *Leander natans versus turrim, in qua stat Hero lampadem praetendens, superne volitat Cupido facem praegestans*, Severi et Caracallae, (Vaill.) Alexandri Sev. (Morelli Specim. tab. XVIII.)

Idem argumentum vidimus in numo Sesti Thraciae, freto ibi perangusto utramque urbem, Leandrique et Herus amores dirimente, quae fabula in vulgus nota. Quod in his numis Cupido facit, ipse etiam de se confessus est apud Statium [e]):

Vidi et Abydeni juvenis certantia remis
Brachia, laudavique manus, et saepe natanti
Praeluxi.

In numo Morelliano scribitur ΛΗΑΝΔΡΟC, quod perinde habendum. Musaeus in carmine de Herus et Leandri amoribus scripsit Λεανδρος, aut cum primam produci metri ratio jussit, Λειανδρος.

* * *

Naves binae, in quarum una tres milites confligentes, in litore specula, super qua figura tuba canens, Severi, Caracallae. AE. m. m. (Mus. Albani et Caes.)

Causam hujus typi nondum reperi. Videtur heroicum aliquod domi factum nobis ignotum continere.

Magistratus archon frequenter memoratur, ut: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΑΙΛ. ΖΩΙΛ. *AE. RR.*

ALEXANDRIA TROAS.

E regione Tenedi maritima, olim dicta *Sigia* ab Antigono Asiae rege nomen *Antigonia* tulit; at Lysimachus Thraciae rex eam in Alexandri M. honorem nominavit *Alexandriam*, diciturque *Troas* a regione ad aliarum discrimen. A Romanis, qui huic tractui incunabula sua se debere crediderunt, serius multum amplificata et deducta colonia ejus viciniae urbs princeps evasit. Vide Mem. B. L. T. XXVIII. p. 325.

Autonomi:

Caput Apollinis adversum laur. Ϫ ΑΛΕΞΑΝ. *Lyra intra lauream.* AE. fere I. (Pellerin.)

Hunc numum ad hanc Alexandriam pertinere, docet numus vicinae Abydi cum simillimo utrinque typo.

* * *

Caput Apollinis. Ϫ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ *Equus pascens, intra ejus pedes aquila stans.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Apollinis. Ϫ ΛΤΚΚΕΙΟΤ. *Equus pascens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Equus pascens obvius subinde fuit typus in numis Alexandriae coloniae. Causa typi alterum quoque numum, etsi urbis

e) Silv. L. I. Carm. 2. v. 87.

Digitized by Google

nomen non addat, huc referendum puto. Est adeo vocabulum ΑΤΚΚΕΙΟΤ magistratus domestici nomen. Hunc nummum olim edidi pictumque stiti in meis Numis vet. p. 194. Contra aliorum sententias equum cum Apolline conjungi censeo propterea, quod hoc animal apud barbaros aeque ac Graecos fuit Solis bestia, ut pluribus testimoniis in opere citato probavi.

* * *

De nume aureo, qui verisimiliter huc referri potest, agam infra in numis coloniae.

AV. dubius, AR. RRRR. AE. RR.

Numi Apollinis Sminthii.

Caput Apollinis laur. Ϟ ΑΠΟΛ-ΛΩΝΟΣ. ΠΜΙΘΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕ-ΩΝ. - - ΜΑΝΔΡΟ ΣΛΕ. *Apollo stolatus gradiens pendente ex humeris pharetra, a. arcum cum sagitta, in area monogramma.* AR. l. (Cuperus in Harpocrate.)

In alio simili postremum vocabulum legitur: - - ΑΜΑΝΔΡΟΝ. (Maffei Veron. ill. P. III. p. 240.)

In alio simili epigraphe est: ΑΠΟΛ-ΛΩΝΟΣ. ΠΜΙΘΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕ-ΩΝ. ΠΕΙΣΙΣΤΡΑΤΟΥ. ΣΛ. (Pembrock P. II. tab. 35.)

In alio epigraphe est: ΠΜΙΘΕΩΣ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. - ΤΣΑΓΟΡΟΥ. ΡΠΓ. (Catal. d'Ennery p. 66.)

Praeclari hi numi copiose illustrantur cum a Cupero [f]), tum a Spanhemio in adjecta epistola. Apollinis Sminthii magnus fuit in hoc tractu honos, sic dicti a *muribus*, nam, ut narrat Aelianus [g]), Aeolibus et Trojanis mus dicebatur *Sminthius*. Cultus origo varie a veteribus narratur. Alii referunt, Apollinem sagitta mures interemisse, qui frugibus in eo tractu perniciem attulere; alii, Cretensibus a Pythio datum responsum, ibi considerent, ubi terrigenae bellum iis inferrent; ad hanc subinde oram cum appulissent, mures clypeorum lora adrosisse, quo impletum credidere oraculi monitum, et mox ibi Apollini Sminthio templum statuisse [h]). Alias origines vide apud auctores a Cupero citatos.

In epigraphe notandum ΠΜΙΘΕΩΣ, extruso N, et terminatio secundum Homerum [i]): Τενεδοιο δε ἰφι ἀνασσεις, Σμινθεῦ, cum auctores alii passim scribant Σμινθιος. Notandum item primum elementum Π pro Σ, quod et in Smyrnaeorum numis observatur scripto frequenter ΠΜΤΡΝΑΙΩΝ. pro ΣΜΤΡΝΑΙΩΝ.

Typus in his numis non quidem conspirat cum simulacro Apollinis Sminthii, quod stetisse Chrysae, quae fuit Alexandriae vicina, refert Strabo [k]), nimirum sub ejus pede fuisse murem, opus Scopae Parii, consentiente etiam Eustathio ad citatum Homeri versum. Facilius conspirat cum ea fabula, qua mures sagittis a deo confixi feruntur. Veris-

f) L. c. g) Hist. anim. L. XII. c. 5. h) Aelian. l. c. Strabo L. XIII. Servius ad Aen. III. 108. Tzetzes ad Lycophr. v. 1302. i) Il. A. 38. k) L. XIII. p. m. 391.

Digitized by Google

simum mihi videtur, Alexandrenses in fingendo horum numorum Apolline respexisse aureos illos Homeri versus, quibus is describit paratum ad ultionem Apollinem, quem Smintii nomine invocavit offensus ejus sacerdos Chryses [l]):

Βη δε κατ' Ουλυμποιο καρηνων χωομενος κηρ,
Τοξ' ωμοισιν εχων, αμφηρεφεα τε φαρετρην,
Εκλαγξαν δ' αρ' οϊστοι επ' ωμων χωομενοιο
Αυτε κινηθεντος, ο δ' ηϊε νυκτι εοικως.

Descenditque dè Olympi verticibus iratus animo,
Arcus humeris gestans, et undique tectam pharetram,
Clangorem vero dederunt sagittae in humeris irati
Eo incedente; ipse vero ibat nocti similis.

Confer sodes hos versus cum praesentium typo numorum.

Mentio situs ad *Scamandrum* fluvium dubia non est sed Cuperus legendum censet ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΥ, Spanhemius ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ. Si fidelis est Maffei lectio, quam proposui, dubium non est, legendum ΠΡΟΣ. ΣΚΑΜΑΝΔΡΩΝ. Ejus mentio omittitur in Pembrockiano.

Epochae annus in omnibus quatuor comparet, sed tribus tantum annis diversis: ΡΠΓ. ΣΛ. ΣΛΕ. Eam Spanhemius in citata ad Cuperum epistola ducendam censet a tempore, quo urbs auctore Lysimacho pro Antigonia dicta fuit Alexandria. Factum istud ex Spanhemii sententia V. C. 454. A. X. 300. Signati ergo essent hi numi annis V. C. 636. 683. 688. Non dissentit huic opinioni Pellerinius [m]), quamquam non minus verisimile censeat, adhibitam ab Alexandrensibus epocham Alexandri M. Cum epocha his tantum autonomis inscripta sit, vix sperandum, nos certius aliquid aliquando comperturos.

AR. RRR.

Colonia deducta ab Augusto, et coloniae nomine signati numi abundant; et sunt etiam hujus generis

Autonomi copiosi, qui eandem epigraphen et typos offerunt, quos numi cum capite Imperatorum.

Imperatorii reperiuntur a Trajano usque ad Saloninam.

Epigraphe: COL. TROA. TROAS. TROAD. addito saepe AVG. vel ALEX. ALEXAN. ALEXAND. Non raro luxatis literis barbara jam tempora olet.

Typi:

Equus pascens, obvius in hujus coloniae numis. Vaillantius indicari immunitatem a tributis constanter et confidenter asserit; at ignoravit tum adhuc vir eruditus, eum jam exhiberi in numis hujus urbis, cum colonia nondum esset. Explicatum alium magis verisimilem dedi supra in autonomis Alexandriae liberae:

* * *

Aquila volans bovis caput unguibus stringit, in numis Commodi, aliorumque. (Vaill.)

---

l) Il. A. 44. m) Mel. II. p. 312.

Digitized by Google

Statua Apollinis cippo imposita, juxta figura militaris ad aram sacrificans, superne aquila volans bovis caput unguibus defert, Crispinae. (Vaill.)

Ioannes Malala, cum conditas a Seleuco per Syriam urbes refert, eas capto semper augurio aedificatas memorat, nempe advolante aquila abreptam victimae portionem, aut ipsum etiam tauri caput in eum locum deferente, ubi dei jussu nova urbs statuenda esset [n]). Praemonuit jam istud Vaillantius ad similem numum Antonini Pii. Idem in condenda Antiochia ad Orontem accidisse ante Malalam docuit Libanius [o]). Simile quid in condenda Alexandria Troade contigisse, docuerint fabulae domesticae. Argumentum aquilae bovis caput complexae exstat etiam in aureo anepigrapho pervetusti operis (nam postica quadratum informe offert) quem Pellerinius inter incertos recenset. (Rec. T. III. tab. CXV. n. 3.) Quare verisimile est, eum in hac urbe, sed cum Sigiae adhuc nomen teneret, fuisse signatum; praesertim cum videamus, Alexandrenses, etiam cum coloni essent, veteribus suae urbis typis, ut Corinthios, sedulo inhaesisse.

* * *

Alii typi sunt: *Apollo volanti grypho insidens*, *Silenus*, *lupa gemellos lactans*, inferiore aevo potissimum *caput muliebre turritum*, *pone vexillum*, cui saepe inscriptae literae, sed plerumque dubiae. In uno musei Caesarei lego AV. TP. sunt- que fabricae satis barbarae. In Pellerinianis legitur CO. AV. (Mel. II. p. 61.) Plures etiam ex memoratis hic typis saepe in uno eodemque numo junguntur.

Aureliam Antoninianam se vocat in numis Caracallae.

Mentio situs, a fluvio Scamandro in autonomis, et regione Troade in coloniae numis.

AE. C.

ARISBA.

Hujus urbis numum *imperatorium* cum capite Trajani Vaillantius ex museo suo citat inscriptum APICBЄΩN. typo *Herculis leonem suffocantis.* Citatur item similis AE. II. formae in museo Christinae. Fuit etiam Arisba Lesbi.

AE. RRRR.

DARDANVS.

Ad Hellespontum, urbs antiqua, aedificata a Dardano Trojano secundum Diodorum, et hodiernis Dardanellis nomen fecit.

Autonomi:

Mulier stolata equo gradienti insidens d. frenum, s. lateri admota. ΣΔAP. *Gallus stans.* AR. I.

Insignem hunc numum Pellerinius in postremo suo opere, quod *Additions* inscribitur, edidit [p]), explicavitque pagina ultima. Typus mulieris in equo non equitantis, sed sedentis, quo ritu Cybelen leoni suo, Isidem cani insidere conspicimus, vix alias in numis occurrit. Simili

---

n) Chronogr. L. VIII. o) In Antiochico. p) Pag. 1.

Digitized by Google

modo in numo Celenderis Ciliciae virum equo suo vehi videbimus. Quae sit equestris haec mulier, in veterum commentariis non reperi. Verisimile est, quod existimat Pellerinius, esse domesticam quandam veteris aevi heroidem inclyto quopiam facto illustrem.

In numis reliquis, quos vide apud Pellerinium et Haymium, *epigraphe:* ΔA. ΔAP. ΔAPΔ. *Typi* potiores: *Eques armatus* ℵ *Gallus.* Quo typo confirmatur, quod refert Pollux, Dardanios in numis signasse ἀλεκτρυονων μαχην, *gallorum pugnam* q). — *Caput Aesculapii.* ℵ *Serpens adsurgens.* (Pellerin.) Sunt hi numi aenei omnes.

AR. RRRR. AE. RR.

Imperatorii reperti ab Augusto usque ad Getam.

Augusti unus proditur solum in museo Theupoli: ΔAPΔ. *Victoria.* Reliqui ab Ant. Pio procedunt.

Epigraphe: ΔAPΔANIΩN. *Typi* insigniores: *Aeneas humeris Anchisen portans, d. Ascanium ducens,* Domnae et Getae. *Ganymedes nudus pileo Phrygio tectus ab aquila sursum effertur,* Getae. Sunt haec argumenta domestica.

Magistratus urbis fuit *archon,* qui legitur in numo Severi: ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΦΙ-ΛΙΠΠΟΥ. (Vaill. Pisani.)

Mentio situs a Rhodio fl. ΔAPΔANIΩN. POΔIOC. *Fluvius decumbens,* in numo Domnae. (Vaill.) Hunc Rhodium Strabo inter Abydum et Dardanum in mare exire dicit r).

AE. RR.

ILIVM.

Hoc nomine intelligimus non veterem illam Trojam, Ilium quoque dictam, sed Ilium novum XXX. stadiis a vetere versus mare remotum. Fuit olim pagus cum fano Minervae Iliados, de qua mox plura, cui Alexander post victoriam ad Granicum ornamenta addi jussit addita urbis appellatione. Abstulit tamen deae arma, quae deinde praegestari in praeliis jussit s). Mortuo Alexandro opus perfecit Lysimachus. Temporum injuriis rursum desertum a Romanis nonnulla incrementa accepit, quod hinc se profectos aut scirent, aut putarent. Quare iis imperator Claudius tributa in perpetuum remisit oratore Nerone Caesare t).

Autonomi:

Caput Palladis. ℵ ΙΛΙ. *Mulier gradiens capite velato d, hastam super humero, s. taedam.* AE. III. (Pellerin.)

Partis aversae mulierem Pellerinius Isidem putavit; at patebit ex sequentibus Minervae Iliadis numis, in hoc quoque Minervam, qualis nempe Ilii colebatur, exhiberi; nimirum dempto velo nullum in utroque apparet discrimen.

* * *

q) L. IX. §. 84. r) L. XIII. p. m. 889. s) Arrian. de exp. Alex. L. I. c. 11. et L. VI. c. 9. t) Suet. in Claud. c. 25. Tacit. Ann. XII. c. 58. Digg. L. XXVII. tit. 1. §. 17.

Digitized by Google

Caput Palladis. Ꝟ ΙΛΙΕΩΝ. *Apollo stolatus stans d. pateram, s. lyram.* AE. III. (Pellerin.)

ΙΛΙΕΩΝ. *Caput Palladis.* Ꝟ ΙΛΙΕΩΝ. *Aeneas cum Anchise et Iulo profugus.* AE. III. (Pellerin.)

ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. *Caput muliebre turritum.* Ꝟ ΙΛΙ. *Aquila Ganymedem nudum crinibus ex rostro pendulum tenet.* AE. III. (Arigoni.)

Merebantur hi numi ob typorum elegantiam, sed qui explicatione non egent, plene describi.

AE. RR.

Numi Minervae Iliadis.

Caput Palladis. Ꝟ ΑΘΗΝΑΣ. ΙΛΙΑΔΟΣ. *Pallas tutulata gradiens d. hastam super humero, s. taedam, pro pedibus noctua, vel apis, vel corona, vel palmae ramus, pone monogramma, in imo:* ΑΠΗΜΑΝΤΟΥ, *vel:* ΜΕΝΕΦΡΟΝΟΣ., ΤΟΥ. ΜΕΝΕΦΡΟΝΟΥ. *vel:* ΣΩΣΤΡΑΤΟΥ, *vel:* ΑΓΑΘΟΥ. ΤΟΥ. ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ. *vel:* ΞΑΝΘΙΠΠΟΥ. AR. m. m. (Pellerin. Rec. II. p. 63. et Mel. I. p. 136. Hunter.)

Fuit Minerva nomine *Iliadis* variis in urbibus religiose culta, quas enumerat Abbas Fontenu, qui in numum similem copiose commentatus est [u]), fueruntque illae, quae Palladium se tenere jactabant, praeter nostrum Ilium et Romam Liris Lucaniae, Lavinium, Luceria, Argos, Sparta etc. Romae tanta fuit ejus deae veneratio, ut, quod paucis diis fuit concessum, haeres potuerit institui [x]). Habemus ergo in his numis Minervam Iliadem, qua forma saltem apud Ilienses, aut per vicinum tractum colebatur. Nimis forte acute Fontenu illud, quod Minerva manu tenet, et quod ex omnibus his numis manifesta taeda videtur, colum esse dixit, nempe quia Apollodorus muliebre hoc attributum Palladio fuisse additum dixit. Quae infra scribuntur nomina, magistratuum sunt, quod monere necesse, quia laudatus Fontenu το ΑΠΗΜΑΝΤΟΥ esse Minervae epitheton putavit. Pellerinianum ΜΕΝΕΦΡΟΝΟΥ pro ΜΕΝΕΦΡΟΝΟΣ videtur chalcographi vitio irrepsisse.

Expendendum adhuc superest, qua in urbe hi videantur numi signati. Corsinius, qui similem citat, eum Athenis cusum putat [y]). Verum ut argumentis aliis abstineam, vel sola fabrica perelegans numos hos Athenensibus eripit. Abbas Fontenu eos his nostris Iliensibus tribuit [z]). Cum hoc primum conspiravit Pellerinius [a]), serius Sigeum tutius referendos censuit [b]), propterea quod in inscriptione Sigea, quae exstat apud Chishul [c]), et Muratorium [d]), mentio fit templi Minervae Iliadis, quod Sigei stetit, et peractorum ibi sacrificiorum, et institutorum item ludorum in honorem Antiochi I. Horum igitur solemnium occasione verisimile censet hos percussos Sigei numos. Sed enim ut facile dem, tetradrachma haec illustria non fuisse

u) Mem. B. L. T. V. p. 265. x) Fragm. Vlpiani XXV. 6. y) Fast. Attic. T II. p. 280. z) L. c. a) Rec. II. p. 63. b) Mel. I. p. 136. c) Ant. Asiat. p. 492. d) Thes. inscript. p. 2118.

Digitized by Google

Iliensium monetam ordinariam, nam horum res tenuiores fuere, quam ut licuisset tam splendida uti moneta, constat tamen, non modo Minervae templum stetisse apud Ilienses, quod ipse Alexander M. et Lysimachus summa religione prosecuti sunt, ut testatur Strabo [e]), atque illud quidem magnificum teste epigrammate Agathiae [f]), sed etiam festa et certamina ibi in ejus honorem constituta. Nam sic Eustathius [g]): Ιλισια, ἑορτη δε ταυτα ἡσαν ἐν Ιλιῳ, et Hesychius Ιλισια, ἐν Ιλιῳ Αθηνας Ιλιαδος και πομπη και ἀγων. Ergo ut per inscriptionem Sigeam constat, Sigei stetisse templum Minervae Iliados, et celebratos ibi ludos, sic etiam istud de Ilio constat, atque adeo hi numi perinde apud Ilienses, quam Sigeos collata plurium urbium symbola in ejus celebritatis usum feriri potuerunt. Quin lego apud Strabonem [h]), Sigeum fuisse dirutum ab Iliensibus, quod oppidanis non satis fiderent, et sub Iliensibus fuisse oram maritimam omnem usque Dardanum, idque adhuc Strabonis aetate. Quare satis spectatum fuit Ilium, ubi solemnia certamina potuerint obiri, et insignia adeo haec tetradrachma signari.

AR. RR.

Imperatorii non infrequentes a Caligula usque ad Saloninam. Augusti caput etiam post ejus mortem signarunt Ilienses conjunctum cum capite jam Caligulae, jam Claudii. Neque mirum, id honoris illi habitum, cui Ilium tanto in pretio fuit, quod ab eo ob cognationem sibi cum Iliensibus communem multis fuit beneficiis auctum, quae recenset Strabo [i]). Numum Caligulae, in quo hic dicitur ΓΑΙΟϹ. ΚΛΑΥΔΙΟϹ, vulgatum a Sestino in examen vocabimus in moneta hujus Augusti. Singularis est numus inscriptus: Π. ϹЄΠΤ. ΑΔΡ. ΓЄΤΑϹ. ΚΑ. quem edidit Pellerinius [k]), quia in hoc Geta *Hadrianus* dicitur, de quo nomine vide, quae notabo in numis Getae commatis Romani.

Epigraphe: ΙΛΙ. ΙΛΙΕΩΝ.

Aversae illustriores:

ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. ΙΕΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. ΙΛΙ. *Pallas in cippo inter capita Romae et senatus.* Caligulae. (Vaill. Arigoni.)

ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΙΛΙ. *Caput Augusti radiatum, juxta signum Palladis,* Claudii (Morelli. Impp. T. II. p. 32.)

ΙΛΙΟΝ. ΡΩΜΗ. *Duae mulieres stantes prior cum Palladio, altera cum vexillo,* Caracallae. (Vaill.)

ΔΙΑ. ΙΔΑΙΟΝ. ΙΛΙЄΙϹ. *Iuppiter sedens d. hastam, s. Palladium,* Domnae (Pellerin.)

ΔΑΡΔΑΝΟϹ. ΙΛΙЄΩΝ. *Vir seminudus sedens loquitur cum adstante muliere,* Crispinae. (Pellerin.)

Dardanus Trojae heros notus. In numo simillimo Swintonus legit ΔΑΡΔΑΝΟϹϹΗΝΩΝ., eumque tribuit Daranissae Ptolemaei sitae in Sophene majoris Armeniae [l]), perperam, ut neme non videt.

Ganymedes. Ejus nomen in numis non

---

e) L. XIII. f) Analect. Brunck. T. III. p. 54. g) Ad Iliad. Λ. h) L. XIII. p. m. 896. i) L. XIII. k) Rec. III. p. XIII. l) Philos. Transact. Vol. LVI. p. 27.

Digitized by Google

scribitur, cum satis ex typo, quis sit, intelligatur. Iam supra in autonomis expressum vidimus. In numis hujus classis: *Ipse sedens tectus pileo Phrygio super rupe, juxta aquila fallaciter adblandiens*, Commodi. — *Ipse ab aquila sursum fertur*, Getae. (Vaill.)

ΑΝΧΕΙCΗC. ΑΦΡΟΔΕΙΤΗ. ΙΛΙΕΩΝ. *Anchises et Venus stantes jungunt dexteras*, insignis numus Domnae. (Pellerin. Rec. III. p. 243.)

ΕΚΤΩΡ. ΙΛΙΕΩΝ. *Hector horridus in armis vectus in citis quadrigis*, numi obvii per varios impp. In alio: *Hector pro caesi Patrocli cadavere dimicans*, Macrini. (Mus. Albani.) Typum Hectoris diversum vide infra in epocha.

Teste Maximo Tyrio creditum Iliensibus, Hectorem etsi vita functum in patria sua constanter permanere, eumque conspici salientem per campos, et fulgurantem [m]).

Fluvius Scamander inscribitur numis Neronis, Britannici, Aurelii, Caracallae, Getae. ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ. ΙΛΙΕΩΝ. *Fluvius decumbens.* Scamandrum propter Ilium fluxisse constat, non tamen insertus est numis ad indicandum situm, cujus ratio non fuit, sed quod dei instar non ab indigenis modo, sed et ab exteris habitus est, et ab Homero μεγας θεος, ἀθανατος θεος dicitur [n]). Idem etiam in numis Germanicopolis Paphlagoniae et Cymes Aeolidis proponitur, sed nomine Xanthi, quod ei fluvio quoque inditum fuit, de quo pluribus egi in meis numis veterib. p. 170.

Epocham sibi videre visus est Vaillantius in numo Domnae: ΙΛΙΕΩΝ. ΔΟC. at primus eam impugnavit eruditus Wise [o]), testatus, a celebri Massonio numum, qui in gaza regis Galliarum exstat, ad examen vocatum, ab eoque distincte lectum ΑΘΕ pro ΔΟC Vaillantii. Iuxta examen alterum a Pellerinio institutum legitur ΙΛΙΕΩΝ. Ι - - ΔΟC. quod conjicit legendum ΙΟΥΛΟC, qui fuit Aeneae filius [p]). Alius ejusdem Domnae nuper museo Caesareo illatus est, in cujus aversa ΕΚΤΩΡ. ΙΛΙ - - ΔΩΝ. *Hector galeatus, cetera nudus, s. clypeum praetendens, d. hastam vibrans irruit.* Literae mediae non distinguuntur, sed reliquae, ac praecipue ΔΩΝ. luculentae sunt. In numo Getae catalogi d'Ennery p. 546. legitur ΙΛΙΗΩΝ. ΛΑΙ. Harum ego literarum explicationem non tento, quia veri aenigmatis modum habent. At istud saltem certum, uti epocham notare non possunt, ita eam neque in altero Vaillantii opinandam.
AE. R.

OPHRYNIVM.

Prope Dardanum.

Autonomi:

Caput adversum galeatum barbatum. Ϟ ΟΦΡΤ. *Vir nudus genuflexus d. hastam praetendit.* AE. III. (Haym. Pellerin.)

Recte Haymius statuit, capite anti-

---

m) Dissert. m. XV. sub. fin. n) Il. Φ. 248. et 380. o) Mus. Bodl. p. 205. p) Mel. II. p. 321.

Digitized by Google

cae proponi Hectora monente Strabone q): *non procul inde Ophrynium, ibi lucus Hectoris est loco conspicuo.* Typus posticae incerti est explicatus.

AE. RRRR.

SCEPSIS.

Versus sinum Adramytenum secundum Strabonem et Plinium. Aliam cognominem in Mysia minore collocat unus Ptolemaeus. Non pauci numi ex imperatoriis, qui CKHΨIΩN inscriptum habent, addunt alterum vocabulum ΔAPΔANIΩN. Ex quo conjecit Pellerinius, numos, qui illud addunt, esse Scepsis Troadis vel Dardaniae, qui omittunt, esse ejus, quam in Mysia ponit Ptolemaeus; nam ut ait, similia cognomina addi non solent, nisi causa discriminis inter urbes eodem nomine praeditas. Fuit autem in ipsa Troade ager, qui *Dardanii* nomen habuit, cujus meminit Strabo r), etsi aperte non definiat, Scepsin in ea fuisse positam. Ea sententia tantum valeat, quantum valere conjectura potest; nam multae aliae esse causae poterant, cur Dardanios se scripserint Scepsii nobis hactenus ignotae. Alteram in Mysia Scepsin geographi in dubium vocant.

Autonomi:

ΣKHΨION. *Pegasus marinus.* Ϫ *Arbor, juxta* N *intra quadratum.* AR. II. (Pellerin.) In alio simili ΣKAΨIΩN, nempe Aeolice. AR. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 111.)

Aquila stans explicatis alis. Ϫ CKHΨ. *Arbor.* AE. III. (Pellerin.)

Horum priorem commendant omnia remotae antiquitatis indicia. Typorum ratio mihi ignota. Secundum Pellerinii conjecturam sunt hi numi Scepsis Mysiae.

AR. et AE. RRRR.

Imperatorios Vaillantius binos edidit, Domnae et Caracallae, addidit Pellerinius Commodi, Caracallae, Alexandri, Maximini. Priores inscripsere tantum CKHΨIΩN addito epochae anno, de quo mox, Pelleriniani omnes: CKHΨIΩN. ΔAP. vel ΔAPΔA. vel ΔAPΔANIΩN. *Typi* in Bacchi cultu fere versantur.

IΔH. CKHΨIΩN. ΔAPΔA. *Pallas, Venus, Iuno stantes, juxta Cupido sub arbore, et mulier*, Caracallae, AE. m. m. (Catal. d'Ennery p. 420.)

Tres deae in Ida monte pulchritudinis judicium subeuntes, notum argumentum.

Epocham in utroque suo numo vidit Vaillantius, et in uno quidem AΛC. in altero BΛC., eamque conjectavit procedere ab anno V. C. 734 s). Harduinus annum 723. maluit, Froelichius annum 727 t). Pellerinius binis locis contendit, erratum a Vaillantio, et pro praetensis epochae notis legendum ΔAP. u). Attamen auctor musei Theupoli in suo Domnae numo, qui per typum Aeneae patrem cum filio Troja educentis idem est cum Vaillantiano, itidem legit CKHΨIΩN. AΛC., nisi forte, quod saepe fit, dubias numi sui literas ex Vaillan-

q) L. XIII. r) L. XIII. p. m. 891. s) Num. Graec. p. 94. t) Not. elem. p. 51. u) Rec. II. p. 59. et Mel. II. p. 140.

Digitized by Google

tio explevit, quod inquirendum utique foret, ut de epocha judicium ferri possit.
AE. RR.

SIGEVM.

Oppidum promontorio cognemini impositum, de quo Plinius: *in promontorio quondam Sigeum oppidum.* Et Strabo: *post Rhaeteum est Sigeum urbs dirata*, quo loco testatur etiam fuisse Achillis templum et monumentum [x]), et infra [y]): urbem exstructam ex lapidibus veteris Trojae. Observandum, diversam esse hanc urbem a Sigia, quae serius Alexandria Troas vocata est, ut in hac diximus.

Autonomi:

Caput Palladis adversum. Ϟ ΣΙΓΕ. *Noctua cum lunula.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 28. Hunter.) vel: *Noctuae binae communi eodem capite.* AE. III. (Mus. Caes.)

Typus plane Atticus me commonefacit ejus, quod narrat Strabo, Sigeum, et ejus tractus partem aliquando Atheniensibus paruisse [z]). Sane remotissimo aevo dimicatum fuisse ab Atheniensibus et Mytilenaeis, utrorum esset Sigeum, victore pro his Pittaco, refert scholiastes, ad Aeschyli Eumenides v. 401. Minime mirandum, non exstare plures hujus urbis numos, nam refert idem Strabo [a]), eam ab Iliensibus fuisse dirutam, et ex Strabonis et Plinii verbis supra citatis colligitur, eorum illam aetate non amplius exstitisse. Stetisse tamen hic templum Minervae Iliados, ejusque festa magnifice obita docet inscriptio Sigea, cujus supra in Ilio memini.
AE. RRRR.

TROAS.

Vide supra Alexandria Troas.

TENEDVS.

Insula prope Troadem.

Autonomi argentei varia magnitudine abunde cogniti.

Epigraphe: ΤΕΝΕΔΙΩΝ., in perantiquo Pellerinii βυζοφηδον: ΤΕΝΕΔΙ—ΝΟ.

Typus:

Capita bina instar Iani, quorum unum barbatum laureatum, alterum muliebre. Ϟ *Securis bifida, adstitutis Pallade, vel noctua, etc. saepissime botro vel lyra.* AR. I. II. III.

De typo partis aversae egerunt complures scriptores veteres. Fertur Cycnus Colonarum Troadis rex filium Tennem a noverca falso insimulatum, tanquam incestum sibi obtulisset, una cum sorore Hemithea arcae inclusum in mare dejecisse, utramque vero prolem servatam avi Neptuni beneficio, et innoxie in insulam Leucophryn appulsam, cujus incolae cognito facto Tennem regem appellarunt, a quo subinde Tenedo nomen factum. Propter justitiam magni a suis habitus, heroicos post obitum honores abstulit, cujus celebrata lex, qua adul-

x) L. XIII. p. m. 891. y) Pag. 895. z) L. XIII. p. m. 895. 896. a) L. c.

Digitized by Google

teros securi feriri jussit. Haec Pausanias, aliique.

Typi mentionem fecerunt I. Aristoteles in libro: Τενεδίων πολιτεια, quod fragmentum conservavit Stephanus: legem narrat a Tenedi rege sancitam, quae deprehensos in adulterio securi percuti jubet, cumque ejus criminis reus perageretur filius ipse regis, in eo ipso voluisse servari legem, *ac propterea*, addit, *in Tenediorum moneta sculptam esse una parte securim, altera duo capita in memoriam ejus, quod filio accidit* [b]). II. Suidas cum idem narrasset [c]), addit: *Quapropter et in numismate ab una parte securis, ab altera duo vultus ex eadem cervice comparent.* III. Idem refert Heraclides [d]), qui insuper regis nomen Tennem prodit. IV. In alia omnia abit Plutarchus [e]), nam cum narrasset, securim esse signum Tenedi, rationem addit, quia nati ibi cancri soli sunt, qui expressam in testa securim offerunt. De securi haec adhuc Conon, qui Tennis quoque historiam descripsit [f]): Cum pater Cycnus Tenedum navi transmitteret, filium Tennem, ne pater ad insulam appellere posset, arrepta securi navis retinacula dissecuisse, unde proverbium in omni re praecipite: *Tennae securis.* Sed hujus proverbii alias praeterea causas dictant Suidas et Stephanus.

Secundum haec testimonia ratio securis in his numis propositae aperta quidem est, sed non aeque expedita duplicati in antica capitis. Alii moechum cum adultera proponi credunt, quod minus verisimile, cum alii Graeciae populi deos aut heroas spectandos in moneta exhiberent, Tenedios voluisse infamis criminis convictis hunc honorem haberi. Alii fidei maritalis symbolum opinantur, ad quam Tenedii hoc typo suos vellent hortari, nisi aversae partis securim malint. Rectissime ii videntur sentire, qui Tennem et sororem Hemitheam notari putant, quos sanguis, amor, et idem periculum junxere, ab oppidanis adeo ut heroes cultos.

* * *

Caput Apollinis. Ꝟ TEN. *Securis inter duos botros.* AE. IV. (Pellerin.)

Apollinis, sed Sminthii, apud Tenedios stetisae templum, et insignem ejus ibi fuisse cultum, satis constat, ipso etiam Homero istud testante: Τενεδοιο δε ἰφι ἀνασσεις, Σμινθευ. *et Tenedo fortiter imperas, Sminthie* [g])! De Apolline Sminthio, eique sacris muribus vide quae latius supra disserui in numis Alexandriae Troadis. Mures gemini, qui in area similis numi Goltziani reptant, si modo genuinus est hic numus, et non a Goltzio, ut saepe alias, erudite confictus, ad hunc Sminthium jure pertinent. Quae causa fuit, cur nu-

---

h) Steph. in Τενεδος. c) In Τενεδιος ξυνηγορος. d) Περι πολιτειων. e) De Pyth. orac. p. 399. f) Ap. Phot. narrat. 28. g) Il. A. 38.

Digitized by Google

mum Alexandri M., in cujus area portis posticae mus habitat, Tenedi verisimiliter signatum aliquando probaverim [b]).

Ceterum de rep. Tenedjorum, eorumque numis eleganter scripsit Ludovicus Hemmerus, in quo praecipue, quae ad numos pertinent, legatur caput V.

AR. R. AE. RRRR.

b) Num. vet. p. 81.

Digitized by Google

AEOLIS.

AEGAE.

Iam in Aegarum Macedoniae numis indicavi, admodum esse difficile, quin et rem desperandam, rite disponere numos urbium, quae ἀπο τη αἰγος, *a capro* nomen sortitae sunt, quarum illustriores fuere Aegae Macedoniae, Aegae Aeolidis, Aegae Ciliciae, Aegium Achaiae, ut mittam alias eodem, vel adfini nomine. Habet tamen haec Aeolidis urbs numos suos certos, quos priore loco recensebo.

Autonomi.

AIΓH. *Protome muliebris capite turrito et cum bipenne super humero.* ℞ AIΓAЄΩN. *Fortuna stans.* AE. III. (Pellerin.)

Protome muliebris capite turrito. ℞ AIΓAЄΩN. *Pallas stans d. pateram, s. hastam cum clypeo.* AE. II. (ibid.)

Pleraeque hujus tractus urbes ab Amazonibus se conditas professae Amazonem in moneta sua proposuere, cujus frequentia deinceps occurrent exempla. Idem cum sibi persuaderent Aegaenses nostri, Aegen Amazonem numis suis intulerunt, docente istud utroque hoc numo. Quocirca certi sumus, numos hos his, in quibus sumus, Aegis deberi.

* * *

Caput Apollinis. ℞ AIΓAEΩN. *Caper stans*, in alio: *caput capri.* AE. III.

Hos numos Pellerinius Aegis Macedoniae tribuit [a]). At enim, cum eandem habeant epigraphen, quam praecedentes, forte tutius ad has Aegas transferemus, etsi levis haec sit conjectura, ut dicetur.

* * *

Caput Apollinis pone prominente pharetra et sagitta. ℞ AIΓAIEΩN. *Iuppiter nudus stans d. extenta aquilam, s. hastam, in area monogramma, omnia intra coronam quernam.* AR. m. m. (Pellerin.)

Hunc etiam numum per volumen et elegantiam praestantissimum Pellerinius Aegas Macedoniae avocavit. At jam monui in harum numis, eum praeter alias causas etiam propterea tutius in Aeolidem traducendum, quia plures hujus tractus urbes, ut Cyme, Lebedus, Myrhina, et Smyrna numos maximi moduli argenteos, et plerosque cum corona in parte aversa signaverunt.

Ceterum et variantia ἐθνικα discrimen urbium eodem nomine praeditarum impediunt. Sane harum Aeolidis Aegarum oppidani, qui in citatis numis Αἰγαιης

a) Rec. I. p. 173.

Digitized by Google

vocantur, Xenophonti sunt Αἰγιεῖς [b]), quod idem fuit gentile Aegiensium Achaiae.

AR. RRRR. AE. RRR.

Imperatorii certi harum Aegarum sunt, qui magistratum στρατηγον, *praetorem* sistunt, quorum unus est Veri, (Haym.) alius Commodi, (Catal. d'Ennery p. 538.) alius Alexandri, (Mus. Caes.) alius Decii, (Vaill.) atque omnes hi inscribuntur ΑΙΓΑΕΩΝ, ut earum certi autonomi.

Magistratus praetor, ut dictum.

Mentio situs a fluvio, qui decumbens humi fingitur, sed adscriptum nomen varie legitur, ab Haymio in numo Veri ΤΙΤΝΑΙΟC, (T. II. p. m. 292.) a Vaillantio in numo Decii ΠΙΤΝΑΙΟC. Fluvius hujus nominis in hoc tractu ignotus est, in quo extricando, vide, quam misere semetipsum vexet Vaillantius [c]). Videtur esse fons urbi vicinus, isque religione sacer. Vide, quae in tractatu de fluminibus, et fontibus notabo.

AE. RR.

CYME.

Vrbs illustris, ab elegantibus et copiosis etiam numis nobilitata.

Epigraphe: ΚΤ. ΚΤΜΑ. ΚΤΜΑΙΩΝ. ΚΤΜΑΙΟΙC.

Typos habet haec urbs sibi uni proprios, primum, equum gradientem sublato altius pede anteriore, deinde vas monotum ea forma, qua aliud nullum aliis in numis conspicitur. Saepe etiam aquila stans comparet. In aversa elegantis tetradrachmi Medicei, quod aliquando vulgavi [d]), omnia haec tria Cymaeis propria videre licet. Tamen nullius ex his tribus expeditam habemus rationem.

Autonomi illustriores.

Caput juvenile revinctis filo crinibus. Ꜩ ΚΤΜΑΙΩΝ. *Equus gradiens suspenso altius pede anteriore, humi vas monotum, infra* ΣΕΤΘΗΣ, *vel* ΚΑΛΛΙΑΣ, *vel* ΦΙΛΟΔΟΞΟΣ *etc.: omnia intra lauream.* AR. I. (Pellerin, Mus. Caes. alibi.)

* * *

ΚΤΜΗ. *Caput muliebre turritum.* Ꜩ ΚΤΜΑΙΩΝ. *Isis stans d. sistrum, s. situlam.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.)

Exhibet antica Cymen Amazonem, a qua urbi nomen factum prodidere Mela et Stephanus.

* * *

ΚΤ. *Equus dimidius saliens, infra* ΔΙΟΝΤCΙΟC. Ꜩ *Vas monotum.* AE. III. (Pellerin.)

ΦΙΛΟΔΟΞΟΣ. *Aquila stans.* Ꜩ ΚΤ. *Vas monotum.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

* * *

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput juvenile nudum senatus.* Ꜩ ΑΙΛ. ЄΡΜЄΙΑC. ΠΡΤΤ. ΚΤΜΑΙΟΙC. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin.)

De inscripto *Prytane* et epigraphe ΚΤΜΑΙΟC. agetur mox in imperatoriis.

---

b) Hist. Graec. L. IV. p. m. 536. c) Num. Graec. p. 348. d) Num. vet. p. 202.

Digitized by Google

Mentio situs ab Hermo fl.

ΙЄΡΑ. CTNKΛHTOC. *Caput, ut in praecedente.* Ɪ ΚTMAΙΩN. ЄPMOC. *Fluvius humi decumbens.* AE. II. (Pellerin.)

Hermus hic in aliarum quoque urbium per Aeolidem et Lydiam numis memoratur, creditus ipse Jovis filius, ut est in vita Homeri Herodoto tributa [e]). Ipse quidem Cymaeorum maenia non allait, forte tamen eorum agrum; nam secundum Phocaeam in mare exivit.

Proconsul:

ΘЄON. CTNKΛHTON. *Caput juvenile diadematum senatus.* Ɪ ANΘT. ЄΠPIΩ. MAPKЄΛΛΩ. Γ. KT. *Mulier succincto habitu stans d. globum, s. hastam.* AE. III. (Seguin sel. num. p. 103.)

ЄΠI. MAPKЄΛΛΩ. ANΘTΠATΩ. KT. *Figura succincta stans d. vexillum,* in numo Vaspasiani. (Vaill.)

Seguinus [f]), Vaillantius [g]), Harduinus [h]), Begerus [i]), Havercampus [k]), unanimi consensu hos numos propter additum KT. in Cypro signatos censent, quin idoneam aliam causam possent adferre. At enim tutius eos Cymaeis nostris tribuendos existimo. Nullus enim hactenus repertus Cypri numus, in quo ejus nomen solis literis KT. definiretur, at his solis saepe contenti fuere Cymaei. Neque vocabula ΘЄON. CTNKΛHTON. Cypriis favent; etsi enim Cyprus fuit senatus populique provincia, tamen senatus R. mentionem, obviam in numis provinciae Asiae, atque, ut vidimus, Cymaeorum, vix in Cypri, et finitimi tractus moneta reperias. Ad solvendum dubium nihil confert mentio Eprii Marcelli; neque enim constat, eum aut Asiam, aut Cyprum proconsule rexisse. Auctore Tacito [l]) Eprius Marcellus imperante Nerone praefuit Lyciis, a quibus repetundarum accusatus evasit tamen. Rexit ergo tum Pamphyliam, cui inde a Claudio Lycia libertate multata conjuncta fuit. Ab eodem Tacito dictus *acer eloquentia*, at una infamis Thraseae Paeti accusator [m]).

* * *

Notandi denique varii eruditorum lapsus, cum urbi huic numos suos inique aut ademerunt, aut largiti sunt alienos.

Froelichius numum musei Granelliani, qui hinc aquilam stantem, et magistratum ΠTΘIΣ, inde vas monotum addito KT. exhibet, Pythio et Chytro Cretae urbibus tribuere non dubitavit [n]), qui tamen, ut ex modo praeceptis patet, certe est hujus Cymes.

Alium inscripto magistratu ΙΠΠIAΣ Wildius, cum diu fluctuaret, tandem Phalannae Thessaliae permisit, quae aliquando Hippias quoque vocabatur [o]).

Vulgavit Golzius numum typo hinc equi dimidii salientis, inde vasis monoti, et cum praetenta epigraphe KAPAΛI-TΩN, Caralis adeo Sardiniae. At eum esse Cymaeum quoque, docet numus similis supra descriptus.

---

e) Cap. IX. f) L. c. g) Num. Graec. sub. Vesp. h) Num. illustr. sub *Cyprus.* i) Thes. Br. T. 1. p. 408. k) In fam. Epria. l) Ann. XIII. 33. m) Ann. XVI. 22. seq. n) Not. elem. p. 108. o) Sel. num. p. 75.

Digitized by Google

Huc etiam Combius vocavit numum Hunterianum inscriptum, ut videbatur, KVM. et typo equitis p), at hic idem est cum eo, quem idem vir eruditus edidit infra Tab. XXXI. n. 3. et in quo legitur: HISPANORVM.

AR. RR. AE. R.

Imperatorios stitit Vaillantius ab Ant. Pio usque ad Saloninam, sed museum Theupoli unum Sabinae effert. Hoc priorem Neronis olim edidi, de quo mox.

Epigraphe KTMAIΩN. *Typi* obvii.

IЄPΩNTMOC. ANЄΘHKЄ. KTMAIOIC. *Isis supra triremem velum explicat.* Ant. Pii. (Vaill.)

Formula solita circa hoc tempus, de qua ex instituto agemus alibi.

Magistratus dicitur *praetor* inde a Commodo, at in numis Valeriani senioris et Gallieni apud Vaillantium, Theupoli, et in citato supra autonomo Pellerinii saepe legitur: AIA. ЄPMЄIAC. ΠPTT. KTMAIOI. Vaillantius το ΠPTT. constanter explicat *Prytanidis F.* quod judicium propagatum videtur ex numo Valeriani, in quo is legit: CTPA. ЄPMЄIAC. ΠPTT. At suspicor, cum plures citentur numi cum hujus Hermiae nomine, et in nullo alio, praeterquam hoc, praefixum CTPA. legatur, Vaillantium in eo legendo lapsum, et pro hoc substituendum AIA. solitum. Est igitur hic Hermias

Prytanis, qui magistratus in ejus tractus urbibus, ut docent numi, et marmora, saepius occurrit. In marmore apud Com. Caylus q) inter alios hujus urbis magistratus inscribitur etiam Prytanis: ΠPTTANIOΣΔЄ. AЄTKIΩ. OTAKKIΩ.

Proconsul Eprius Marcellus, cujus numos vide supra in autonomis.

Nomen ab Imperatore. KAICAPЄΩN. KTMAIΩN. *Equus gradiens elato pede anteriore.* Neronis. AE. III. (Edidi ex mus. Medic. Num. vet. p. 202.)

Numus hic Vaillantio ignotus non fuit, sed cum in suo, ut verisimile est, alterum vocabulum KTMAIΩN exesum fuerit, numum perperam Caesaream Palaestinae migrare jussit r).

Annum imperii Vaillantius ex numo Maximi colligit, cui inscriptum ЄT. B. nullo altero in moneta hujus urbis exemplo.

AE. RR.

ELAEA.

Ad sinum cognominem.

Autonomi ante Pellerinium vix cogniti.

Epigraphe: ЄAAI. ЄAAITΩN.

Typi: corona oleagina, nempe cum adlusione ad urbis nomen. — *Navis*, nimirum fuit navale regum Attalorum teste Strabone. — *Pallas stans d. globum, s. hastam.* — *Ceres ejusque attributa.* (Pellerin.)

MЄNЄCΘЄT. KTICTH. *Caput juvenile nudum, pone ramus olivae.* Ʒ ЄΠI. CTP. ΠЄAAΩNIOT. NЄ. ЄAAITΩN. *Aesculapius stans.* AE. II.

Illustrem hunc numum vulgavi ex musco Mediceo s). Docet, Menestheum fuisse

p) Tab. XXII. n. 18. q) T. II. tab LVIII. r) Num. Graec. p. 16. s) Num. vet. p. 203.

Digitized by Google

Elaeae conditorem, quod docuere etiam Strabo et Stephanus. Fuit hic Atheniensium rex, et insignis Graecorum apud Trojam dux, de cujus varia fortuna citato loco pluribus egi. Numus hic signatus est aetate M. Aurelii, ut docebit mox similis aversae inscriptio in numo Faustinae jun.

Neocorus Pellonius, de quo mox.

AR. RRRR. AE. RR.

Imperatorios Vaillantius prodidit ab Hadriano usque ad Herennium. At Lucii Caesaris numum addidit Pellerinius: (Rec. III. p. 23.) ΛΟΥΚΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput nudum.* Sed in alio simili est: Λ. ΚΑΙCΑΡ., et in Ϫ ЄΠΙ. CΤΡ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. (Sestini T. IV. p. 111.)

Epigraphe: ЄΛΑΙΤΩΝ. *Typi* obvii.

ЄΠΙ. CΤΡΑΤΗΓΟΥ. ΛΙΡΡΙΟΥ. ΤЄΙΜΩΝΟC. ЄΛΑΙΤΩΝ. *Severus eques pacificatoris habitu*, in numo Severi praegrandis moduli. (Mus. princ. de Waldeck). In numo simili Vaillantius legit: ЄΠ. CΤΡ. Μ. ΛΟΥΡΙΟΥ. ΤЄΙΜΩΝΟC.

Magistratus Praetor. ЄΠΙ. CΤΡ. ΠЄΛΛΩΝΙΟΥ. NЄ. *Aesculapius stans*, in numo Faustinae jun. (Pellerin.) Eandem aversam vidimus supra in autonomo. In hac epigraphe το NЄ. non indicat, Elaitas fuisse neocoros, sed praetorem Pellonium, ut jam advertit Pellerinius [t]). Praetor jam legitur in numo Lucii Caes., quem citavimus.

Archon forte. Pellerinius binis locis post Harduinum contendit, in numis Caracallae et Herennii male fuisse lectum a Vaillantio CΑΛΙΤΩΝ, vel CΑΛЄΙΤΩΝ pro ЄΛΑΙΤΩΝ [u]). Illud verum, certos Salae Phrygiae numos inscribi CΑΛΗΝΩΝ. Obstare forte posset, in numo Caracallae apud Vaillantium praedicari magistratum archontem, cum tamen numi Elaitarum ante et post Caracallam semper praetorem profiteantur. Exstant tamen hujus variationis alia quoque exempla in aliarum urbium numis, ut docebimus alibi.

AE. RR.

MYRHINA.

Vrbs maritima.

Autonomi, quos inter illustria tetradrachma:

Caput Apollinis laureatum diadematum. ϪΜΤΡΙΝΑΙΩΝ. *Mulier seminuda, in aliis vir seminudus gradiens capite laureato s. ramum tenet, ex quo vittae dependent, d., ut videtur, pateram, lumi dicta, et aliud quid, quod cortinae speciem praebet, omnia includuntur coronae oleaginae.* AV. m. m. adpendens grana Anglic. 464. (Pembrock tab V.) AR. I. (Pellerin. Mus. Caes.)

Incertus est singularis hujus typi explicatus. Praeferenda videtur Pellerinii sententia, qui in hoc partis aversae signo sacerdotem Apollinis, jam marem, jam feminam videt, et attributa reliqua ad sacrificium, deique cultum pertinentia censet. Apollinis illustre nomen fuit in vicino Grynio, quod fuisse obnoxium Myrhinae refert Strabo, unde hic deus bis apud Maronem *Grynaeus* dicitur.

---

t) Mel. II. p. 280. u) Rec. III. p. 213. et Mel. II. p. 214.

Digitized by Google

* * *

APKOMHAIOT. *Caput juvenile laureatum, prae cujus pectore ramus.* ℞ MTPINAIΩN. *Lyra et ramus lauri.* AE. III. (Pellerin.)

De capite anticae difficile est ferre sententiam, sitne Apollo ipse cum suis in aversa attributis, an Caesarum aliquis sub Apollinis cultu, an heros domesticus, dictus *Arcomelius.*

* * *

MTPEINA. *Caput muliebre turritum.* ℞ MTPEINAIΩN. *Fortuna stans.* AE. III. (Mus. Caes. Pembrock. Harduin.)

Antica offert Myrhinam Amazonem, quae urbi nomen dedit. Vide testimonia apud Harduinum. Proponitur capite turrito, ut Cyme Amazon, aliaeque in numis urbium cognominum.

* * *

Caput Apollinis. ℞ MTPI. *Diota, in area lyra.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

MTPINAIΩN. *Caput muliebre.* ℞ EΠI. CTPA. KAΛΛI. *Lyra.* AE. III. (Wise, Mus. Bodl. p. 9.)

* * *

Edidit Panelius numum: *Neptunus delphino vectus.* ℞ MTPIN. *Eques.* AR. m. m. (Mem. Trevoux Octobr. 1737.) sed quem potius Tarentinum puto, et τo MTPIN. magistratus nomen, qualia in Tarenti moneta obvia sunt.

AV. RRRR. AR. et AE. RR.

Imperatorii citantur a Sabina usque ad Tranquillinam.

Epigraphe MTPINA, in posterioribus MTPEINAIΩN. *Typi* obvii dempto sequente:

EΠI. MHTPOΔO. MTPINAIΩN. *Eques galeatus lento gressu, infra quem* ΔAMNETC. Ant. Pii. AE. I. (Seguin p. 18. Vaill. Harduin.)

Vocabulum ΔAMNETC. Vaillantius interpretatur *domitor.* Consentit Harduinus, cumque certum putet, equitem hunc esse ipsum imperatorem, ait, eum dictum δαμνσα, tanquam gentium domitorem. Esse autem δαμνσος a δαμνημι, ut δαμευς a δαμαω. At enim nusquam reperio, *domitorem* Graecis unquam dictum δαμσα vel δαμνσα, neque usquam reperio, inter sexcentos titulos imperatoribus a Graeca adulatione datos fuisse unquam titulum *domitoris*, neque Antoninus jure dici potuit *domitor gentium*, cujus totum imperium fere pacatum fuit, neque imperatores equites ea aetate galeati, sed laureati proponi sunt soliti. Est ergo ΔAMNETC. potius magistratus, aut aliud, quod ignoramus. Seguini Δαμνευς contractum, pro Δαμναευς, quod fuit Corybantis nomen, libenter cum Harduino rejicio.

Magistratum praetorem reperio tantum in citato autonomo, et in numo Elagabali apud Pellerinium. (Mel. II.)

* * *

Teste Harduino legitur in numo Neronis: OMHPOC. MTPINAIΩN., sed vereor, ne legendum potius sit OMHPOC. CMTPNAIΩN. noto apud Smyrnaeos Homeri cultu.

AE. RR.

TEMNVS.

Mediterranea modicae fortunae.

Digitized by Google

Autonomi omnes haud dubie imperatorum aetate sunt signati.

ZЄTC. AKPAIOC. *Caput Iovis.* Ꝟ THMNЄITΩN. *Vir superne nudus sedens.* AE. fere II. (Pellerin.)

De Iove Acraeo vide numos Smyrnae.

* * *

THMNOC. *Caput muliebre turritum.* Ꝟ THMNЄITΩN. *Fortuna stans.* AE. II. (Mus. Caes. Arigoni, Theupoli.)

Analogia numorum Cymes, Myrhinae, Smyrnae suadet, capite anticae exhiberi Temnum Amazonem, a qua crediderint Temnitae suam conditam urbem, etsi Strabo aliique, qui conditas ab his urbes prodidere, Temni non meminerint. Frigidam originem, ut saepe alias, adfert Stephanus, datum nempe Homallo oraculum, ibi urbem conderet, ubi contingeret, currus axim τεμνεσθαι.

* * *

IЄPA. CTNKΛHTOC. *Caput juvenile senatus.* Ꝟ CTP. CMAPAГΔOT. THMNЄITΩN. *Duae Nemeses stantes.* AE. I. (Pellerin.)

Patet ex hoc numo, Temnitas Smyrnaeorum Nemeses in oppidum suum recepisse.

Plures exstant autonomi alii inscripti IЄPA. CTNKΛHTOC, de quorum aetate saepe constat; nam exhibent praetores, qui in imperatoriis quoque exarantur. Sic: ЄΠI. CTPA. HPΩΔOT. qui est in numis Elagabali et Maesae, NIKOCTPATOT. vel ANTΩNЄINOT, qui in numis Philippi.

AE. RR.

Imperatorii ab Augusto, deinde Hadriano, cujus bini sunt apud Arigonium, usque ad Philippum jun.

Epigraphe TAMNITAN Aeolice, in numis Augusti, ut mox dicetur, deinceps THMNЄITΩN.

Typi aversae fere iidem sunt qui in autonomis, *duae Nemeses stantes, Pallas stans, etc.*

* * *

In examen nunc vocandi numi hujus urbis tot hactenus dissidiis agitati, quorum ortum, progressum, finem describere non injucundum existimo lectori futurum.

KAICAP. CЄBACTOC. ΠAOTCIAC. TΠAT. *Caput Augusti nudum.*

AΠOΛΛAC. ΦANIOT. AMЄ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam, pro pedib. clypeus, humi captivus genuflexus.* AE. II.

Primus hunc numum vulgavit, et sic descripsit Patinus [x]. Statuit, eum signatum Plutiae Siciliae, et esse testem consulatus ab Augusto hoc in oppido obiti. At Havercampus hujus numi patriam conjicit Apolloniam Ioniae, cujus magistratus fuerit quidam *Plusias Hypatus* [y].

KAIΣAP. ΣЄBAΣTOΣ. ΠAOTCIAC. TΠATOΣ. *Caput Augusti nudum.*

AΠЄΛΛAΣ. ΦANIOT. AMP. *Idem typus.* AE. III.

---

x) Numi Impp. p. 34. y) Ad Parutae Sicil. p. 681.

Digitized by Google

Hoc modo Vaillantius hunc thesauri regii numum proponit, et explicat: *Caesar Augustus Plusiae consul in Sicilia. Apellas Phanii F.* forsan *anno* 141 [z]). Quod quidem jure fastidit Pellerinius, non modo, quod verisimile non sit, urbem ignobilem uni Ciceroni semel nominatam Augustum consulem suum dicere, sed multo magis, quod epocha urbis Siculae numo adfingitur [a]).

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Δ. ΕΞΟΤΣΙΑΣ. ΤΠΑΤ. *Caput Augusti nudum.*
- - - ΑΜΕ. - - - ΑΠΕΛΛΑΣ. ΦΑΝΙΟΤ. *Typus idem.*

His verbis eundem Thesauri regii numum describit Harduinus [b]), tanquam Augustus diceretur *trib. potestatis consul.* numum autem cusum adserit Apameae Phrygiae.

ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑCΤΟC. ΠΛΟΤCΙΑC. ΤΠΑΤ. *Caput Augusti nudum.*

ΑΠΟΛΛΑ. ΦΤΝΙΟΤ. ΤΑΜΑΤΑΝ. *Idem typus.* AE. III.

Hoc modo Morellius numum eundem thesauri regii aeri incidit [c]). Havercampus hujus iterum numi interpres in suo iterum *Plusia Hypato*, tanquam magistratus nomine proprio, acquiescit, sed aversae epigraphen sic legendam conjicit: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. ΦΑΝΝΙΟΤ. vel ΦΑΤΝΙΟΤ. ΤΑΜΑ*είνι*. At nunc Apolloniae Epiri signatum numum mavult.

ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑCΤΟC. Π—ΟΤCΙΑC ΤΠΠΩ. *Caput Augusti nudum.*

ΑΠΟΛΛΑC. - - ΝΙΟΤ. ΤΑΜ - - ΤΑ - *Idem typus.* AE. III.

Sic mihi hujus epigraphe numi, qui est in Museo M. Ducis, olim legenda videbatur [d]), posseque eum adeo referri Prusiam ad Hypium Bithyniae dubitantis more conjeci, nondum mihi cognitis numis, quos continuo subjiciam.

ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑCΤΟC. ΠΛΟΤCΙΑC. ΙΠΑΤ - - *Caput Augusti nudum.*

ΑΠΟΛΛΑC. ΦΑΝΙΟΤ. ΤΑΜΝΙΤΑΝ. *Typus idem, in area botrus.*

ΑCΙΝΙΟC. ΓΑΛΛCC. - - - (reliquam epigraphen numi area non recepit). *Caput juvenile forte Augusti.*
- - - ΛΑC. ΦΑΙΝΙΟΤ. ΤΑΜΝΙΤ. *Caput Apollinis laureatum.*

Vtriusque hujus numi modum mecum amice communicavit illustris Consineryus Gallus, qui regis sui, nationisque res Thessalonicae Macedoniae procurat, studiorum nostrorum non cultor solum indefessus, sed et insigniter peritus. Ab his jam sine dubio docemur, omnes hos numos cusos Temni Aeolidis, scripto Aeolice ΤΑΜΝΙΤΑΝ pro solito serius ΤΗΜΝΙΤΩΝ, suffragante altera adhuc causa, quod uterque hic numus cum pluribus aliis ejusdem Temni sibi vicina Smyrna missus est. Atqui et omnes hi numi, quos modo descripseram, certa offerunt indicia inscripti ΤΑΜΝΙΤΑΝ, sed vitiata, vel exclusa literarum parte. Irrita ergo fuit omnis conjectura de eorum patria a variis viris eruditis tentata. Necdum tamen quae sit epigraphes ΠΛΟΤCΙΑC. ΤΠΑΤ. sententia, divinare potui. Vocabulum ΙΠΑΤ. in

z) Num. Graec. p. 5. a) Mel. II. p. 14. b) Num. illustr. p. 24. c) Num. Impp. Tab. XLVII. n. 19. 20. d) Num. vet. p. 190.

Digitized by Google

nomo Consinerii, quem integrum ipse profitetur, novam objicit difficultatem.

ACINIOC. ΓΑΛΛΟC. non mediocre numo postremo pretium constituit. C. Asinium Gallum IIIvirum monetalem sub Augusto videbimus in numis gentis Asiniae, ubi et ejus stirpem obitosque honores persequemur. Processit consul V. C. 746., ac videtur postea Asiam pro consule rexisse, quod quidem reticent historici, sed numus praesens haud dubie docet; admodum enim verisimile, literas sequentes, verum, ut dixi, exclusas constituere vocabulum ANΘΤΠΑΤΟC.

* * *

Magistratus praetor, ut vidimus in autonomis.

Mentio situs ab Hermo fl., sic: ΤΗΜΝΕΙΤΟΝ. ΕΡΜΟC. *Ipse decumbens more solito*, in numis Otaciliae, (Vaill.) et Philippi jun. (Theupoli.) Hermum Temnitarum agrum adluere, testatur Strabo. *AE. RR.*

Digitized by Google

LESBVS.

Nobilis famae insula Aeolidi opposita.

Autonomos annoso Goltzii beneficio, et communi eruditorum consensu habet sequentes, jurene, an injuria, mox disceptabimus.

Centaurus, in aliis Satyrus nudus flexo uno genu, mulierem brachiis constrictam tenet. ℞ *Quadratum incusum vetusti modi.* AR. II. III. (Mus. Caes. alibi.)

Similis adversa. ℞ *Quadratum incusum, intra quod galea.* AR. II. (Hunter tab. 33. 3.)

ΩPNIKIΩN. *(retrograde.) Similis adversa.* ℞ *Quadratum incusum.* AR. II. (Pellerin Suppl. III. p. 107.)

ΛEΣBOT. *(retrograde.) Similis adversa.* ℞ *Quadratum incusum.* AR. II. (Goltz. Ins. Tab. XIV.)

Centaurus solus utraque manu extensa, s. globum. ℞ *Quadratum incusum.* AR. II. (Hunter tab. 33. 4.)

Satyrus solus flexo uno genu. ℞ *Quadratum incusum.* AR. III. (Hunter tab. 33. 2.)

Omnes hos numos unius esse ejusdemque urbis, typi et fabrica abunde docent. Neque vero dubitatum est, ex quo numus Goltzianus cum additò ΛEΣBOT. apparuit, eos omnes, etsi plerosque anepigraphos, Lesbo tribuendos. Addidit Goltzio fidem Pellerinius, testatus, (l. c.) exstare numum similem in museo regis Galliarum, in quo vetustis literis scriptum est ΛEΣBION. Bono isthaec animo credideram, cum ad me perferuntur Cl. Consinerii, quem in proxima Temno laudaveram, literae, quibus significavit, hujus argumenti numos frequentes effodi in Macedonia, et reperiri propter oppidum *Drame*, non procul veteribus Philippis. Orto igitur de horum patria numorum dubio consultus a Neumanno nostro Abbas Blondius sitne vere, quod tam confidenter adfirmabat Pellerinius, simili musei regii numo inscriptum ΛEΣBION, respondit, hanc, quae praetenditur, epigraphen nequaquam satis apparere. Nihil erat amplius, quod desiderarem. Continuo enim vetus Goltzii institutum patuit, qui cum in numo simili aut nullam reperiret epigraphen, aut vitiatam, inscriptum ΛEΣBOT. more suo adfinxit, quo indicio occupatus Pellerinii oculus idem sibi in numo regio videre est visus, cum tamen in hoc forte aliud non sit, quam ΩPNIKIΩN, aut simile quid. Esse numos Macedonicos, confirmat etiam typus galeae in citato Hunteriano, qui obvius est in moneta urbium Macedoniae. Interea hoc eos loco recensere libuit, partim quia, etsi Macedonicos statuamus, tamen de urbe non constat, partim quia vulgo in Lesbi moneta quaeri solent. Inscriptum Pelleriniano ΩPNIKIΩN, vel ΩOPNIKIΩN lucem non suppeditat.

Digitized by Google

Typus raptum mulieris jam a Centauro, jam Satyro patratum sistit, pictura vero et fabrica remotissimi esse aevi opus testantur.

AR. R.

Imperatorii recensentur sub M. Aurelio et Commodo, inscripti omnes KOI. vel KOINON. ΛΕCBIΩN. typo plerumque templi octo columnarum.

ЄΠΙ. CTP. CЄΠΤ. APIANOT. KOI. ΛЄCBIΩN. *Bacchus nudus stans ab adstante muliere aram ignitam acceptat; jacet infra vir barbatus inter undas, s. remum tenens.* Commodi. (Liebe p. 281.)

Sunt hi numi plerique maximi moduli. *AE. RR.*

ANTISSA.

Autonomi:

Caput juvenile diadematum, in aliis laureatum. Ϡ ANTIΣ. *Caput promissa barba in cuspidem abeunte, ceterum peregrino cultu.* AE. III. (Haym, Wise, Liebe, Pellerin.)

Haymii sententia, qui inscripto ANTIΣ. notari *Antisthenem*, et propositum caput hujus esse philosophi censuit, pridem est repudiata, et correcta a Liebeo, qui numum ad hanc Antissam revocavit [a]), quem nunc sequuntur omnes. An caput anticae Sapphus poetriae sit, dubium videatur. Invitavit analogia Liebeum, ut caput posticae Alcaei poetae, Lesbii item, crederet. Verisimilius multo est, quod eleganter Wisius ex Aristide, Philostrato, aliisque conficit, esse caput Orphei, quod a Thraciis mulieribus resectum et in Hebrum abjectum in Lesbum appulit, ubi et oracula fudit, de quo vide Lucianum [b]), et carmen Phanoclis [c]). Quid quod ejus lyram in mare item abjectam ad Antissam emersisse tradit laudatus a Wisio Nicomachus [d]).

AE. RR.

ERESVS.

Autonomi:

Caput juvenile pileo plano tectum. Ϡ EPEΣI *Spica.* AE. III. (Pellerin.)

Caput virile diadematum. Ϡ EPEΣIΩN. *Tripus.* AE. III. (Arigoni.)

Numi dubii.

Caput Cereris spicis coronatum. Ϡ Ϥ. *intra coronam spiceam.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Sunt hi numuli operis insigniter nitidi ac delicati, solentque huic Ereso tribui, quia Goltzius simillimos complures protulit inscriptos EPEΣI., cujus adeo vocabuli literae ἀρχαῖσαι sunt EP., in quas citatum monogramma potest resolvi. Verum numi similes post Goltzium nemini, quod norim, sunt conspecti. Ceterum negat Sestinus, istud numorum genus in Lesbo reperiri, et revocandos potius Eretriam Euboeae judicat. (Lettere p. 126.)

Qua fiducia Pellerinius aeneum alium inscriptum EIP. typo botri huc potuerit vocare, ignoro.

AR. incerti R. AE. RRR.

---

a) Pag. 162. b) Περὶ ἀπαιδευτ., Bodl. p. 120. c) Brunck Anal. Vol. I. p. 414. d) Mus.

Digitized by Google

ISSA.

Numos huic urbi tributos melius Issae Illyrici insulae restituendos, in hac dixi.

METHYMNA.

Inter clariores Lesbi urbes.

Autonomi:

ΜΑΘΥΜΝΑΙΟΣ. *Caput Palladis intra quadratum.* ℞ ΜΑΘΥΜΝΑΙΟΣ. *Aper.* AR. II. (Mus. Caes.)

Caput Palladis intra quadratum. ℞ ΜΕΘΥΜΝΑΙΟΝ. *Aper.* AR. II. (Pellerin.)

Sunt hi numi propter remotae vetustatis characteres omnes inter praestantiores hujus urbis habendi. De orthographiae lege advertendum, in numo priore scribi ΜΑϑυμνα, in altero ΜΕϑυμνα, in sequentibus imperatoriis ΜΗϑυμνα. Elementum E in Methymna fuit natura longum, sic Ovidius in Arte: *quot habet Methymna racemos.* Ergo acquivalebat τῳ Η. Istud per dialectum Aeolicam huic insulae familiarem in Α longum abiit. Serius abolita hac dialecto valuit oratio communis. Inscripti apri causam nondum reperi.

* * *

Caput Apollinis. ℞ ΜΑΘΤ: *Arion delphino vectus d. extenta plectrum, s. lyram.* AE. II. (Pellerin.)

Elegans numi typus, quemque Methymna jure sibi vindicat; nam Arionem domo fuisse Methymnaeum, testatur Gellius [e]). Decantata est ejus a nautarum insidiis ope delphini servati fabula, quam auctor citatus ibidem late persequitur.

* * *

Caput Palladis. ℞ ΜΑΘΤ. *Lyra.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. ℞ ΜΑΘΤ. *vel* ΜΑ. *Diota.* AE. III. IV. (Mus. Caes.)

Caput Bacchi adversum. ℞ ΜΑΘΤ. *juxta.* ΛΩΝ. *intra coronam hederaceam.* AE. II. (Pellerin.)

Lyra Arionem haud dubie respicit. Bacchus, ejusque attributa intulit vini Methymnaei praestantia veteribus magno pere commendati, et forte hi typi adludunt ad nomen urbis, cujus prior pars μεϑυ, *vinum*, significat, unde et Bacchum dictum Μεϑυμναιον παρα την μεϑην: *propter vinolentiam* ait auctor Etymologici magni [f]), Plutarchus [g]), et Athenaeus [h]).

* * *

Numum a Pellerinio huc vocatum typo mali Punici, et diota addito ΜΑ. esse Meli insulae, in hujus numis probavimus.

AR. RRR. AE. RR.

Imperatorii ab Augusto usque ad Alexandrum, quos inter eximius est:

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΜΑΘΤ. *Caput Augusti.* ℞ ΘΕΑ. ΛΙΒΙΑ. *Caput Liviae.* (Pellerin.)

Similem Vaillantius perperam Magydum Pamphyliae abstraxit, cum pro ΜΑΘΤ. legeret ΜΑΓΤ [i]).

Epigraphe: ΜΑΘΤ.; serius invaluit ΜΗΘΤΜΝΑΙΩΝ.

Typi potiores: *Pallas*, *Bacchus*, *Arion*, ut in autonomis.

---

e) L. XVI. c. 19. f) In Μεϑυμναιος. g) Sympos. L. III. probl. 2. h) L. IX. p. m. 363. i) Num. Graec. p. 6.

Digitized by Google

Magistratus praetor inde a Faustina juniore.
AE. RR.

MYTILENE.

Insula longe clarissima, ab literarum studiis nobilitata, patria Pittaci, Alcaei, et Sapphus.

Autonomi, in quibus

Epigraphe: MT. MTTI. MTTIΛHNAIΩN. quae scribendi ratio in numis, etiam imperatoriis, constans est, cum tamen in libris constanter legatur MITTΛHNH, ut et in inscriptione Gruteriana MITTLENIS [k]).

Numi illustriores hujus classis sunt:

Caput Apollinis. Ɪ MTTI. *vel* MT. *Lyra intra quadratum.* AR. I. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Hi numi vix differunt a numis Chalcidis Euboeae.

* * *

Caput Ammonis. Ɪ MTTI. *Herma navi insistens capite barbato, ex qua, ut videtur, hederae dependent.* AE. II. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput imberbe diadematum et cum cornu arietino. Ɪ MTTI. *Herma.* AE. III. (Hunter.)

Numum Ammonis alium mox videbimus. In parte aversa videtur propositus Bacchus, qualis a Mytilenaeis colebatur, junctus cum Ammone, quia hujus quoque filius fuit creditus, ut docebitur in numis Cyrenaicae. Caput numi alterius Bacchi quoque haud dubie est, cui jure competere diadema dixi in moneta Tarenti. Herma navi insistens proprius est urbis hujus typus probantibus istud tribus max. mod. numis sub Veri et Commodi imperio in hac urbe signatis, qui omnes signum incusum habent Hermam, animal capite fere canino, navis item prorae insistentem [l]). Generatim numi Mytilenes non pauca cultus peregrini argumenta ostentant.

* * *

Caput muliebre peregrino cultu. Ɪ MTTI. *Lyra.* AE. III. (Mus. Caes. et aeri incisus in ejus Catal. Tab. III. n. 13.)

Videtur hic numus sistere poetriam Sappho. Sin istud, vere dixit Pollux [m]): eam Mytilenaeos numis suis insculpsisse. Quanquam certiorem ejus imaginem continuo sumus visuri.

Numi reliqui multi sunt in Apollinis et Dianae cultu praedicando.

Ad imperatorum tempora referendi sunt sequentes:

ΘEOC. AMMΩN. *Caput Ammonis.* Ɪ ЄΠI. CTP. BAΛ. APICTOMAXOT. MTTIΛHNAIΩN. *Mulier capite turrito sedens d. pateram, s. oblongum quiddam.* AE. m. m. (Pellerin.)

Magistratus Aristomachus suadet, numum hunc imperante Gallieno cusum. Quod mulier partis aversae s. tenet, magis patebit ex imperatoriis.

* * *

---

k) Pag. 474. 8. l) Pellerin Suppl. II. p. 74. m) L. IX. §. 84.

Digitized by Google

ZЄTC. BOTΛAIOC. *Caput Iovis.* Ꜩ ΘЄOI. AKPAIOI. MTTIΛHNAIΩN. *Iuppiter, Neptunus, Pluto stantes.*

Citatur hic numus ex Mediceo ab Holstenio [n]). Iovis Βυλαιυ *consiliarii*, Athenis fuisse simulacrum, tradit Pausanias [o]). Βυλαιος dicitur quoque Augustus in numis Pergami. *Deos Acraeos* eleganter explicat Pollux [p]): Τα δε δημοσια, ἀκροπολις, ἡν και ἀκραν ἀν ειποις, και πολιν, και τυς ἐν αυτῃ θευς, ἀκραιυς και πολιεις. *Publica vero sunt, acropolis, quam et arcem et urbem dicere possis, et deos, qui in ea sunt, arcis et urbis praesides.* Vide de his plura in numis Smyrnae sub ZЄTC. AKPAIOC.

* * *

IOT. ΠPOKΛAN. HPΩIΔA. *Caput muliebre comptum fere more Faustinae sen.* Ꜩ ЄΠI. CTPA. AΠOΛΛΩN. MTTI. *Sappho sedens lyra canit.* AE. II. (Seguin p. 74. Wilde p. 66.) In alio: *Mulier stans utraque manu quid lapidi praegrandi simile gestat, s. pede globo insistit.* AE. I. (Pellerin Rois p. 207.)

Quae fuerit haec Iulia Procla herois, nondum a viris eruditis, qui hos numos ediderunt, reperiri potuit, quos, si lubet, consule. Spanhemius, cum in epigraphe Thyatirenorum videret memorari KΛΩΔION. ATP. ΠPOKΛON. HPΩA., ejus hanc esse filiam tenuiter conjicit [q]). Sed et IOTΛIA. ΠPOKΛH, memoratur in marmore Smyrnaeo apud Sponium [r]). De trivialibus his heroibus et heroidibus dicemus olim plura in tractatu singulari Vol. IV.

* * *

NATCIKAAN. HPΩIΔA. *Caput Nausicaae velut reticulo tectum.* Ꜩ ЄΠI. CTPA. IЄPOKΛ. MTTIΛ. *Sappho sedens lyra canit.* (Spon Misc. p. 130. Pellerin Rois p. 208.)

Fuit Nausicae nota ex Homero Alcinoi filia, sed quae causa Mytilenaeis fuerit, ut eam in numis suis proponerent, non satis video. Quare credam potius, fuisse eam urbis hujus illustriorem quandam civem, qualis fuerit etiam Procla. Neque enim Graeci difficiles fuere in conferendo etiam feminis, etiam cum in vivis adhuc essent, hoc titulo. Sic in marmore Stratonicease Cariae apud Chandlerum legas: ἡ βυλη και ὁ δημος ἐτειμησαν TATIAN - - - NЄAN. HPΩIΔA [s]).

* * *

ΦITTAKOC. *Caput Pitaci.* Ꜩ AΛKAIOC. MTTIΛ. *Caput Alcaei.*

Numum hunc citat Holstenius ad Stephanum ex Gottifredo, et ex eodem Harduinus, sed qui, legit ΠITTAKOC. Vnicum ergo Gottifredum hujus numi vadem habemus. Vterque vir illustris, et Pittacus philosophus, et Alcaeus poeta Mytilenaei fuerunt teste Strabone, aliisque.

* * *

ΘЄOC. ΘЄOΦANHC. MTT. *Caput*

n) Not. in Steph. sub Μιτυλήνη. o) L. I. c. 3. p) L. IX. §. 40. q) De Vest. et pryt. sub fin. r) Misc. p. 351. s) Inscr. ant. p. 31.

Digitized by Google

nudum. ☧ APXЄΔAM - - *Caput muliebre celatum.* AE. II.

Numum edidit auctor musei Theupoli, sed perperam esse caput I. Caesaris edixit. Melius et erudite sane numum hunc collato simili alio musei sui explicavit Neumannus noster [t]). Nimirum propositus in hoc numo *deus Theophanes* idem ille est Theophanes Mytilenaeus, quem Strabo scriptorem rei politicae peritum, et aetatis suae omnium Graecorum facile illustrissimum appellat. Fuit aequalis Pompeji M., atque inter intimos ejus amicos. Quam praeclare vero patriae consuluerit, vide testimonia alia apud Cl. Neumannum, inter quae ad praesentis numi explicatum praestantissimum est, quod suppeditat Tacitus, M. Pompeii sub Tiberio exitum perhibens [u]): *Datum erat crimini, quod Theophanem Mytilenaeum proavum Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani COELESTES HONORES Graeca adulatio tribuerat.*

* * *

ΠPΩTH. ΛЄCBOT. MTTIΛHNH. *Caput muliebre turritum.* ☧ OMONOIA. MTTIΛHNAIΩN. *Mulier adversa capite tutulato sedens d. pateram, s. quid oblongum, ei a dextris adstat Aesculapius, a sinistris Diana Ephesia, sequitur a dexteris Nemesis, a sinistris Nemesis alia.* AE. I. (Seguin Sel. num. p. 24.)

Facile ex partis aversae typis eruimus, notari concordiam Mytilenaeorum cum Pergamenis, Ephesiis, Smyrnaeis, etsi horum nomina absint.

AR. RR. AE. R.

Imperatorii satis frequentes. Spectatis Augustorum capitibus illustriores sunt:

TI. ΘЄOC. CЄBACTOC. *Caput Tiberii nudum juxta* MTTI. ☧ IOT. ΘЄAC. CЄBACTHC. *Caput Juliae, juxta* MTTI. (Morelli Spec. tab. 20.)

ΘЄON. ΓЄPMAN - - - - MTTI. *Caput Germanici nudum.* ☧ ΘЄAN. AIOΛIN. AΓPIΠΠINAN. MTTI. *Caput Agrippinae senioris.* AE. I. (Pellerin Rec. III. p. 229.)

Praeclari hujus numi explicationem dabimus in moneta hujus Agrippinae commatis Romani.

MATT. CЄB. ΠΛΩTT. CЄB. (sic) *Capita adversa Matidiae et Plotinae.* ☧ APTЄMIC. ΠЄPΓAIA. MTTI. *Diana venatrix comite cane.* AE I. (Pellerin l. c.)

MATIΔIA. MTTI. *Caput Matidiae.* ☧ ΠANKPATIΔHC. *Aesculapius stans.* AE. II. (Piovene Mus. Farn. T. X.)

TITIANH. CЄBACTH. *Caput Titianae.* ☧ MTTIΛHNAIΩN. *Maritus Pertinax eques.* AE. I. (Haym. Mus. Caes.)

* * *

Typi illustriores:

Ex his cumprimis memorandus, qui huic urbi velut proprius habendus: *Mulier capite turrito d. pateram, s. infantem fasciis involutum tenens.* Infantem hoc cultu distincte in suis viderunt Pellerinius [x]), et Theupoli [y]), tametsi in

t) Num. pop. P. II. p. 32. u) Ann. L. VI. 18. x) Suppl. II. p. 72. y) Pag. 1080.

Digitized by Google

aliis ea figura sit dubia, ut vidimus in descriptis supra binis autonomis.

ΑΡΓΕΜΙC. ΠΕΡΓΑΙΑ. in numo Matidiae citato.

* * *

Magistratus nomen in primorum impp. numis sine dignitatis mentione positum, ex sequentibus *praetor* intelligitur. Istud singulare, quod in numo Domnae promulgante Vaillantio bini in eodem numo praedicantur praetores: ЄΠΙ. CTP. ΠΟ. ΠΟCΙΔ. ΒΑΛ. ΑΡΙCTOΜΑΧΟΤ., in alio ejusdem Domnae musei Pisani perhibetur scriptum: ЄΠΙ. CTP. ΑΤΡ. ΔΟΡΙΑ. ΒΑΛ. ΑΡΙCTOΜΑΧΟΤ. Atqui *Bal. Aristomachus* frequenter etiam occurrit in numis Gallieni.

Primam Lesbi, ΠΡΩΤΗ. ΛЄCΒΟΤ se profitetur Mytilene in citato supra autonomo.

Vlpiam, *Severianam* se dicit in numo Mediceo:

ΟΤΛΠΙΑC. CЄΟΤ. ΜΤΤΙΛΗΝΗC. *Caput muliebre turritum.* Ϡ ЄΠΙ. CTP. ΒΑΛ. ΑΡΙCTOΜΑΧΟΤ. ΠЄΡΓ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Fortuna cum Victoriola quadrigis vecta.* (Holsten. ad Steph. sub Μυτιλήνη.)

Concordia cum *Adramytenis* in numo Veri, (Pellerin Suppl. II. p. 72.) *Pergamenis* frequenter aetate Valeriani, *Ephesiis*, *Pergamenis*, *Smyrnaeis* in illustri autonomo, quem descripsimus.

AE. B.

Digitized by Google

IONIA.

Graeciae populi, ac Athenienses maxime, antiquissimis temporibus coloniis et conditis urbibus Ioniam frequentarunt. Hae communi quodam vinculo et societate inter se cohaesere, quo factum, ut et conventus et festa communiter constituerent, quae *Panionia* vocabantur. Diodorus Siculus ad annum V. C. 381, eam societatem ex IX. urbibus constitisse scribit [a]), quas tamen non nominat. Duodecim enumerat Aelianus [b]): Miletum, Ephesum, Erythras, Clazomenas, Prienen, Lebedum, Teon, Colophonem, Myuntem, Phocaeam, adjectis binis insulis Samo et Chio. Easdem persequitur Herodotus [c]), et Strabo [d]), qui et addit, postea temporis adsumtam in eum conventum Smyrnam, cujus incolae antea una cum Ephesiis habitavere, sic ut Ephesus etiam Smyrnae nomen gesserit. Habemus ergo foederis Ionici urbes XIII. Porro conventus hi acti fuere ad Mycalen prope Prienen, qui fuit locus Neptuno Heliconio sacer, dictusque *Panionium*, et festa *Panionia* [e]). Sacrificabatur tum in Neptuni honorem bos, qui si remugiit, boni ominis loco habebatur [f]). Tamen etiam alibi hi sunt conventus celebrati, ut innuit Diodorus [g]), et sub imperatoribus actos variis in urbibus, mox videbimus. En numos hujus Panionii testes:

ΚΟΙΝΟΝ. ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ. ΠΡΟΔΙ. ΟΝ. ΚΛ. ΦΡΟΝΤΩΝΟϹ. ΑϹΙΑΡΧΟΥ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΩϹ. ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ. *Pluto Proserpinam rapiens*, in alio: *Hercules sedens adblanditur adstanti mulieri*, in alio: *Ceres in serpentum bigis*, in numis Ant. Pii. AE. m. m. (Vaill. Num. Gr. p. 47. de Camps.)

Eadem epigraphe. Juno Pronuba in templo 6 columnarum, in alio: *Fortuna stans*, in numis M. Aurelii adhuc Caesaris. AE. m. m. (Vaill. Num. Graec. p. 59.)

Vaillantius vocabula ΠΡΟΔΙ. ΟΝ. explicat: ΠΡΟΔΙκα ΟΝτος, *curatore existente*. Verum obturbat rarissimum per Helladem vocabulum περδικος, *patronus*, *curator*, quod judiciis exercendis aptius, quam festis munus nescio quid sibi ad communes Ioniae conventus velit. Illud etiam mirum, eundem Frontonem simul patronum nescio quem, simul Asiarcham, et summum sacerdotem dici. Accedit, quod horum numorum epigraphe ab omnibus, qui illorum meminere, aliter proditur. Sic Spanhemius legit:

a) L. XV. c. 49. b) V. H. L. VIII. c. 5. c) L. I. c. 142. seq. d) L. XIV. p. m. 339. e) Herodot L. I. c. 148. f) Strabo L. VIII. Eustath. ad Il. T. Diodor. Sic. l. c. g) L. XV. c. 49.

Digitized by Google

ΦΡΟΝΤΩΝΟC. ACIAPXOT. KAI. APXIЄΡЄΩC. KOINON. ΓΙ. ΠΟΛЄΩΝ [h]). Harduinus: KOINON. ΓΙ. ΠΟΛЄΩΝ. Π. ΡΟΔΙΩΝ. KAI. ΦΡΟΝΤΩΝΟC. ACIAPXOT. KAI. APXIЄ. ΓΙ. ΠΟΛЄΩΝ [i]), qui cum in Rhodo hos signatos esse numos putat, in alia omnia, atque ab Ionia prorsus abit. Similis exstat in museo Caesareo, editus in Cimelio Vindob. Part. II. p. VII. his verbis: ΗΓ. ΚΛ. ΦΡΟΝΤΟΝΟC. ACIAPXΘ. KAI. APXIЄ. *(ut apparet)* Δ. ΠΟΛЄΩΝ. KOINON. ΓΙ. ΠΟΛЄΩΝ., in quo jam illud offendit, in Ionia statui ΗΓ *ἑμόνα*. Numus idem a me adcurato examini subditus hanc tantum certam epigraphen offert: ΚΛ. ΦΡΟΝΤΩΝΟC. - - - - ΚΑΙ. Α - - ΙЄ - - ΠΟΛЄΩΝ, KOINON. ΓΙ. ΠΟΛЄΩΝ. Ex quo satis apparet, numos hujus argumenti omnes hactenus editos epigraphen vitiatam offere, neque adeo certi quid statui posse, et vacillare admodum, quae de magistratu prodico, Rhodiis, terrae motu urbium Asiae, a variis copiose disputata sunt, quam litem vide apud Cl. Vandale [k]). Id unum tuto eruimus, pertinere eos ad XIII. urbium Ioniae conventum, ut ex sequentibus magis patebit.

* * *

ЄΠΙ. CTP. ΚΛ. ΚΑΛΙCTOT. ΙЄΡЄΩC. ΙΩΝΩΝ. ΚΟΛΟΦΩΝΙΩ. *per medium numi:* ΤΟ. KOINON. ΙΩΝΩΝ. *Templum quatuor columnarum, in quo protome Apollinis lyram tenentis, foris taurus stans ante aram, circumstant in semircirculum* XIII. *figurae togatae manum ad concipienda vota attollentes*, in numis Treboniani. AE. m. m. (Mus. Caes. Vaill.)

Ergo quod in prioribus numis epigraphe ΓΙ. ΠΟΛЄΩΝ., hoc in praesente figurae XIII., nempe totidem urbium legati, praestant. Docet item, hos conventus non solum ad Mycalen, sed etiam Colophone ad celebre, ut in hujus urbis numis videbimus, Apollinis templum fuisse actos, denique victimam fuisse taurum, ut supra vidimus. Strabo agens de templo Apollinis Delphinii, quod stetit Massiliae Galliae Ionum coloniae, addit: *τυτο μεν κοινον Ιωνων ἁπαντων, hoc quidem Ionum omnium commune est* [l]).

* * *

ΜΙΛΗCΙΩΝ. ΠΑΝΙΩΝΙΑ. ΠΤΘΙΑ. *Vrna mensae imposita*, Saloninae. (Vaill.)

ЄΦЄCΙΩΝ. KOINON. ΠΑΝΙΩΝΙΟΝ. *Templum*, Otaciliae. (Vaill.)

KOINON. ΠΑΝΙΩΝΙΩΝ. (legendum reor: ΠΑΝΙΩΝΙΟΝ). *Templum Iovis (ut editor ait) Philalethae.* Herennii. (Vaill.)

* * *

ϚЄΤC. AKPAIOC. *Caput Iovis.* Ϯ ϚMTP. ΠΑΝΙΩΝΙΟC. *Apollo stans d. ramum, s. arcum et sagittam.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin Rec. II. p. 92.)

ΠΑΝΙΩΝΙΟC, subaudi Απολλων. In eximio marmore operis prominentis, quod pictum exstat in opere: *the Antiquities of Athens* p. 25. stat Apollo nudus d. pe-

h) Tom. I. p. 643. i) Num. ill. sub Ροδος. k) Dissert. III. c. 3. p. m. 281.
l) L. IV. p. m. 270.

Digitized by Google

ctinem, s. lyram columellae impositam tenens, juxta scriptum: ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ. ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΑΓΤΙΕΩΣ. ΠΡΟΣΤΑΤΕΡΙ - - ΠΑΤΡΩΟΝ. ΠΥΘΙΟΥ. ΚΛΑΡΙΟΥ. ΠΑΝΙΟΝΙΟΥ. Cum ex hoc numo, tum ex Philostrato [m]) constat, conventus Panionios etiam Smyrnae celebratos.

* * *

Alium totius Ioniae nomine editum non reperio. Quem Arigonius offert autonomum inscriptum ΙΟΝΙΩΝ, et quem alium Harduinus cum capite Mamaeae ex Occone cum epigraphe ΙΩΝΩΝ recitat, vix memorari merentur. Castigandus etiam Haymius, qui in numo Annii Veri legit ΙΟΝΩΝ, eumque Ionibus tribuit [n]). Orthographiae lex ΙΩΝΩΝ postulat, et ex simili adcuratius edito in museo Christinae [o]) vera epigraphe ΡΟΔΙΩΝ. capienda.

APOLLONIA.

Ex scriptoribus unicum habemus Stephanum, qui Apolloniam inter Ioniae urbes refert: Δεκατη, κατα Θυατειρα και Εφεσον.

Autonomus nullus certus exstat, nisi forte ex his, quos infra in Apollonia Cariae recensebo, quispiam huc pertineat. Videtur tamen hujus esse Apolloniae numus:

ΙΕΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. *Caput Senatus.* Ϟ ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΩΝ. *Caput muliebre incertum.* AE. (Arigoni.)

Similiter enim inscribitur numus certus imperatorius, qui sequitur.

* * *

. *Imperatorios* Vaillantius cum capite Augusti, Tiberii, Caligulae, Commodi huc revocat nulla nixus certa ratione, quin ex terminatione in TAN satis apparet, sic inscriptos Doricae in Illyrico Apolloniae esse. Certus igitur, qui huc pertineat, unicus est sequens:

ΕΠ. ΣΤΡ. ΑΤΡ. ΤΕΡΤΥΛΛΟΥ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΩΝ. ΕΝ. ΙΩΝΙΑ. *Hygia et Aesculapius*, Alexandri Sev. (Vaill.)

* * *

Auctor musei Theupoli huc refert numum Augusti inscriptum ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. ΚΑΛΛΙΠΟΣ. ΑΡΤΕΜΙ - - - cur istud, ignoro.
AE. RRRR.

CLARVS.

Prope Colophonem, cultu Apollinis qui inde *Clarius* dictus est, insignis, de quo in numis Colophonis redibit mentio. Vetustioribus scriptoribus sacer tantum lucus et mons dicitur, sequioribus etiam oppidum, de quo vide Cellarium.

Faustinae jun. numum promulgavit Vaillantius: ΚΛΑΡΗΝΩΝ typo *Apollinis stantis.* Liceat hanc epigraphen vocare in dubium, nam a Κλαρος flexum fuisse Κλαριος et Κλαρια, videbimus in Colophone. Sic et dubitem de numo Trajani in quo Harduinus so-

m) Vit. Apoll. L. IV. c. 5. et 6. n) T. II. p. m. 283. o) Tab. LIX. n. 16.

Digitized by Google

lus legit: ΚΛΑΡΙΩΝ. ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ p).

CLAZOMENE.

In peninsula.

Autonomi magno numero exstant, quos dabit Pellerinius, Hunterus, museum Caesareum. Illustriores sunt:

Aper alatus. ☧ *Caput leonis.* AV. III. (Hunter tab. 66. n. V.)

Caput leonis adversum intra quadratum. ☧ *Sine epigraphe. Aper alatus.* AR. III. (Mus. Caes., ex quo numum hunc pictum stili in ejus Catalogo Tab. III. n. 14)

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ. *Aper alatus.* ☧ ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ. *intra quadratum quadripartitum.* AE. II. in alio ΚΛΑ. AE. III. (Pellerin.)

Numis prioribus anepigraphis, et operis pervetusti, tertius locum natalem facile adsignat. Aprum alatum, et sui generis Pegasum a Graecis excogitatum, nequaquam mirum, quando ineptum Trimalchionis ingenium leporem etiam Pegasum reperit q). Sed habet etiam insolens hic typus idoneum ex veteribus interpretem. Refert Aelianus r): ἐν Κλαζομενιοις συν ὑγιεσζαι πτηνον, ἡπερ ἐν ἐλυμαινετο την χοραν τοις Κλαζομενιοις, *apud Clazomenios suem alatam exortam, quae Clazomeniorum agrum vastabat.* Addit, locum ibi decantatum esse, qui nomen traxit ἀπο της ὑος πτερωτης, *a sue alata.* Est adeo hic typus unis Clazomeniis proprius. Quare jure huc revocavi argenteum Alexandri M., quod simile animal in ejus area comparet. Vide numos ejus regis. Inter incertos musei Hunteriani tab. 66. num. XVIII. est numus cum typo similis apri, sed inscriptus ΑΛΤΣΙΟΝ. Cum urbem hujus nominis non noverim, erit forte nomen magistratus, et numus hujus urbis. Opus hoc est aevi satis remoti.

* * *

Caput Palladis vel adversum, vel in alterutram partem conversum. ☧ ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ. *Aries gradiens, vel procumbens, vel dimidius.* AE. II. III. (Pellerin.)

Typus hic in Clazomeniorum monetis maxime obvius, sed ignoro ejus sic adamati causam.

* * *

Caput muliebre adversum laureatum, ☧ ΛΕΤΚΑΙΟΣ. *addito monogrammate* ΠΑΡ. *infra:* ΚΛΑ. *Cycnus.* AV. II. (Pellerin.)

Caput muliebre adversum. ☧ ΚΛΑ𐤟. vel: ΚΛ𐤟ΑΟ. *Cycnus explicatis alis, superne:* ΕΛΙΚΩΝΙΟΣ. *vel:* ΠΑΡΜΙΣ. *vel* ΧΙΟΣ. AR. III. (Hunter, Pellerin.)

Elegantibus his numis etiam a metallo pretium accedit. Cycni quoque causa mihi ignota.

* * *

ΘΕΑ. ΚΛΑΖΟΜΕΝΗ. *Caput muliebre turritum.* ☧ ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ. *Figura stolata stans sinistram extendit versus animal adstitutum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Dea Clazomene memoratur etiam in numo Valeriani. Haud dubie Amazon credita fuerit, et simul urbis auctor, proinde divinos honores nacta. Certe Myrhina, Cyme, Temnus, Smyrna Amazones eodem modo in numis proponuntur.

p) Num. ill. in Κλαρος. q) Petron. Satyr. cap. 36. r) Nat. anim. L. XII. c. 38.

Digitized by Google

* * *

ΙЄΡΑ. CTNKΛΗTOC. *Caput juvenile*, Ϡ ЄΠ. CT. ZΩ. CIMOT. T. Є. ΚΛΑΖΟΜЄΝΙΩΝ. *Fortuna stans.* AE. II. (Mus. Caes. et ex hoc editus in mea Sylloge I. p. 37.)

Observandae literae T. Є. quas explico: TO. Є. id est: *quintum*, quo auctiorem iteratae praeturae numerum non habemus.

AV. RRRR. AR. RRR. AE. R.

Imperatorii sunt ab Augusto usque ad Gallienum.

ΚΛΑΖΟ. ΚΤΙΣΤΗΣ. *Caput Augusti.* Ϡ ΘΕΑ. ΛΙΒΙΑ. *Caput Liviae.* (Pellerin. Rec. III. p. 232.) In alio apud Morellium: (Specim. p. 201.) ΣЄΒΑΣΤΟΣ. ΚΤΙΣΤΗΣ. *Caput laureatum.*

Docent hi numi, Augustum a Clazomeniis *conditoris* honores abstulisse.

Magistratus praetor, docente istud numo Domnae, (Vaill.) et autonomo citato. *Praesidem* vidit Harduinus in numo Claudii: ЄΠΙ. ΗΓЄΜΟΝΟΣ. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΤ. Hujus generis magistratum videre extra Thraciam, mirum sane, sed neque Vaillantius, aut alter insoliti hujus numi meminit. Similis, sed vitiatis literis, est apud Morellium in numis Claudii Tab. IX. n. 10.

ЄIPHNH. ΚΛΑΖΟΜЄΝΙΩΝ. *Pax stans d. spicas, s. caduceum*, Vespasiani. (Sestini Lettere V. IV. p. 113.)

Concordia cum Smyrna: ЄΠ. ΔΙΟΝΤCIOT. CMTP. ΚΛΑΖΟΜЄΝΙΩΝ. *Cybele sedens*, Valeriani. (Gusseme in Clazomenis.)

AR. RR.

COLOPHON.

Vrbs clara et pervetusta.

Autonomi illustriores:

Caput muliebre. Ϡ ΚΟΛΦΩΝΙΟΝ. (βυζοφηδον) *Lyra.* AR. III. (Mus. Caes.) *Alius similis, sed* ΚΟΛΟΦΩΝΙΟΝ, *et scriptura recta.* (Pellerin.)

Singulare est in numo priore, qui antiquissimi est operis, expunctum O secundum. In utroque numo possessivum est pro gentili, ut ΘΕΣΠΙΚΟΝ. ΦΕΝΙΚΟΝ. etc. nam vocabulum pro ΩΝ in ON exit, etsi in eodem jam praesto sit Ω. Numus praecedens editus jam fuit in Cimelio Vindobonensi, sed Froelichius ibi *Cupham* Babyloniae suspicatus est, cum legeret ΚΟΤΦΩΝΙΟΝ. Lyra ad Apollinis cultum refertur, qui in vicina Claro, unde et *Clarius* dictus fuit, famigeratum templum habuit. Quare plerique hujus urbis autonomi aliquid habent, quod ad Apollinem refertur, sed cumprimis lyra Colophoniis placuit, testante etiam Himerio sophista Oratione XXI. §. 8. Κολοφων μεν γαρ ἐχει την λυραν, *Colophon habet lyram.*

* * *

ΑΠΟΛΛΑΣ. *in aliis* ΠΤΘΙΟΣ. *Vir togatus sedens prae se volumen tenet.* Ϡ ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ. *Apollo stolatus gradiens d. plectrum, s. lyram.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin, Pembrock P. I. tab. 15. et P. II. tab. 80.)

Vir sedens partis anticae certus est Homerus, quem Colophonios apud se natum praedicasse constat, quod magis infra patebit collatis Smyrnaeorum et Chiorum numis. Scriptum juxta vocabulum, quia variat, certum est magi-

Digitized by Google

stratus domestici nomen. Perperam igitur auctor musei Pembrockiani, et Gronovius, qui similem ex Vrsino edidit [s]), propter scriptum juxta ΠΤΘΕΟΣ, vel ΠΤΘΙΟΣ exhiberi hoc typo Pytheum poetam quemdam Colophonium crediderunt.

AR. RRR. AE. RR.

Tetradrachmum *Alexandri M.* in hac urbe signatum, in cujus area est ΚΟΛΟ. et lyra, vide in numis hujus regis.

Imperatorii sunt a Domitiano usque ad Gallienum.

ΑΡΤΕΜΙC. ΚΟΛΟΦΩΝΙΑ. *Diana πολυμαζος cum adminiculis et cervis*, Domitiani. (Vaill.)

ΑΡΤΕΜΙC. ΚΛΑΡΙΑ. *Typus idem.* Domitiani et Trajani. (Vaill. Morelli in num. Domit.)

Habiti hi honores Dianae, quia Apollinis soror.

Apollo stolatus vel stans, vel sedens, Caracallae, Gordiani, Decii. (Vaill.)

Variorum etiam animalium comparent typi apud Vaillantium, *tigridis* in Aurelio, *ursi* in Commodo, *canis* in Geta, quem Harduinus signatum putat propterea, quod veteres Colophonii teste Plinio canes in aciem eduxere.

Magistratus: Praetor, legitur inde a Caracalla.

Sacerdos: ΙΕΡΕΥC. ΙΩΝΩΝ. dicitur Claudius Callistus, qui idem praetor fuit, in numo eximio Treboniani Panionium referente, de quo egimus supra in prolegomenis ad numos Ioniae.

Concordia cum Pergamenis, in quo numo Aesculapius Pergamenorum, et Apollo Clarius stolatus Colophoniorum stantes exhibentur. Est Caracallae. (Vaill.) *AE. RR.*

EPHESVS.

Vrbs inter Asiae praecipuas.

Autonomi neque admodum aut frequentes, aut varii. Illustriores sunt:

Caput Dianae cum arcu et pharetra. Ϟ ΕΦΕΣΙΩΝ. *Diana Ephesia stans cum adminiculis, in area cervus, et apis.* AV. II. (Pellerin Suppl. III. p. 41.)

ΕΦΕΣΙΟΝ. *Apis.* Ϟ *Quadratum cavum quadripartitum.* AR. III. (Pellerin.)

ΕΦ. *Apis.* Ϟ ΧΑΙΡΙΤΗΣ. *Cervus dimidius respiciens, et palma.* AR. I. (Mus. Caes.)

Numus ex his primus cum causa metalli, nam aureus praeterea alius compertus non est, tum elegantia operis, denique quod omnes in Ephesia moneta obvios typos, Dianam, apim, cervum complectitur, insignis putandus. Sistit antica caput Dianae eo cultu, quo ea a Graecis passim proponi est solita, at aversa eam, quae propria fuit Ephesiorum, de qua insignis est locus D. Hieronymi [t]): *scribebat* (Paulus) *ad Ephesios Dianam colentes, non hanc venatricem, quae arcum tenet et succincta est, sed illam multimammiam, quam Graeci πολυμαζον vocant, ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum et viventium esse nutricem.* De Dianae apud Ephesum cultu ac insigni religione jam ab aliis copiose tractata,

s) Thes. ant. Graec. Vol. III. t) In prooem. in Epist. Pauli ad Ephes.

Digitized by Google

nihil est, quod memorem. Ejus ibi templum, cujus perfectio saecula occupavit, in orbis prodigiis est habitum. Ceterum ut olim miraculi instar fuit, potuisse tam enormis ponderis lapides aut comportari, aut deinde attolli, ita sequiore aevo alterius miraculi loco habitum, potuisse tantas moles sic loco moveri ac disperdi, ut hodie nulla amplius exstent tanti operis aut rudera, aut reliquiae, quae omnia late descripta vide apud Chandlerum autoptam [u]).

Apis, alter Ephesiorum typus. Lectus creditur, quod, cum Athenienses in hanc oram colonos deducerent, Musae sub apum specie classis cursum regerent, ut narrat Philostratus [x]), et Himerius sophista Oratione X. Fuisse Ephesum Atheniensium coloniam, memorant etiam Plato [y]), et Velleius [z]).

Cervus unus, vel duo, integri vel dimidii, tertius Ephesiorum typus, quia Dianae suae comes. Hujus typi meminit quoque Libanius [a]): Εφεσιοις δε και το νομισμα την ἐλαφον ἐφιζει. *Ephesiorum etiam numus cervam habuit.*

Palmae in populi hujus moneta frequentis certam rationem nondum reperi.

* * *

Caput Dianae cum arcu et pharetra. Ɪ ЄΦ. ΔΗΜΗΤΡΙΟC. ΚΩΚΟC. ΣΩΠΑΤΡΟΣ. *Fax ardens inter duos cervos stans.* AE. II. (Pellerin. Hunter.)

Fax ad Dianam, quatenus Hecate est, pertinet, cujus sacra lampadum gestatione peragebantur, ut dicetur ad numos Stratoniceae Cariae.

* * *

ЄΦ. *Apis*, *infra* ΠЄ. Ɪ - - ΣΤΝ. *Hercules puer angues elidens.* AR. I. (Hunter.)

Numus hic ob typi in aversa insolentiam dissimulandus non fuit.

* * *

ЄΦЄCIΩN. ЄΠΙ. ΚЄΡΡЄΑ. *Protome Palladis.* Ɪ ΚΑΤCΤΡΟC. *Fluvius humi decumbens.* AE. II. (Pellerin.)

De Caystro Ephesum adluente vide imperatorios.

* * *

Cistophoros Ephesi signatos recensemus in peculiari de his dissertatione, numulos vero aeneos, inscriptos ЄΦ. CKΩΠΙ., quia verae monetae rationem palam inficiantur, in commentatione de *Pseudomonetis*, ad quam jure pertinent.

* * *

Numus inscriptus MA., typo capitis Dianae, et cervi, quem Pellerinius Ephesium putavit, verisimilius reddendus est Massiliae Galliae, in cujus numis iidem typi comparent.

AV. RRRR. AR. et AB. R.

Imperatorii ad Gallienum usque perfrequentes, quin et unica haec est urbs, quae IIIviros omnes in eadem moneta proposuit in numo sequente:

---

u) Iter Asiat. cap. 39. x) In imag. Melet. y) In Ione sub. fin. z) L. I. c. 4. a) Tom. II. orat. 32 p. 666.

Digitized by Google

Capita jugata et nuda Illvirorum. Ϫ *Epigraphe dubia, ut dicetur. Dianae Ephesia.* AE. III.

Vaillantius, tum et Morellius (Impp. T. I. p. 426.) legunt: ЄΦ. ΑΡΧΙЄΡЄΤΣ. ΓΡΑΜ. ΓΛΑΤΚΩΝ. ЄΤΘΤΚΡΑΤΗΣ. At Haymius postremum vocabulum legit: ΛЄΚΗΠΑΔΗΣ. (T. II. p. m. 212.) Vnde sequitur, aut numos reipsa varie inscriptos, aut non omnes rite conservatos, ut revera exigui sunt numuli, et characteres. Similis est in museo Caesareo, sed et hic male ab aevi injuriis vexatus.

ΣЄΒΑΣΤΟΣ. ΚΤΙΣΤΗΣ. Caput Augusti, quem *conditorem* suum per adulationem utique appellant Ephesii. Frequenter Augusti et Liviae capita jugata in numis hujus urbis III. formae reperiuntur.

Μ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΙΟΤΛΙΑ. *Capita M. Agrippae, et Juliae uxoris.* (Sestini Lett. T. IV. p. 112.) sed qui numus nimio videtur suspectus. Vide quae dicam sub *primatu.*

ΟΛΤΜΠΙΟС dicitur Hadrianus, (Mus. Pisani.) et Commodus. (Harduin.)

* * *

Argenteos inscriptos ΔΡΑΧΜΗ. ЄΦΕ. cum capite Neronis dederunt Vaillantius et museum Pembrockianum, sed legendum in his verisimilius ЄΤ. Ε., dicemus in numis Neronis commatis peregrini. De drachmis Latine inscriptis Vespasiani et filiorum, in quorum area legitur EPHE., agemus in moneta Vespasiani.

Numina:

ΑΡΤЄΜΙС. ЄΦЄСΙΩΝ. vel ЄΦЄСΙΑ. frequenter in numis imperatorum, quamvis certum non sit, numos omnes sic inscriptos Ephesi signatos, nam Dianae Ephesiae cultus late patuit. Sane copiosos aliarum urbium numos habemus, qui typum habent Dianam Ephesiam. Fecit hoc ejus deae celebritas, qua de causa Mytilenaei quoque Dianam Pergaeam, Pergameni et Sardiani Venerem Paphiam numis intulerunt. De Diana Ephesia haec Pausanias [b]): urbes propc cunctas Dianam nominare Ephesiam, eamque privatim a viris maximo in honore haberi. In causa esse Amazonum celebritatem, a quibus ajunt ejus signum fuisse dedicatum, tum et ejus templi antiquitatem. Tria praeterea alia ejus famam auxisse, magnitudinem templi, quod omnium hominum opera alia superat, Ephesiorum urbis florentem statum, et praesens in ea Dianae numen.

ΖЄΤС. ЄΦЄСΙΟС. ΠΡΩΤΟС. ΑСΙΑС. *Juppiter stans d. Dianae sigillum*, Severi. (Vaill.)

Ephesii, qui se, ut videbimus πρῶτας Ἀσίας dixere, nunc etiam Iovem suum, tanquam inter omnes alios aliis in urbibus cultos primatum teneret, *primum Asiae* compellant, quanquam Harduinus legat, ΠΡΩΤΟС. ΑΓΩΝ., sed typus ludorum solennia non indicat.

ΠЄΙΩΝ. *(in alio* ΠЄΙΩ.) ЄΦЄСΙΩΝ. *Iuppiter rupi insidens et d. cornucopiae inversum tenens, ex quo imber in subjectam fi-*

b) L. IV. c. 31.

Digitized by Google

guram humi jacentem defluit, s. fulmen tenet, in area templum, et cupressus, Ant. Pii. AE. m. m. (Seguin. pag. 154. Harduin.)

Elegans est numi hujus imago, qua veterum sive allegoria, sive figmentum de Iove uxorem Terram pluviarum ope fecundante praeclare exprimitur. Non pigebit praestantissimorum poetarum oracula audire hujus typum numi insigniter illustrantia, ac primum cum illo conferre aureos Maronis versus [c]).

Tum pater omnipotens fecundis imbribus aether
Conjugis in gremium laetae descendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.

Similiter auctor Pervigilii Veneris: (Vers. 60.)

Vt pater totis crearet vernus annum nubibus,
In sinum maritus imber fluxit almae conjugis,
Vnde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.

Analogus est locus Euripidis, qui est in fragmentis fabulae, cui nomen *Chrysippus:*

Γαια μεγιστη, και Διος αιθηρ,
Ο μεν ανθρωπων και θεων γενετωρ,
Ηδ' υγροβολος σταγονας νοτιας
Παραδεξαμενη τικτει θνατας,
Τικτει δε βοσκας, φυλα δε θηρων.
Terra maxima et Jovis aether,
Hic quidem hominum deorumque pater,
At illa humentes guttas australes
Recipiens parit mortales,
Parit alimenta, et genera pecudum.

Vide similia exempla alia, quae ex Euripide et Aeschylo recitat Athenaeus [d]), tum et Plutarchum [e]). Et vero passim veteribus Iuppiter pluviarum auctor fuit creditus. Teste Luciano [f]) apud vicina Pergamo Gargara fuit ara Διος ὑοντος, βροντωντος, και ἀστραπας ποιωντος, *Jovis pluvii, tonantis, fulgeratoris*, et constat ex Tertulliano [g]), a Romanis cessante coelo *aquilicia Iovi immolata*, nimirum quibus aqua eliceretur. M. Aurelius Aug. laudat Atheniensium preces, quibus pluvias desuper flagitavere: ὑσον, ὑσον, φιλε Ζευ [h]). Et testatur Pausanias [i]) fuisse apud Athenienses Telluris imbrem a Iove implorantis simulacrum, ex quo forte numi hujus imago est petita. Est etiam Iovis Pluvii imago superstes in columna cochlide M. Aurelii, nisi forte ea imago est Noti imbres advehentis secundum descriptionem Ovidii [k]). Et vero insignis haec allegoria non tantum Graecis placuit, sed et Scythis, quibus teste Herodoto [l]) pridem creditum, Tellurem esse Iovis conjugem. Liceat concinnae huic veterum de Iove Pluvio doctrinae lepidam aliam opponere, quam apud Aristophanem tradidit Strepsiades [m]), qui Iovem quidem pluviarum auctorem non negavit, sed

c) Georg. II. 325. d) L. XIII. p. 599. seq. e) De placit. philos. L. I. cap. 6. f) Dial. deor. IV. g) Apolog. c. 40. h) Libr. V. προς ἑαυτον, c. 7. i) In Attic. p. m. 57. k) Met. I. 264. seq. l) L. IV. c. 59. m) In Nub. v. 372.

Digitized by Google

modum multo diversum praescripsit, και τοι πρoτερον, inquiebat, τον Δι ἀληθως ὑμην δια κοσκινου ἐρειν..

Harduinus ejusdem Antonini numum citat cum epigraphe: ΠΕΙΟC. ЄΦЄCIΩN. typo *Apollinis et Dianae stantium.* Is similes inscriptiones omnes ad Iovem quoque Pluvium refert, qui quod pluvias benigne indulget, dictus est ΠЄΙOC. quod ex Aeolum vel Ionum lingua idem esset, ac ΦΙΛΙOC Pergami cultus. Vix credam, sententiam hanc eruditis probatum iri. Multo magis verisimile, legendum ΠЄΙΩN ex Seguini citati testimonio, et Ephesios se dixisse Πειης ex nomine imperantis tum Antonini PII.

ΑΠΟΛΛΩΝ. ЄΜΒΑCΙOC. ЄΦЄCIΩN. *Apollo stans columnae innixus d. telum, ex adverso Diana venatrix,* Antonini. (Vaill. Num. Graec. p. 291.)

Apollonius L. I. Argonauticorum saepius meminit Απολλωνες Εμβασια et Εμβασιη, quem venerati sunt Argonautae, velut qui tueretur eos, qui ad iter maritimum accincti *ingrediuntur* navim, praestaretque salvos *egredi.* Numen urbi opportunum, cujus amplum fuit mari commercium.

* * *

ΘЄAN. PΩMHN. *Caput Romae,* Neronis. (Vaill.)

Ephesi permissu Augusti fuisse aedificatum templum deae Romae, prodidit Dio n).

* * *

TO. AΓAΘON. ЄΦЄCIΩN. *Virnudus stans d. spicas,* Saloninae. (Vaill.)

Recte docuit Vaillantius, virum in hoc numo propositum esse *bonum genium* Ephesiorum, et ejusdem naturae cum eo, qui in numis Romanis *Boni Eventus* nomine sistitur.

* * *

ЄΦЄCIΩN. TTXH. Decii, Valeriani, Gallieni.

Conditores:

ЄΦЄ. CMTP. *Duae Amazones jungunt dexteras,* Domitiani. (Vaill.)

Ephesum urbem fuisse cognominem Amazoni, docuerunt Eustathius o), et Strabo p), sed posterior hic ait alibi q), fuisse conditam ab Androclo Codri Atheniensium regis filio. Sed idem adserit alibi r), urbem ante hujus invasionem jam fuisse habitatam. Ceterum ipsis Ephesiis creditum, urbem suam antiquitus Amazonibus paruisse s), et ipsi Plinio dicitur *Amazonum opus* t). Verum Mela u), et Avienus x) nonnisi templum, intellige vetustum illud, ab Amazone conditum dixere.

* * *

ЄΠΙ. - ΠAITOT. ΓPAMMATЄΩC. OMONOIA. *Duo heroes barbati nudi hastati stantes dexteras jungunt; juxta horum unum scriptum:* KTZIKOC *juxta alterum:* ЄΦЄCOC. Ant. Pii. (Morelli Spec. tab. X.)

---

n) L. LI. §. 20. o) Ad Dionys. Perieg. v. 828. p) L. XII. p. m. 577. q) L. XIV. p. 938. r) L. XIV. p. 940. s) Tacit. Ann. III. 61. t) L. V. p. 278. u) L. I. c. 17. x) Descrip. orb. v. 992.

Digitized by Google

Existimat Morellius, utraque hac figura exhiberi Cyzici et Ephesi conditores. Inter varios, qui a veteribus Epheso tribuuntur, et quorum nonnullos mox dedi, refert Pausanias Ephesum Caystri fluvii filium, a quo urbs nomen acceperit y). De Cyzico rege egimus in moneta Cyzici. Hanc sententiam id unum vellicat, quod Cyzicus in Cyzici numis imberbis semper fingitur. Sed poterant in hoc aberrare Ephesii, apud quos signatum hunc numum ex magistratu *scriba* certum est. Vaillantius exhiberi duos Ioves censet, Cyzicenum et Ephesium z).

Augustum honoris causa dictum Ephesi conditorem, supra, diximus.

* * *

Numi reliqui illustriores:

ΑΠΗΝΗ. ΕΦΕCΙΩΝ. *Thensa 4 equis vecta*, Ant. Pii. (Vaill.)

ΑΠΗΝΗ. ΙΕΡΑ. ΕΦΕCΙΩΝ. *Carpentum a 2 mulis tractum*, Commodi, Domnae etc. (Vaill. Theupoli.)

Fuit Graecis ἅπηνη, quod Romanis thensa, qua deorum simulacra in sacro processu vehebantur, ut ex numis Romanis notum. Sed haud dubie muli quoque sunt, quos equos dixit Vaillantius. Nam teste scholiasta Pindari a) ἅπηνη ἐστιν ἅρμα ἐξ ἡμιόνων ζευχθέν, et teste Athenaeo b) in celebri Ptolemaei pompa Bacchica spectatae erant ἅπηναι ὑφ' ἡμιόνων ἀγόμεναι, *thensae a mulis tractae.*

* * *

ΔΟΓΜΑΤΙ. CTNKΛΗΤΟΥ. ΕΦΕCΙΩΝ. ΗΛΙΟΙ. ΝΕΟΙ. *Quatuor templa, Severi, Domnae, Caracallae, Getae*, in numo Caracallae.

Sic numi hujus epigraphen legit, typumque explicat Vaillantius. At major fides adcurati Haymii, qui in numo simillimo pro ΗΛΙΟΙ. ΝΕΟΙ. *Soles novi*, legit: ΟΤΤΟΙ. ΝΑΟΙ. id est: *Senatus* Romani *consulto Ephesiorum haec templa* c). Et constat mihi, idem legi in numo simili musei Christinae. Erudite in subjecta explicationi Haymianae nota observat Khellius ex Tacito d), ipsorum Ephesiorum confessione fuisse apud eos templa Dianae, Apollinis, Liberi, et Herculis, cumque Tiberius asylorum per Graecas urbes licentiam intenderet reprimere, jussisse, senatusconsulto, quod subinde aeneis tabulis incideretur, eorum modum statui, ad quod adludere proditam in numo epigraphen censet Khellius. Exstare tamen etiam in numo Ephesio epigraphen ΗΛΙΟΙ. ΝΕΟΙ., dicetur infra in *Neocoratus* numis.

* * *

ΕΦΕCΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC. *in imo:* ΒΟΤΑ. *Multae figurae causa sacrificii stantes ante templum, manusque attollentes*, in numo Maximi Caes., (Vaill.) et Macrini. (Spanheim Césars de Julien Preuves p. 7.)

ΒΩΤΑ vocabulum Latinum in indumento Graeco, quo indicantur VOTA ab Ephesiis haud dubie pro novi princi-

y) L. VII. c. 2. z) Num. Graec. a) Ad Olymp. V. 6. b) L. V. p. m. 201. c) Thes. Br. T. II. p. m. 324. d) Ann. L. III. c. 61.

Digitized by Google

pis incolumitate suscepta. Quod dixeram, confirmatur non modo ab ipso typo, sed etiam, quod multa Latinorum vocabula, praecipue quae ad ritus, et dignitates pertinent, a Graecis civitate sunt donata. Idem vocabulum legitur etiam in canone LXXI. concilii, quod in Trullo dicitur, qui cessare jubet *τας ὑπω λεγομενας* Καλανδας, *και τα λεγομενα* ΒΩΤΑ, *sic dictas Kalendas, et sic dicta VOTA*, tanquam veteris superstitionis reliquias.

* * *

ЄΦЄCIΩN. A. ΚΑΤΑΠΛΟΤC. *Navis praetoria*, in numo Philippi. (Vaill.)

Ad explicandam hanc aversam insignia sunt, quae refert Vlpianus, cum de magistratuum Rom. in provincias profectionibus agit e): *Ingressum etiam* (proconsulem) *hoc eum observare oportet, ut per eam partem provinciam ingrediatur, per quam ingredi moris est, et quas Graeci ἐπιδημιας, id est:* accessus ad urbem, *appellant, sive* ΚΑΤΑΠΛΟΤΝ, *id est:* adnavigationem, *observare, in quam primum civitatem veniat, vel applicet; magni enim faciunt provinciales servari sibi consuetudinem istam, et ejusmodi praerogativas. Quaedam provinciae etiam hoc habent, ut per mare in eam provinciam proconsul veniat, ut Asia scilicet, usque adeo, ut imperator noster Augustus ad desideria Asianorum rescripserit, proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare, και μητροπολεων* Εφεσον, *id est: inter matrices urbes Ephesum primam attingere.* Quibus ex verbis tota praeclari hujus numi explicatio pendet. Discimus enim, adnavigationem in portum vocari *καταπλυν*, jussos proconsules applicare Ephesum, et quidem ad hanc prae reliquis Asiae urbibus *primam*, ex quibus omnibus coaluit numi epigraphe ЄΦЄ-CIΩN. A. ΚΑΤΑΠΛΟΤC. id est: *prima* adnavigatio ad Ephesiorum urbem, qui honor cum iis ab imperatoris rescripto concessus sit, pro Graecorum ambitione dignus videbatur, quo se in moneta publica efferrent. Haec pridem sic praeclare et late exposita vide apud eruditissimum Spanhemium f).

* * *

Magistratus sacri.

Summus sacerdos, ΑΡΧΙΕΡΕΤΣ. Hic memoratur in numis Illvirorum, quos supra citavi, sic tamen, ut dubium sit, utrum *Glaucon*, an *Euthycrates*, qui uterque in hoc numo legitur, summi sacerdotii munere praeditus fuerit. In numis Augusti apud Vaillantium: ΑΡΧΙΕ-ΡΕΤΣ. ΑΣΚΛΗΠ. ΤΡΤΦΩΝ., sed apud Morellium g) et Haymium pro ΑΣΚΛΗΠ. legitur ΑΣΚΛΑΣ. In ejusdem Augusti numo apud Vaillantium legitur etiam: ΑΡΧΙΕΡΕΤΣ. ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ, sed hic numus a Morellio Caligulae tribuitur h). Item ΑΡΧ. ΚΟΤΣΙΝΙΟΣ. et ΑΡΧ. ΗΡΑΣΑΙΟΣ, Augusti. (Vaill.) In numo Cusinii additur Δ, quo se *quartum* hoc munere functum profitetur.

Sacerdos, ΙΕΡΕΤΣ. In numo Domi-

e) L. I. tit. Digg. XVI. de offic. procos. 485. h) Impp. T. I. p. 690.

f) T. I. p. 608. et 615. g) Impp. T. I. p.

Digitized by Google

tiani: ΙΕΡΕΤΣ. ΑΤΡ. ΜΟΤΣΟΝΙΟΣ. ΑΣΤΛΟΤ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΕΦΕΣΙΩΝ. (Vaill.)

Templum Dianae, quod fuit Ephesi, habuisse jus asyli, idque varie fuisse immutatum, refert Strabo [i]), et Tacitus [k]). Vnde etiam in numo Otaciliae apud Vaillantium: ΑΡΤΕΜΙC. ΕΦΕCIA. ACTΛOC.

* * *

Magistratus profani.

Scriba, ΓΡΑΜΜΑΤΕΤΣ. In numo Augusti apud Vaillantium: ΓΡΑΜΜΑΤΕΟΤΣ. (melius ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ.) ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ. ΜΗΝΟΦΑΤΟΤ., melius iterum ΑΡΙΣΤΙΩΝΟΣ, nam idem mox alium memorat cum epigraphe: ΓΡΑΜΜΑΤΕΤΣ. ΑΡΙΣΤΙΩΝ. ΜΗΝΟΦΑΝΤΟΤ. In alio ejusdem Augusti: ΕΠΙ. ΓΡ. ΑΝΤΑΝΔΡΟΤ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤ. in numo Trajani: ΚΟΤΣΙΝΙΟΣ. ΓΡΑ. ΤΟ. Δ. [l]). Idem munus postremum comparet in numis Ant. Pii: ΕΠΙ. ΠΑΙΤΟΤ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΩC. (Vaill. Arigoni.) Hujus apud Ephesios magistratus mentio fit in Actis Apost. cap. XIX. 35.

Praetor, ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ. in unico numo M. Aurelii: ΕΠΙ. CTPA. ΙΟΤΛΙΑΝΟΤ. Nam numum Domitiani: ΕΠΙ. CTPA. ΟΨΕΩΝΟC. ΕΦΕ. CMTP. ΟΜΟΝΟΙΑ. verius credam percussum Smyrnae. In numo Elagabali apud Vaillantium est: ΕΠΙ. CTP. M. ΑΤΡ. ΓΑΡΟΤ. et concordia cum Laodicea Phrygiae, sed incertum est, in utra urbe sit signatus.

* * *

Proconsul:

ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput Neronis* Ϡ ΑΙΧΜΟΚΛΗ. ΑΟΤΙΟΛΑ. ΑΝΘΤΠΑΤΩ. ΕΦ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Templum Dianae.* (Morelli in Nerone.)

ΝΕΡΩΝ. ΠΟΠΠΑΙΑ. *Vtriusque caput.* Ϡ ΑΟΤΙΟΛΑ. ΑΝΘΤΠΑΤΩ. ΑΙΧΜΟ - - ΕΦΕ. *Cervus.* (Haym. T. II. p. 242.)

ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ. *Caput Messalinae Neronis.* Ϡ ΑΟΤΙΟΛΑ. ΜΗ - - ΑΙΧΜΟΚΛΗ. ΕΦΕ. *Mulier turrita stans d. sigillum Dianae Ephesiae, s. hastam.* (Ibid. p. 244.)

Fuisse *Aviolam* cognomen gentis Aciliae, liquet ex Valerio Maximo, qui narrat [m]), Acilium Aviolam, quod mortuus credebatur, rogo impositum revixisse, at superantibus flammis servari non potuisse, quod factum etiam refert Plinius [n]). Acilius Aviola legatus Galliae sub Tiberio ad annum V. C. 774. memoratur Tacito [o]). Aviola proconsul in his numis proditus videtur esse is, qui V. C. 807. consul fuit. Etiam in numis Smyrnae et Pergami sub Caligula signatis proditur Aviola.

ΕΠΙ. ΚΑΙCΕΝΝΙΟΤ. ΠΑΙΤΟΤ. ΑΝΘΤ. in numis Domitiani. (Vaill.)

ΑΝΘΤ. Μ. ΤΙΒ. (sic) ΠΑΝCΑ. in numo Domitiae. (Mus. Farnes. T. IX tab. 9.)

Epocha.

Hanc nonnulli ex M. Aurelii numo collegerunt, quem edidit Patinus [p]), in quo scriptum praetenditur: ΕΦΕCIΩΝ. ΡΝ.

---

i) L. XIV. p. m. 950. k) Ann. III. 60. 61. l) Sestini Lettere. T. IV. p. 113.
m) L. I. c. 8. §. 12. n) L. VII. c. 53. o) Ann. III. 41. p) Num. Impp. p. 194.

Digitized by Google

At jam vidit Panelius, perperam sic lectum pro ЄΦΘЄCIΩN. B. NЄ. q). Tamen in Cistophoris Ephesiis notae arithmeticae occurrunt, quae aliud quam epochae annos notare vix possunt, sed cujus principium incertum, de quo vide, quae observabo in commentatione de numis Cistophoris.

Neocoratus.

Ejus primum meminit numus Neronis, quem supra sub *proconsule* citavimus. ΔIC. NЄΩKOPΩN, incipit in numis Hadriani et Aelii, et sic continuatur usque ad Caracallam. In hujus numis legitur ΔIC. et TPIC. NЄΩKOPΩN. Sub Elagabalo epigraphe arrogantior: ЄΦΘЄCIΩN. MONΩN. AΠACΩN. TЄTPAKI. NЄΩKOPΩN. (Vaill. Arigoni.) Quid notet vocabulum AΠACΩN, vide infra in *primatus*. In aliis, Elagabali quoque, ЄΦΘЄCIΩN. TЄTPAKIC. vel Δ. NЄΩKOPΩN. Hic numerus additic observatur in numis Alexandri. At sub Maximino redit numerus Γ. In numis Valeriani et Gallieni jam Γ. jam Δ. NЄΩKOPΩN.

Alius exstat numus insignis:

Capita laureata Caracallae et Getae, infra quae NЄOI, HΛIOI. Σ ЄΦЄCIΩN. TPIC. NЄΩKOPΩN. KAI. THC. APTЄMIΔOC. *Diana Ephesia inter Dioscuros equites imminente singulis astro.* AE. m. m.

Numum proposuit Morellius addito iconismo r), et Vaillantius s). In utriusque indicio est aliquid, quod reprehendatur. Morellius in antica legit: NЄOIH-ΔIOI, ejusque adeo adornavit explicationem inconcinnam sane. Melius Vaillantius: NЄOI. HΛIOI *Novi soles*, nempe Caracalla et Geta exorientes. Vaillantius in lectione aversae non sibi constat; nam loco, quem citavi, legit ΔIC. NЄΩKOPON., at infra pag. 218. TPIC. NЄΩKOPΩN. quae posterior lectio vera videtur Morellii quoque calculo approbata. Exhibet praeterea insignis hic numus Ephesios Dianae suae neocoros, quod jam ex sacris quoque literis constabat. Nam legimus in actis Apostolorum t): Τις γαρ ἐστι ἀνθρωπος, ὁς ὐ γινωσκει την Εφεσιων πολιν νεωκορον ὐσαν της μεγαλης θεας Αρτεμιδος και τυ Διοπετους; *quis enim est homo, qui ignoret Ephesiorum urbem neocoram magnae deae Dianae et signi de coelo delapsi?* Eorum in hanc deam observantia pervetusta. Nam teste Herodoto u) a Croeso obsessi urbem Dianae dedicaverunt fune ex ejus aede ad murum adligato. Praeeunte hoc numo passim inculcat Vaillantius cum in numis Graecis x), tum in sua de Neocoris dissertatione y), Ephesios, quotiescunque numis suis inscribunt TЄTPAKIC. NЄΩKOPΩN., semper intelligere tres neocoratus Augustorum addito quarto Dianae suae. Negat istud Cuperus z). Sin istud, inquit, non video, quomodo sese Ephesii in aliis numis dicere potuerint MONOTC. AΠACΩN. TЄTPAKIC. NЄΩKOPOTC. Nam haec loquendi ratio excellentiam prae aliis urbibus designat; at sic Smyrnaei

q) De Cistoph. p. 82. r) Spec. tab. II. s) Num. Graec. p. 106. t) Cap. XIX. c. 35. u) L. I. c. 26. x) Pag. 218. y) B. L. T. II. p. 507. z) Lettr. de Crit. p. 491.

Digitized by Google

quoque, Sardiani, et Pergameni se potuissent profiteri τετρακις νεωκορους, si tribus suis neocoratibus adjecissent quartum domestici sui numinis. Quod quidem Cuperi argumentum non parum videtur validum.

Primatus.

Hic primum proditur in numo M. Agrippae et Iuliae: ΕΦΕΣΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑΣΙΑΣ, quem initio ex Sestinio citavimus, sed propter hanc ipsam etiam primatus mentionem suspectum, quem ante M. Aurelium fuisse monetae Ephesiae insertum, hactenus non constat, in quo legitur: ΕΦΕCΙΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟ. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. In numis Maximini et successorum saepe scribitur: ΕΦΕCΙΩΝ. Α. ACIAC. (Vaill.) in quibus το Α pro ΠΡΩΤΩΝ. ponitur. Vanitatis indicium est in numo Macrini epigraphe: ΕΦΕCΙΩΝ. ΜΟΝΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ACIAC. (Vaill.) at multo arrogantior in numo eximio Elagabali apud Pellerinium a): ΕΦΕCΙΩΝ. Δ. ΝΕΩΚΟΡ. Η. ΠΡΩΤΗ. ΠΑCΩΝ. ΚΑΙ. ΜΕΓΙCτη. *Quatuor templa cum suo quodque idolo.* Apparet ex hac epigraphe, sub gignendi casu, quo plerumque populorum nomina exprimuntur, intelligendum esse πολις; praeterea ut in hoc numo sub ΠΑCΩΝ intelligitur πολεων, ita etiam in numo, quem supra sub *Neocoratus* prodidi, sub ΑΠΑCΩΝ intelligi quoque debere πολεων. Josepho Ephesus adhuc ante Augustorum tempora dicitur πρωτευουσα της Ασιας.

Magnitudo:

Maximam se vocat Ephesus in numo Elagabali mox citato: ΜΕΓΙC.

Commune:

I. Inter se ipsos. ΚΟΙΝΟΝ. ΕΦΕCΙΩΝ. *Diana venatrix*, Hadriani. (Vaill.)

II. omnium Ionum: ΕΦΕCΙΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ. ΠΑΝΙΩΝΙΟΝ. *Templum*, Otaciliae. (Vaill.) De hoc actum in prolegomenis ad numos Ioniae.

III. totius Asiae: ΕΦΕCΙΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ. ACIAC. *Diana Ephesia inter Victoriam et mulierem turritam*, Ant. Pii. (Vaill.)

IV. cum Alexandria Aegypti, cum qua junxisse quoque concordiam mox videbimus: ΚΟΙΝΟΝ. ΕΦΕCΙΩΝ. ΚΑΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. *Mensa cum urna*, Caracallae. (Vaill.)

Ludi:

ΕΦΕCΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚΑ. Elagabali. (Vaill.)

ΕΦΕCΙΑ. *inscriptum urnae*, Gallieni. (Vaill.)

De ludis his Ephesiis agemus in commentatione de ludis.

Asylum:

De hoc vide, quae diximus altius in *Sacerdos.*

Nomen ab imperatore:

ΠΕΙΩΝ. ΕΦΕCΙΩΝ. in numo Ant. Pii, a quo adoptasse nomen videtur. Vide dicta sub *Numina.*

Concordia:

Hanc initam cum plerisque illustrioribus provinciae Asiae urbibus, quas re-

a) Suppl. II p. 78.

Digitized by Google

censere inutile, testantur numi. Extra Asiam concordiam junxit cum Perintho Thraciae teste numo Gordiani, (Vaill.) et Alexandria Aegypti, teste numo Ant. Pii, in quo *Serapis et Isis stantes juxta Dianam Ephesiam.* (Vaill.)

Mentio situs:

A fluviis. I. *Caystro*, qui Ephesum adluebat. Ejus mentionem jam vidimus in autonomo. Recurrit etiam in numis Commodi et Valeriani typo viri decumbentis more solito, quin et conjungitur cum altero fluvio II. *Cenchrio* in numis Ant. Pii, et Severi: KATCTPOC. KЄNXPIOC. *Diana Ephesia inter duos fluvios humi jacentes.* (Vaill. Morelli Specim. tab. X.) Cenchrius prope Ephesum fluens per religionem sacer fuit. Pervasit lucum Ortygiam, ubi Latona geminos enixa ferebatur [b]). Eo se a partu Latonam abluisse narrat Strabo [c]). III. *Marnas:* ЄΦЄCIΩN. MAPNAC. *Fluvius decumbens*, Domitiani, (Vaill. Theup. Wise p. 208.) Antonini Pii. (Mus. Albani.) Marnas a nemine veterum, quod constet, memoratur, quin et Vaillantius, qui tamen numum ipse vulgavit, eo loco, quo de fluminibus in numis ex proposito agit, ejus mentionem negligit. Harduinus Iovem *Marnam* a Gazensibus cultum indicari putat. At verius nomine MAPNAC intelligendum fontem urbi vicinum, ignobilem quidem, sed Ephesiis sacrum, comprobat typus numi ex museo Albano citati, qui exhibet fluvium barbatum humi sedentem, qui haud dubius Caystet, at in area figura puellaris sedens, et d. urnam tenens, ex qua aqua profluit, adscripto MAPNAC, non dubio adeo fontis nomine, quod fontes plerumque puellari forma fuerunt propositi, quippe quibus Najades praefuere. Sic et alium certum fontem habuere Ephesii, qui *Hypelaeus* dicebatur, obscurum eum quidem, sed tamen oppidanis sacrum ex causa, quam prodidit Athenaeus [d]). Vide de similibus ignotis fontibus mox plura in numis Phocaeae.

AR. dubii, ut dictum initio imperatorîorum. *AE. C.*

ERYTHRAE.

In peninsula e regione Chii.

Autonomi:

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum ΣEPT. *addito magistratu:* ΑΠΕΛΛΑΣ. *vel* ΔΙΟΠΕΙΘΗΣ, *etc. Clava, arcus pharetrae junctus, noctua.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Harduinus cum noctuam partis aversae perdicem crederet, legeretque in Plinio, perdices non transvolare Boeotiae fines in Atticam, hos numos Erythris Boeotiae tribuit, cumque praeterea certum sibi videretur, caput anticae esse Alexandri M., suspicatus est, ab hoc rege excisis Thebis officinam monetariam Thebis fuisse Erythras translatam. Spanhemius et Liebeus eos Erycî Siciliae tribuerunt, quod dictam avim columbam credidere, et constaret ex Athe-

b) Tacit. Ann. L. III. c. 61. c) L. XIV. p. m. 948. d) L. VIII. p. 361.

Digitized by Google

naeo et Aeliano, festo quodam tempore non comparere columbas circa templum Veneris Erycinae, etsi alias ibi frequentes. At enim eam avim neque perdicem esse, neque columbam, satis typi ipsi arguunt, in quibus, ut jam observavit Pellerinius, et inspecti similes musei Caesarei numi arguunt, indubitata comparet noctua, et sic corruunt omnia, quaecunque de perdice et columba acutius quam verius a viris eruditis sunt tradita. Verum Erythras Ioniae invitat Herculis in hac urbe praecipuus cultus, cujus simulacrum e Phoenice advectum princeps ejus urbis fuit numen, ut narrat Pausanias e), quod et comprobant numi concordiae, quos mox citabimus, et imperatorii, qui certe sunt Erythrarum Ioniae, et in quibus fere constans typus est Hercules.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ℞ ΕΡΤ. *addito magistratu* ΜΗΤΡΟΔΩΡ. *vel:* ΣΙΜΟΣ. ΠΡΩΤΟΓΕΝΟΥ. *etc. Clava, arcus pharetrae junctus.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput simile. ℞ ΕΡΤ. ΓΝΩΤΟΣ. ΕΚΑΤΩΝΤΜΟΥ, vel: ΠΟΛΥΚΡΙΤΟΣ. ΠΟΛΥΚΡΙΤΟΥ. *sine typo.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput simile, sed barbatum. ℞ ΕΠΙ. ΚΟΡΘΕΩΣΙΩΝΟΣ. ΕΡΤ. *Apis.* AE. III. (Pellerin.)

Descriptos hic aeneos ad easdem Erythras pertinere, facile arguunt numi praecedentes argentei. Magistratibus plerumque additur patris nomen, in simili musei Musellii etiam avi: ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΣ. ΗΡΑΚΛΕΟΥ. ΤΟΥ. ΕΠΙΚΟΥΡΟΥ.

* * *

ΕΡΤΘΡΑ. *vel* ΕΡΤΘΡΑΙ. *Caput muliebre turritum.* ℞ ΕΡΤΘΡΑΙΩΝ. *variis typis.* AE. (Arigoni, Theup.)

Analogia a numis aliarum Ioniae et Aeolidis urbium petita suadet, capite anticae exhiberi Amazonem, a qua crediderint Erythraei suam conditam urbem.

* * *

ΕΡΤΘΡΑΙΩΝ. *Protome muliebris velata d. spicas, s. cornucopiae.* ℞ ΕΠ. ΓΥ. ΑΙΛ. ΠΑ. ΔΙΟΓΕΝΙΑΝΟΥ. ΤΟ. Β. *Hercules stans d. clavam alte attollit, s. porrecta leonis exuvias.* AE. I. (Pellerin.)

Videtur Pellerinio caput anticae esse Tranquillinae, Cereris specie propositae. Verum monebimus in numis autonomis Smyrnae (nam in his quoque simillimae habentur protomae) signum istud ad unam Cererem referendum, nullo ad Augustam quampiam respectu. Eundem numum memorat etiam museum Theupoli, sed epigraphe sus deque versa.

* * *

ΔΗΜΟΣ. ΧΙΩΝ. *Caput muliebre.* ℞ ΟΜΟΝΟΙΑ. ΧΙΩΝ. ΕΡΤΘΡΑΙΩΝ. *Typus Herculis, ut in praecedente.* AE. II. (Hunter. in Chio.)

Ex hoc numo corrigendus alter similis argumenti, qui est apud Theupoli pag. 1262. ΕΡΤΘΡΑΙΩΝ. *Sphinx pede*

e) L. VII. c. 5.

Digitized by Google

dextero vasi imposito. Ϟ OMONOI. AXЄΩN. ЄPTΘPAIΩN. typo *Herculis*, ut in prioribus, qua ex lectione auctor perperam concordiam Achaeorum et Erythraeorum conficit, cum tamen epigraphe aversae legenda sit, ut in citato Hunteriano.

AR. et AE. vix R.

Imperatorii ab Augusto usque ad Valerianum.

Augusti numum exhibet unus Pellerinius, in cujus aversa: EPT. EKATΩNTMOΣ. AIΣXPIΩNOΣ. sine typo, cujus similes vidimus autonomos.

Ab Augusto usque ad Trajanum amplus hiatus. Deinceps epigraphe ЄPTΘPAIΩN. Typus fere constans, *Hercules d. clavam jactans, s. leonis exuvias praetendens.*

Magistratus praetor.

Concordiam cum Chio vidimus in autonomis.

AE. RR.

HERACLEA.

Maritima prope Miletum ad Latmum montem, a quo etiam cognomen abstulit. Numi varii huic urbi tribuuntur, et forte huc pertinent, quos infra in Heraclea Cariae recensebo.

LEBEDVS.

In Isthmo peninsulae, urbs inclyta, sed eversa fuit a Lysimacho incolis Ephesum traductis, quo ex casu vix amplius surrexit, sic ut Horatii aevo *Gabiis desertior* fuerit [f], cui utique ejus numorum raritas tribuenda. Memorantur tamen

Autonomi bini illustres, iique IV. drachmarum.

Caput Palladis. Ϟ ΛЄBЄΔIΩN. ΠHNΩN. *Noctua stans intra duplex cornucopiae, oram ambit corona.* AR. I. (Pembrock, Pellerin.)

AR. RRRR.

Imperatorii item perpauci. Bini Caracallae: ΛЄBЄΔIΩN. typo *Palladis*, in altero *noctuae.* (Vaill.) Addidi alium ex Mediceo, typo *Fortunae* [g]. In alio Getae *Bacchus stans.* (Vaill.) Bacchi honori habitos Lebedi conventus testatur Strabo.

AE. RRR.

MAGNESIA.

Dicta ad Maeandrum, etsi amnis Lethaeus esset propior, ut asserit Strabo. Plinio a Thessalica Magnesia orta dicitur, et fuit una ex tribus urbibus, quas Artaxerxes Themistocli dono dedit. Apud Athenaeum Delphorum colonia dicitur [h], sed ut Strabo ait, Delphorum Thessaliae [i], quamquam idem paullo supra hanc Magnesiam dixerit urbem Aeolicam, ac rursum alibi [k] coloniam Magnetum Thessalicorum et Cretensium. Nimirum Aeoles quoque Thessaliam incoluerunt. Etiam scholiasta Apollonii eam Cretensium coloniam facit [l].

Autonomi certi, neque infrequentes exstant; at cautione opus, cum tres fue-

f) L. I. epist. XI. g) Num. vet. p. 204. h) L. IV. p. m. 173. i) L. XIV. p. m. 958. k) L. XIV. p. 943. l) Ad L. I. v. 584.

Digitized by Google

rint Magnesiae, Thessaliae una, altera haec nostra, tertia Lydiae, numismaticae omnes, ne temere permutentur numi, qui singulis debentur. Magnesia Lydiae difficultatem non parit, cum haec mentionem Sipyli montis, cui imposita fuit, vix omittat. Difficilius discrimen inter Magnesiam nostram, et alteram Thessaliae, cujus cum prior illa filia fuerit, poterat utraque iisdem typis uti. Sequens catalogus dabit numos, qui ex certis causis, quas proferemus, ad Magnesiam praesentem certe pertinent.

Caput Dianae. Ϟ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΕΡΑΣΙΠΠΟΣ. ΑΡΙΣΤΕΟΤ. *in alio:* ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΟΤ. *Apollo nudus d. ramum, s. tripodi innixus Maeandri flexibus insistit, omnia intra lauream.* AR. I. (Goltz. Hunter.)

Eques armatus citato cursu. Ϟ ΜΑΓΝ. ΔΙΟΠΕΙΘΗΣ. *Bos cornupeta, omnia intra coronam ex Maeandri flexibus compositam.* AR. III. (Beger Thes. Br. T. I. p. 499.)

Eques similis. Ϟ ΜΑΓΝ. ΜΑΙΑΝΔΡ. *Bos cornupeta.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Palladis. Ϟ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΛΕΤΚΟΦΡ - - - *Eques armatus citato cursu.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΑΤΛΑΙΤΗΣ. *Apollo stolatus stans s. lyram.* Ϟ ΑΔΤΡΟΦΡΤΝΗ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Diana πολυμάζος stans cum adminiculis, volitante circa caput utrinque Victoria.* AE. II. (Hunter.)

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Caput Solis radiatum.* Ϟ ΕΤΚΛΗ. ΑΙΣΧΡΙΩΝΟΣ. *Iuno Pronuba stans.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. Ϟ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΕΤΚΛΗ. ΚΡΑΤΙΝΟ - *Eques armatus citato cursu.* AE. II. (Pellerin.)

Certa singuli hi numi habent criteria, quae nostrae eos Magnesiae vindicant. In numis I. et II. expressos habes flexus linearum inter se recurrentium, quibus, tanquam signo pro re, Maeander indicatur, nota ejus fluminis natura tortuosis ambagibus per terras oberrantis, de quo vide, quae notabimus in commentatione de fluminibus in numis. Similes flexus sistunt etiam numi Apolloniae Cariae, et Apameae Phrygiae, quae utraque Maeandro adsita fuit. Nostram vero Magnesiam prope Maeandrum stetisse, et ab hoc cognomen traxisse, jam diximus supra, et dicemus mox iterum. Horum natura flexuum cum ignota esset Goltzio et Begero, suos, quos citavi, numos tribuerunt Magnesiae Thessaliae. Quod in his numis Maeandri imagine peragitur, numus III. inscripto ipso Maeandri nomine praestat. Numus IV. inscriptam Dianam Leucophrynen offert hoc cognomine in hac Magnesia praecipuo cultu evectam, ut dicetur in imperatoriis. Numus V. veram hujus Dianae imaginem sistit, qualis saepe etiam in imperatorum numis occurrit. In numo VI. est Iuno Pronuba a vicina Samo facile huc vocata. Praeterea in hoc, ut et in numo VII. notatur magistratus addita patris mentione, cujus exemplum jam vidimus in numo I., et frequenter in numis urbium Ioniae occurrit. Haec explicatius proponere placuit, ut in disponendis triplicis Magnesiae numis minus laboremus. Qui enim similes, quales descripsimus, offerunt typos, vel modos, tuto huic, in qua sumus, Magnesiae munerabimur.

Digitized by Google

Ad nonnullos aliqua singillatim sunt observanda. Numi I. loco descripti sunt insignia tetradrachma et valde rari, si modo genuini, nam arte moderna restitutos multos vidi argenteos aeneosque. Eorum vero argumentum erudite explicavit Liebeus [m]). Numus III. mentionem Maeandri addit, et sic passim haec urbs ab altera Magnesia ad Sipylum distinguitur. Sic in foedere inter hos Magnetas et Smyrnaeos: ἐν Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ [n]). Numus V. utraque sui parte aliquid offert, quod negotium facessit. Vocabulum ΑΤΛΑΙΤΗΣ esse nomen magistratus, etsi insolens, dubium non videtur. Apollinis cognomen esse nequit; nam etsi quis opinari vellet, scriptum esse ΑΤΛΑΙΤΗΣ pro ΑΤΛΗΤΗΣ, quoniam vocabulum istud *tibicinem* notat, Latonae filio competere nequit, qui tibicen nunquam, citharoedus semper fuit, et citharoedus in hoc ipso numo proponitur. Forte *Aulaetes* magistratus propter nominis cum *Aulete* adfinitatem deum aliquem musicum sibi in typum legit, eumque Apollinem Colophonium. Partis aversae ΑΔΤΡΟΦΡΤΝΗ mysterium ingens, dignumque hierophanta, nisi quod suspicor, pro eo vocabulo legendum potius ΛΕΤΚΟΦΡΤΝΗ, praecipue cum adstitutus typus certam sistat Dianam Leucophrynen, de qua mox in imperatoriis. Lectio cl. Sestinii, qui το ΑΔΤΡΟΦΡΤΝΗ in ΛΕΤΚΟΦΡΟCΤΝΗ corrigit, admittenda non est.

* * *

CЄΡΑΠΙC. *Caput Serapidis.* Ɪ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Isis stans d. sistrum, s. situlam.* AE. II. (Hunter.)

Vtriusque partis typus admissam Aegypti superstitionem testatur, non raro in hoc tractu exemplo.

AV. Golts. AR. RRR. AE. R.

Imperatorii exstant ab Augusto usque ad Gallienum. Ex Augusteo aevo memorandus hoc loco numus sane aenigmaticus:

ΓΑΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput nudum Caii Agrippae F.* Ɪ ЄΠΙ. CΙΛΟΤΑΝΟΤ. Κ. ΙΟΤCΤΙΝΟΤ. CΙΦΑΝΙΩΝ. *in area monogr.* ΜΑΓ. *Aquila stans.* (Pellerin Rec. III. p. 233.)

Pellerinio dictum monogramma causam suffecit, cur numum hunc huic Magnesiae tribuendum putaret. In vocabulo CΙΦΑΝΙΩΝ. adhaeret, ac jure quidem. Nam A et N conjunctum, qui literarum nexus etiam in AN vocabuli CΙΛΟΤΑΝΟΤ observatur, vetant, quo minus legi possit CΙΦΝΙΩΝ, et haberi Siphni insulae numus, a qua typus aquilae alienus non esset. Praestat indiciis non satis certis differre judicium.

Epigraphe constans: ΜΑΓΝΗΤΩΝ, nulla situs mentione, cum tamen altera Lydiae Sipylum suum sedulo jactet. Verum illustrior haec nostra solo urbis nomine contenta fuit.

ΛЄΤΚΟΦΡΤC. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Diana πολυμαζος stans cum adminiculis, utrinque Victoriae circa caput volitantes, pro pedibus columbae, ut ait Vaillantius,* (Num. Graec. p. 35.) *sed ut idem alibi,* (ibid. p. 152.)

---

m) Goth. num. p. 183. n) Marm. Oxon. II. v. 84.

Digitized by Google

aquilae, in numo Hadriani. (Vaill. Morelli Spec. tab. XVI.)

Numus hic Dianam sistit, quae Λευκοφρυνης nomine testibus Strabone, Pausania, aliisque in hac Magnesia insignes honores nacta est. Ejus templi magnificentiam eodem loco depraedicat Strabo, magnitudine solo per Asiam Ephesio, et illo, quod in Didymis est, inferioris o). Ipsa deae forma vix ab Ephesia differt, nisi quod hujus nostrae caput constanter duae Victoriae stipant. Sed quae alia ad Dianam hanc Leucophrynen, tum et generatim ad Magnesiae historiam spectant, ex veteribus copiose et praeclare collecta reperies apud Buonarrotium p).

* * *

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΗC. ΑΡΤΕΜΙΔΟC. *Diana Leucophryne, ut suprà, vel Apollo stans*, Mamaeae, Gordiani. (Vaill.)

In his numis Magnetes se Dianae suae neocoros profitentur.

* * *

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΕΒΔΟΜΗ. ΤΗC. ΑCIAC. *Bacchus nudus manibus elatis insidens cistae mysticae, cui serpens implicatur, omnia intra coronam hederaceam*, in alio: *Aquila expansis alis intra coronam*, in numis Gordiani. (Mus. Caes. Vaill.)

Magnesia se in hoc numo *septimam Asiae* jactat, nempe quae proconsularis fuit, atque etsi adeo hoc pacto longe abesset a claritate illarum, quae se πρωτας της Ασιας dixere, tamen satis sibi videbatur nobilitata, si inter tot illustres aliae Asiae urbes septimum videatur sibi locum posse vindicare, neque istud injuria, cum in sola hac Asia quingentas fuisse civitates apud Josephum memoret rex Agrippa q), consentiente etiam Philostrato r). Quo in tanto numero nequaquam exiguae laudis est, septimam se haberi, quo modo satis etiam clara habita Lesbus, quod inter majores insulas septimum ipsa locum obtinuit s), aut sicut vinum Trifolinum, etsi non optimum, tamen se jactavit apud Martialem: (L. XIII. ep. 114.)

Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyaeo,
Inter vina tamen septima vitis ero.

Plura alia sunt exempla excellentiae urbium numeris definitae. Apud Suidam dixit oraculum de Aegiensibus Achaiae t).

Τμεις δ' Αιγιεες ὑτε τριτοι, ὑτε τεταρτοι,
Ουτε δυωδεκατοι, ὑτ' ἐν λογῳ, ὑτ' ἐν ἀριθμῳ.

Vos vero Aegienses neque tertii estis, neque quarti,
Neque duodecimi, neque in ullo pretio, aut numero.

Quamquam sunt, qui malignum hoc oraculum Megarensibus datum velint. Vide Erasmi adagia u). Sed quaeri potest, utrum Magnesia vel septimum hunc locum sine interpellatione obtinuerit, nam verisimile plane videtur, hanc stationem

o) L. XIV. p. m. 958. p) Osserv. ist. p. 87. q) Bell. Iud. L. II. c. 16. §. 4. r) In vita Herod. Attic. s) Eustath. ad. Dionys. Perieg. v. 568. t) in Τμεις, ὠ Μεγαρεις. u) Chil. II. cent. 1. §. 79.

Digitized by Google

non auctoritate publica, sed ambitione privata adsignatam. Quas sex urbes proxime secuta sit, quas alias post se reliquerit, cujusvis arbitrio libenter permitto.

* * *

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΚΟΛΠΟΙ. *Tres Nymphae humi decumbentes, etc.* in numo Maximi Caes. AE. m. m. (Theupoli.)

Reliqua typi descriptio valde confusa. Quare cum ob hanc causam, tum ob insolitam epigraphen novo numus hic examini meretur subjici.

* * *

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΡΓΩ. *Navis Argo cum remigantibus*, Maximi, Gordiani, Gallieni. (Vaill.)

Celebris haec cymba apud Magnesiam Thessaliae fabricata fuit. Quare Harduinus hos numos Thessalicae huic urbi tribuit, at verius ad nostram hanc referendos, quae illius fuit colonia, monui in numis Magnesiae Thessaliae.

* * *

ΕΠΙ. Γ. ΔΗΜΟΝΕΙΚΟΥ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Vir succinctus gradiens arborem s. super humero gestat*, Gordiani. (Mus. Christin. tab. 34.)

Videtur singularis hic typus respicere sacra Magnae Matris, in quibus gestata pinus aequinoctii verni initio succisa, de quo ritu vide Julianum Aug. x), Firmicum Maternum y), et Arnobium z). Huc spectat, quod in vetere Kalendario apud Lambecium ad XI. Kal. Mart. notatur: *Arbor intrat.* Non absimilem typum videre est in numo Metaponti, quem edidi in mea Sylloge I. p. 5.

* * *

ΕΠΙ. Γ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Quatuor viri succincti ferculum gestant, super quo vir sedens d. elata malleum intentat in massam, quam sinistra tenet*, Gordiani. (Ibid.)

Vulcanus sit, an Cabirus, difficile est decidere. Ceterum commemorandus hic numus visus propterea, quod non facile videas in veterum monumentis numinis simulacrum thensis vehi solitum in ferculo ab hominibus gestari.

* * *

Typi reliqui: *Ceres, vel Triptolemus draconum bigis vecti.* Apollo etiam frequens. In numo Caracallae apud Pellerinium (Suppl. II. p. 78.) *sedet, d. plectrum, s. lyrae innixus, pro pedibus Sphinx.* Insolens est, animal istud Apollini adstitutum. Quare, cum in numo Commodi spectata aversa simillimo pro pedibus sit gryphus a), suspicor, in priore pro Sphinge gryphum reponendum. De Apolline Gryneo, et alio ΕΜΠΑΝΔΟΙΣ, id est: *in Pandis* a Magnetibus culto, ejusque ibi templo vide marmor Oxoniense II. vers. 61. et 85. ubi et alia ejus urbis numina juramento adhibita recensentur.

Magistratus. In numo Antonini simpliciter: ΕΠΙ. ΔΙΟCΚΟΤΡΙΔΟΥ.

---

x) Orat. V. y) De err. prof. rel. p. m. 457. z) L. V. a) Le Blond. pag. 37.

Digitized by Google

Scriba inde ab Aurelio usque ad Gallienum constanter memoratur. Notatur etiam saepe solo Γ, ut vidimus. Dictante Vaillantio in numo Elagabali bini memorantur scribae: ЄΠΙ. ΓΡ. ΦΛΑΚΚΟΤ. ΚΑΙ. ΠΑΤΛЄΙΝΟΤ.

Neocoros, sed suae tantum Dianae fuisse Magnetes, testantur numi supra allati. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΤΗС. ΑΡΤЄΜΙΔΟС. Alterius generis neocoratus in ejus numis non exstat. In numo Otaciliae apud Vaillantium est: ЄΠΙ. ΓΡ. ΤΤΧΙΚΟΤ. Β. ΝЄ. nimirum: *Scriba Tychicus bis aedituus.*

Metropolis. ЄΠΙ. ΔΙССΚΟΤΡΙΔΟΤ. ΓΡΑΤΟΤ. ΜΗΤΡ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. in numis Ant. Pii, quos edidit Spanhemius [b]), et museum Albani. Vtrum literae ΜΗΤΡ. in his indicent *metropolim*, jam dubitavit Spanhemius. Certe in nullo alio numo hunc honorem jactat Magnesia. Quin in numo Gordiani, ut vidimus, dicitur *septima Asiae.*

Mentio situs a Maeandro, ut vidimus in autonomis. In numo Veri apud Buonarrotium [c]), stat Diana Leucophryne inter duos fluvios humi jacentes, nempe Maeandrum et Lethaeum, Magnetum, ut initio diximus, fluvios.

AE. vix R.

METROPOLIS.

Geographi veteres binas in hoc tractu Metropoles recensent, Lydiae unam, alteram Phrygiae, aperte nullam in Ionia quam tamen praedicant numi. Tamen satis ex iisdem auctoribus colligitur, illam, quam Lydiae adserunt, referri aeque in Ioniam posse. Sic Ptolemaeus eandem, quam in Lydia statuit, dicit sitam prope Caystrum inter Prienen et Colophonem. Plinius hos Metropolitas conventui Ephesi subjicit, quae fuit Ioniae. Strabo, quo loco narrat, Samum vino non excellere, addit, quanquam positae juxta insulae, et vicina continens generosum fundant, ut Chius, Lesbus, Cos; quin et praestantia vina esse Ephesium et *Metropolitanum.*

Autonomi:

СΟΛΩΝΟС. *Caput virile nudum imberbe.* Ꝕ ΚΟΙΝΟΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ЄΝ. ΙΩΝΙΑ. *Juppiter seminudus stans, ex adverso Diana Ephesia inter duos cervos.* (Spon. Miscell. p. 140. Bell. Lettr. Hist. T. III. p. 268.)

Non absimilem citat Holstenius ex Franc. Angelonio [d]), sed addit; fictitium videri peritioribus antiquariis vocabulum СΟΛΩΝΟС., vel male sic lectum pro imperatoris alicujus nomine. Addo, facile fuisse, το ΓΑΛΛΩΝΙΝΑ in СΟΛΩΝΟС convertere, et ipsum caput per artem mutare, cujus similem cetera numum infra sub *Commodi* citabo.

* * *

Caput Palladis. Ꝕ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Fulmen.* ΑΕ. III. (Pellerin. Rec. II. p. 42.)

Hunc numum Pellerinius in numis Metropolis Phrygiae recenset. Verum cum plures fuerint Metropoles etiam extra

b) T. I. p. 627. c) Osserv. ist. Tab. VI. d) Not. ad Steph. p. 206.

Digitized by Google

Asiam, vix decidi potest, ad quam is sit referendus.

De certo ergo hujus Metropolis autonomo non constat.

* * *

Imperatorii illi certo huc spectant, qui non pauci numero inscribuntur: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΙΩΝΙΑ. suntque a Trajano usque ad Gallienum.

Typi frequentiores:

Cybele capite turrito sedens inter duos leones. Ex repetito hoc typo verisimile videtur, nomen urbi inditum a cultu τῆς Μητρος, nempe Cybeles, quod saltem de Metropoli Phrygiae diserte tradit Stephanus.

Mulier capite turrito stans ad aram d. Martis signum.

Imperator paludatus stans dexteram porrigit mulieri turritae.

Figura militaris, vel Mars ipse stans d. hastam; s. clypeum.

Adcuratior fui in describendis his typis, quoniam video eosdem typos passim etiam occurrere in numis inscriptis tantum ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, quos tamen antiquarii passim Metropoli Phrygiae adscribunt. Mirum autem, nisi ejusdem sunt urbis, tam proxime typos conspirare. Quare verisimilius videri possit, numos etiam sic inscriptos, cum typos offerunt, qui in certis Metropolis Ioniae numis exstant, huic esse tribuendos. Quod in his omittatur ΕΝ. ΙΩΝΙΑ., non officit, nam et Heraclea Ponti non semper addit ΕΝ. ΠΟΝΤΩ. etc.

Magistratus in numis Ioniae mentionem addentibus non produntur, reperitur tamen *praetor* frequenter in numis inscriptis tantum ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ cum typis Metropoli Ioniae propriis; quare et ex his complures huc pertinere censeo.

Commune: ΚΟΙΝΟΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΙΩΝΙΑ. *Juppiter et Diana Ephesia*, Saloninae. (Harduin.) *AE. R.*

MILETVS.

Maritima et Cariae contermina, urbs insignis famae, Thaletis patria, sed multo celebrior copiosis per Propontidem et Pontum ductis coloniis, quibus ex causis sese in marmore apud Chandlerum jactat *primam in Ionia fundatam, et matrem multarum et magnarum urbium in Ponto et Aegypto, et undique per orbem* e), profitente etiam Seneca: *Miletus LXXV. urbium populum in diversa effudit* f). Ipsa colonia Atheniensium conditore Neleo g).

Autonomi:

Caput Apollinis laureatum. Ϡ ΜΙ. *(in monogr.) Leo astrum respiciens; in imo:* ΕΠΙΚΟΤΡΟΣ. *vel* ΜΝΗΣΙΘΕΟΣ. *etc.* AR. I. (Pellerin.) AR. II. III. (Mus. Caes.

Caput juvenile. adversum. Ϡ *Sine urbis epigraphe. Leo astrum respiciens, in imo:* Τ. ΔΑΜΑΣ. AE. II. (Pellerin.)

Apollo nudus stans d. cervulum s. arcum. Ϡ ΜΙΛΗCΙ. *Leo jacens, et astrum respiciens.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Antiquarii priores non observato monogrammate ΜΙ., quod Mileti literas

e) Inscript. ant. p. 17. f) Consol. ad Helv. c. 6. g) Conon apud Phot. Cod. 186. Diog. Laert. in Thalete n. XVI.

Digitized by Google

ἀρχαιωσας connectit, nonnunquam inscriptum magistratum in urbis nomen verterunt. Sic in ΚΟΛΧΩΝ. Goltzius Colchos, Harduinus Golgos Cypri viderunt. Sunt etiam aenei, in quibus dictum monogramma abest, sed quos ex leone astrum respiciente certum est Miletum pertinere, idque confirmatur numo ex citatis altero cum magistratu Τ. ΔΑΜΑΣ., qui legitur etiam in numo Neronis inscripto: ΕΠΙ. ΤΙ. ΔΑΜΑ. ΜΙΛΗΣΙΩΝ. (Pellerin.) Typus leonis astrum respectantis astrologicus haud dubie est, ut arietis in numis Antiochiae Syriae, aliorumque Zodiaci signorum in aliarum urbium numis, de quibus vide, quae monebimus in numis ejusdem Antiochiae.

De Apolline cervulum tenente agetur mox in imperatoriis.

Caput Apollinis. Ϟ ΜΙΛΗΤΟΣ. *Prora navis.* ΑΡ. III.

De numo hoc, quem verisimiliter Cius Bithyniae Mileti colonia signavit, vide numos hujus urbis.

Memorandi adhuc varii lapsus antiquariorum.

In numo aeneo musei Caesarei, qui similis est numo ex citatis secundo, scriptum inferne legitur — ΩΠΤΙΩΝ. Legit Froelichius ΟΡΙΚΙΩΝ, eumque Orico Epiri tribuit [h]), cum sit certus Milesius inscripto solo magistratus nomine.

Male huc Arigonius vocavit autonomum typo pharetrae, et inscripto, ut putabat, ΜΙΛΕΣΕΙΩΝ, cum legendum sit ΑΜΑΣΕΙΑΣ, et numus sit Amasiae Ponti.

Alium inter Mileti numos vulgavit Pellerinius, in cujus aversa est M. intra coronam. Hunc numum potius sic vertendum, ut sit Σ, non M, et verisimilius esse insulae Siphni, jam supra in numis Maleae Laconiae, et Siphni monui.

AR. R. AE. RR.

Regii.

Numos cum capite *Antiochi I.* et *II.* Syriae regum Mileti signatos vide in numis horum regum.

* * *

Imperatorii copiosi ab Augusto usque ad Gallienum. Etiam Drusillae ut deae, et Balbino a Milesiis dedicati numi. At prae omnibus insignis numus max. mod. apud Pellerinium: (Rec. III. p. 237.) ΑΤΤ. Κ. Μ. ΚΛ. ΠΟΤΠΙΗΝΟC. Κ. ΑΝ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. Κ. ΑΤΤ. Κ. ΚΑΙ. ΒΑΛΒΕΙΝΟC. *Caput Pupieni laureatum imberbe, medio Gordiani Pii capite nudo.*

Epigraphe in his Mileti numis: Μ. ΜΙΛΗΣΙΩΝ. ΜΕΙΛΗCΙΩΝ. ΔΙΔΥΜΕΥC. ΜΙΛΗCΙΩΝ. *Apollo nudus stans d. cervum, s. arcum*, in numis Caligulae et Claudii.

Idem Apollo etiam in sequentium imperatorum numis comparet, sed absque addito ΔΙΔΥΜΕΥC. In numo Balbini caput habet radiatum, et pro pedibus est arula, et in numo maximi moduli, quem mox ex Pellerinio citavi, tota haec figura una cum arula est in templo tetrastylo, extra templum utrinque adstat vir

h) Notit. elem. p. 105.

Digitized by Google

nudus pallio solum ab humeris retro volitante tectus, qui facem extimae columnae admovet. De hoc Strabo [i]) post Posideum Milesiorum ἐστι το μαντειον τυ Διδυμεως Απολλωνος το ἐν Βραγχιδαις, *est oraculum Didymei Apollinis in Branchidis;* addit, exustum esse a Xerxe, ei tum regi Branchidas thesauros dei tradidisse, et ne sacrilegii poenas dare cogerentur, una cum iis abiisse. Milesios subinde omnium maximum templum aedificasse, quod ob magnitudinem sine culmine mansit, ornatum omnium gentium donis. Haec Strabo. Coronidem templo imponere parabat Caligula referente Suetonio [k]): *Destinabat Mileti Didymeum peragere.* Quare in ejus numis Didymeum hunc Apollinem proposuere. De hoc quoque Plinius [l]): *Posideum promontorium et oppidum, oraculum Branchidarum appellatum, nunc Didymei Apollinis*, et in eandem sententiam Mela. Ablatum a Xerxe aeneum Apollinis simulacrum, restitutum multis post annis a Seleuco refert Pausanias [m]). Vide praeterea, quae de Branchidis a Xerxe in Sogdianam translatis, eorumque adversus Didymeum maleficio ab Alexandro adhuc in posteris graviter punito narrat Curtius [n]). Dictus vero videtur *Didymeus*, quod Apollo et Diana eodem partu editi passim a Graecis Διδυμοι, *gemini*, vocabantur, et quod teste Clemente Alexandrino a Milesiis in consuetis lustrationibus cani solebat:

Μιλησιοι, ὠ παιδες, Εκαεργον και Εκηβολον.

Canite, o pueri, longe jaculantem deum et deam.

Aut secundum Macrobium [o]), *quod geminam speciem sui luminis praefert ipse illuminando formandoque lunam; etenim ex uno fonte lucis gemino sidere spatia diei et noctis illustrant, unde et Romani solem sub nomine et specie Iani Didymei Apollinis appellatione venerantur.* Aut verius, quod istud Mileti Didymeum sacrum fuit Iovi et Apollini. Ejus testis Stephanus: Διδυμα, ὐδετερως, τοπος και μαντειον Μιλητυ, ἀφιερωμενον Διι και Απολλωνι. *Didyma, genere neutro, locus et oraculum Mileti, sacrum Iovi et Apollini.* Quare et utrumque conjungit Callimachus [p]): Δαιμονες ὑυμνοτατοι, Φοιβε τε και Ζευ, Διδυμων γενεαρχαι. *Dii hymnis aptissimi, Phoebe et Iuppiter, Didymorum auctores.* Acute observat Pellerinius, binos viros, qui in numo suo facem admovere videntur, signatos propterea, ut renovaretur memoria prioris templi a Xerxe incensi; quamquam et Milesios ipsos deorum templa incendisse arguat Apollonius Tyanensis in epistola, quae est ordine LXVII. editionis Olearii. Hunc Apollinem Didymeum observarunt quoque Romani; nam licebat eum instituere haeredem, ut testatur Vlpianus [q]). Ejus cultus diu valuit, nam ab hoc Apolline adhuc Licinium Aug. responsa petivisse tradit Sozomenus [r]). De Brancho Apollinis ama-

i) L. XIV. p. m. 941. k) Cap. 21. l) L. V. §. 31. m) L. VIII. c. 16. n) L. VII. c. 5. o) Sat. L. I. c. 17. p) Fragm. Bentl. n. 36. q) Fragm. XXV. 6. r) Hist. Eccl. L. I. c. 7.

Digitized by Google

sio et Didymei hujus oraculi auctore lege, quae refert Conon apud Photium s). De ludis Didymeis mox.

Magistratus nullo primum muneris indicio, deinde

Archontes inde a M. Aurelio usque ad Gallienum observantur.

Neocoratus: ΜΙΛΗCΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. in solis Balbini et ejus collegarum numis, quos citant Vaillantius et Pellerinius. In his est effigies Apollinis Didymei; quare censeo, hujus tantum neocoros esse voluisse Milesios, ut Magnetes Ioniae suae tantum Dianae Leucophrynes.

Ludi: ΔΙΔΥΜΕΙΩ. ΜΕΙΛΗCΙΩΝ. intra coronam, in numo cum capitibus Valeriani et Gallieni apud Haym. (T. II. p. 383.) Verum in simillimis aliis Arigonius legit ΔΙΔΥΜΕΙΑ., quae lectio sana et vera, et significat ludos in Didymei Apollinis honorem actos, quos nominat etiam marmor Oxoniense: ΜΕΙΛΗΤΟΝ. ΔΙΔΥΜΕΙΑ. t). Male igitur numi sui epigraphen vertit Haymius: *Didymio-Milesiorum.* At multo gravius aberravit Bandurius in lectione numi similis, nimirum: ΔΙΔΥΜΑΙΩΝ. ΕΙΛΗCΙΩΝ, unde concordiam inter Didymas Ciliciae, et Ilesium Boetiae urbem efficit u).

ΜΙΛΗCΙΩΝ. ΠΑΝΙΩΝΙΑ. ΠΥΘΙΑ. in numo Saloninae, *urna mensae imposita.* Vide Prolegomena ad numos Ioniae.

Concordia cum Epheso, Smyrna, Co. Vide Vaillantium.

AE. C.

PHOCAEA.

Ad fines Acolidis, cui etiam a nonnullis veteribus inseritur. Ejus incolae Massiliam Galliae condiderunt, ut in hujus numis dictum.

Autonomi. In his

Epigraphe: ΦΩ. ΦΩΚΑΙ. ΦΩΚΑΙΕΩΝ. etiam ΦΩΚΑΕΩΝ., de quo variante ethnico vide plura apud Spanhemium x). Typi, quos memorabo, vetant, quo minus numi inscripti ΦΩ. possint in Phocidem Graeciae propriae avocari.

Caput Palladis. Ꜩ ΦΩΚΑΙΕΩΝ. *Gryphus gradiens, superne pileus Dioscurorum.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput senatus juvenile nudum.* Ꜩ ΕΠ. C. M. ΑΤΡ. ΘΕΟΔΟCΙΑΝΟΥ. ΦΩΚΑΙ. *Pallas stans d. pateram, s. hastam cum clypeo.* AE. II. (Pellerin.)

Palladis cultus in hac urbe vetus; nam hujus templum exustum fuisse ab Harpago Medo, narrat Pausanias y). Gryphus obvius in Phocaeae numis typus, incertum, qua causa. Obvius est etiam in numis Smyrnae et Tei ejusdem Ioniae urbium.

* * *

Caput muliebre turritum. Ꜩ ΦΩ. *Duo pilei Dioscurorum.* AE. III. (Pellerin.)

ΦΩΚΕΑ. *Caput muliebre turritum.* Ꜩ ΦΩΚΑΙΕΩΝ. *Navis, supra quam duo pilei Dioscurorum.* AE. II. (Pellerin.)

Vterque hic anticae typus frequens

s) Narrat. 33. t) Pag. 18. n. VII. u) T. I. p. 122. x) Ad Callim. in Pallad. v. 24. y) L. II. c. 31.

Digitized by Google

est variantibus in parte aversa typis. Phoceam igitur Amazonem urbis suae conditorem somniabant, quod confirmat numus Maximini, in quo *Amazon turrita stans d. pateram, s. bipennem coronatur a Victoria.* Sed Pausanias Phocaeenses ante Ionum adventum urbem nullam habuisse adserit, ducere vero genus a Phocide ad Parnassum, ducentibus coloniam Philogene et Damone Atheniensibus [a]), cum quo consentit et Strabo [a]).

Dioscuris magnos in hac urbe fuisse impensos honores, testantur numi, credo, quod teste Herodoto [b]) primi ex Graecis fuere Phocaeenses, qui longinquas navigationes susciperent, quarum praestites dii sunt Dioscuri. Firmat hanc sententiam numus alter, in quo eorum pilei cum ipsa navi sociantur.

* * *

ΦΩΚΕΑ. *Caput muliebre turritum.* ℞ ΦΩΚΑΕΩΝ. *Canis piscem depascens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Existimat Harduinus, piscem hunc esse phocam, et phocae sic similem, ut ovum ovo, quod viderint historiae halieuticae periti. Si igitur vere phoca est, habemus adlusionem ad urbis nomen. Iam vero notavit et Stephanus, urbem sic dictam, quod multae phocae conditores sequerentur.

* * *

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput senatus juvenile nudum.* ℞ ЄΠ. C. ΑΦΦΙΑΝΟΥ. ΦΩΚΑΙ. *Mulier capite turrito stans d. pateram, adstat Cybele capite turrito inter duos leones d. pateram, s. tympanum.* AE. II. (Pellerin.)

Prior mulier haud dubie est Phocaeensium Amazon, et Cybele tutelare numen vicinae Metropolis, qua forma haec in ejus urbis numis saepe occurrit, et videtur indicare hic typus concordiam inter utramque urbem.

* * *

Caput Palladis. ℞ ΦΩ. *Gryphus dimidius volans, infra:* ΙΣΙΔΩΡΟΣ. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. ℞ *Sine epigraphe. Caput gryphi inter duos pileos Dioscurorum, infra:* ΠΤΘΙΣ. AE. III. (Hunter.)

Satis apparet alterum quoque hunc numum esse Phocaeae nostrae, etsi hujus nomen reticeatur, nullatenus vero tribuendum Pythio Thessaliae, ut visum erudito Combio catalogi Hunteriani auctori. Vide plura in Pythio Thessaliae.

* * *

Magistratuum nomina in partibus aversis frequenter leguntur, quorum ope variorum autonomorum aetas facile definitur. Sic: CTPA. HPAKΛЄIΔOT. ACKΛH. legitur etiam in numis Commodi, CTP. M. ATP. ЄTTTXOTC. in numis Caracallae et Gordiani, C. M. ANT. ΘЄOΔCCIANOT. in numo Alexandri apud Vaillantium, sed Pellerinius in autonomo suo pro ANT. legit ATP., deni-

a) L. VII. c. 3. a) L. XIV. p. m. 939. b) L. I. c. 163.

Digitized by Google

que ЄΠ. C. AΦΦIANOT. in numis Maximi.

* * *

Staterum Phocaeensium nobiles scriptores meminere. Thucydides [c]): και λαβοντες δισχιλιας ςατηρας Φωκαϊτας κ. τ. λ. Demosthenes loquens de coacta, et expensa in milites pecunia ait [d]): και παρα των φιλων της πολεως λαβων τριακοσιας ςατηρας Φωκαεις κ. τ. λ. Pollux Thucydideum testimonium citat, additque, fuisse hos stateres numismatis genus sic vocatum [e]). Fuisse aureos, sed pessimae notae, colligo ex Hesychii verbis: Φωκαϊς, ὀνομα ἐθνους, και το κακιςον χρυσιον. Tamen cum hactenus nondum hujus generis stater in conspectum venerit, verisimile videtur, veram monetam non fuisse, sed parvas massas ad pondus Phocaeensium exactas et expensas, aut verius numos imaginarios quo de genere pluribus egi alibi. (Proleg. gen. Vol. I. c. 9.) Sane hactenus hujus populi numus aureus vel argenteus visus non est.

AE. C.

Imperatorii a Vespasiano usque ad Philippos.

Epigraphe ΦΩKAEΩN. frequentius ΦΩKAIEΩN.

Typi illustriores:

Duo viri nudi gradientes d. hastam intentant, s. clypeum, hinc et inde astrum, Aurelii Caesaris. AE. m. m. (Mus. Caes. Haym.) et Maximini. (Mus. Albani.)

Vix alibi Dioscuros hoc cultu proposítos reperias. Quae illos causa in Phocaeensium monetam vocaverit, in autonomis diximus.

* * *

Fluvius humi decumbens saepe conspicitur, quem esse Hermum, cui urbs vicina fuit, dubium non videtur. In numo Lucillae musei Caesarei, et Gordiani apud Vaillantium juxta fluvium est avicula incerti explicatus. Ad idem argumentum pertinent numi sequentes:

ЄΠI. CTP. M. ATP. ЄTTTXOTC. ΦΩKAЄΩN. *Mulier humi et super aquas sedens, juxta scriptum* TЄPH. Caracallae AE. m. m. (Vaillant. Arigoni.)

ΦΩKAEΩN. *Mulier humi sedens d. ramum, in imo:* CMAPΔ. Maximi Caes. AE. III. (Mus. Caes. et editus in mea Sylloge I. p. 38.)

Vaillantius ad numum suum observat: TЄPA *nomen esse fontis, alicubi legimus.* Forte alicubi legit Teriam Leontinorum in Sicilia amnem; sed qui huc non pertinet. Dubium non videtur, *Teram*, et alterius numi *Smard* - - nomina esse fontium Phocaeae vicinorum, et per religionem sacrorum, qualis fuit, ut copiosos alios praeteream, sua Syracusanis Arethusa, Myrensibus Lyciae Curium fons Apollinis ab augurio clarus [f]). Confirmat istud etiam typus, nempe figura humi sedens, et quidem, ut in numo priore, super aquas fluitantes, ac praecipue quod illa muliebri sit specie, nimirum quia fontium praesides fuere Na-

c) L. IV. c. 52. d) Adv. Boeotum orat. II. p. 1013. e) L. IX. §. 93. f) Plin. L. XXXII. §. 8.

Digitized by Google

jades. Eodem modo Aphrodisienses Cariae in numis suis suum jactarunt Corsymum, Midaenses Phrygiae Elaten, Blaundenses Lydiae Hippurium, alii alios, quos enumerabo in commentatione de fluviis et fontibus, in moneta vetere memoratis. Praeteriti hi sunt ab historicis et geographis, quia publice ignobiles fuerunt habiti, at privatim a vicinis urbibus celebritatem nacti. Quod si Phocaeenses in fontium nominibus variarunt, in causa haud dubie fuerit, quod plures in agro suo habuerint fontes sive sibi utiles, sive sacros. Eodem modo Syracusani non unam habuere in finibus suis Arethusam, sed et Temeniten, Archidemiam, Magaeam, Cyanen, et Milichien [g]). Non vero praetereundum, quod ad praesens argumentum proxime pertinet, illud, quod narrat Eustathius [h]), Amazones, inquit, multa olim in Asia tenuisse loca, comprobant et fontes aliqui Amazonibus cognomines. Si igitur quis fons hac fuit fortuna, mirum non est, ejus nomen numis fuisse insertum.

Magistratus praetor inde a Vespasiano legitur, et usque ad finem continuatur. Aliquorum nomina in autonomis dedimus.

AE. R.

PRIENE.

Maritima prope Mycalen, ubi Panionium celebratum est, ut diximus in prolegomenis ad Ioniae numos. Biantis philosophi fuit patria, sed cujus velut extinctae vestigia tantum exstare dixit Val. Maximus [i]).

Autonomi:

Caput Palladis. Ϟ ΠΡΙΗ. ΔΙΟΝΥ. *in alio:* ΠΡΙΗ. ΑΡΣΑΓ. *in alio:* ΠΡΙΗ. ΜΕΝΕΚ. *scriptum intra coronam ex Maeandri flexibus compositam.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 25. Pellerin, Hunter.)

Palladis delubrum, et insigne simulacrum, quod apud hanc urbem fuit, multum commendat Pausanias [k]). Etiam Vitruvius ejus templi meminit [l]). Combustum a Xerxe, ut reliqua Ioniae omnis dempto Ephesio, restitutum fuisse ab Alexandro M., docet lapis ibi repertus: ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΤΟΝ. ΝΑΟΝ. ΑΘΗΝΑΙΗΙΠΟΛΙΑΔΙ. sed quae postrema sic haud dubie corrigenda: ΑΘΗΝΑΙ. ΤΗΙ. ΠΟΛΙΑΔΙ. [m]), ex quo discimus etiam, hanc Palladem Poliadis nomine a Prienensibus fuisse cultam.

Flexus Maeandri his numis inserti sunt, quia Priene ad ejus fluminis ostia sita fuit.

* * *

ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. *Caput Herculis.* Ϟ ΠΡΙΗΝΕΩΝ. *Taurus.* (Harduin.)

Hercules fuit domo Boeotus, et Priene dicta quoque fuit Cadme a Cadmo Boeotiae incola, quia Philotas, qui eam condidit, Boeotus fuit, quod jam ex Strabone docuit Harduinus. Thebanorum etiam coloniam dixit Diogenes Laertius [n]).

---

g) Plin. L. III. §. 14. h) Ad Dionys. v. 828. i) L. VII. c. 3. k) Achaicor. cap. 5. l) Praef. ad L. VII. m) Chandler Ionian antiquit. p. 15. n) In Biante n. 2.

Digitized by Google

* * *

Numi inscripti, ut credebatur, ΠΡΙΑΝΕΙΕΩΝ, qui ab Harduino et Froelichio huic urbi tribuuntur, sunt Priansi Cretae, ut dictum in hujus urbis numis. *AE. RR.*

Numum Alexandri M. inscriptum ΠΡΙ. ΒΙ. in hac urbe percussum vide in numis hujus regis. Literae ΒΙ. videntur indicare magistratum *Biantem*, non infrequens, ut conjicio, inter Prienenses nomen, arcessitum haud dubie causa Biantis philosophi, qui patriam Prienen nobilitavit. Noverit istud insignis Chariton, a quo apposite admodum in fabulam suam illatus fuit Βιας ὁ ϛρατηγος Πριηνων [o]). A Plutarcho proditur Bias clarus Prienensium ad Samios legatus [p]).

* * *

Imperatorii bini tantum memorantur a Vaillantio, sed quorum prior aliorsum pertinet.

ΕΠΙ. ΑΡΧ. - - - ΦΙΛΟΠΑ. ΤΟ. Β. ΠΡΙΗΝΕΩΝ. *Mulier dexteram attollens, s. quid ignotum*, Tiberii. AE. II.

Numum hunc Vaillantius ex museo Gottifredi citat, qui nunc est in museo Ducis Bracciani, olim reginae Christinae, sed adeo vitiatus, ut neque urbis nomen, neque typus, ut ipse vidi, tuto ex illo colligi possit. Idem numus serius ex pictura Bartoli restitutus est in museo reginae Christinae [q]), et a Morellio ex eodem museo [r]). Erudite utroque loco conjicit Havercampus collato altero Prymnessi Phrygiae, quem edidit Haymius, legendum in hoc numo ΠΡΤΜΝΗCCЄΩΝ, non ΠΡΙΗΝΕΩΝ.

* * *

ЄΠΙ. ΑΡΧ. ΙΟΤ. CΑΤΟΡΝЄΙΝΟΤ. Valeriani sen.

Magistratus ergo *archon* Prienen rexit. Chariton, ut modo vidimus, praetorem urbi praefecit.

AE. RRRR.

SMYRNA.

Vrbs inter praecipuas non Ioniae solum, sed totius Asiae, cujus cum copiosi, tum maxime varii exstant numi. Condita a Theseo Thessalo Admeti nepote, et ab uxoris nomine appellata, ut refert Herodotus creditus auctor vitae Homeri, sed Strabo a Smyrna Amazone conditam ait, ut dicetur. Triplicem ejus originem vide apud Aristidem rhetorem [s]), cum quo confer Tacitum [t]).

Autonomi:

Caput muliebre turritum. Ϫ ΣΜΤΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΤΤΑΝΕΙΣ. *Mulier capite velato et tutulato stans s. simul Victoriolam tenet, simul columnae innititur.* AV. didrachm. (Seguin Num. sel. p. 32.)

Hic numus Spanhemio prolixae dissertationis materiam praebuit, quam inscripsit: *de Vesta et Prytanibus Graecorum diatriba*, cujus haec est summa. Caput anticae censet esse Amazonis, de qua pluribus agemus infra. Vocabulum ΠΡΤΤΑΝΕΙΣ, quo indicantur pryta-

---

o) Amator. narrat. L. IV. c. 5. et L. V. c. 6. p) Quaest. Graec. p. m. 296. q) Tab. XLVIII. r) Numi Tiberii T. XII. n. 11. s) Tom. I. p. 270. t) Ann. IV. c. 56.

Digitized by Google

nes, notus Graecorum magistratus, viro erudito persuasit, ut in signo proposito Vestam videret, quia apud Athenaeum Ἑστίαν Πρυτανιτίδα legerat, et passim constat, in Graecorum prytaneis ignem Vestae arsisse, et per eum jurari solitum. Perperam sensisse philologos plerosque, qui decepti ab Ovidio variis locis adserente in Fastis, Vestam non esse, nisi ignem, nullumque ejus simulacrum, non exstitisse unquam ejus signa autumabant, cum ejus simulacri meminerit Pausanias in Atticis, aliique, quorum copiosa testimonia elicit, ac praeterea ejus signum obvius sit in numis Romanis typus. Quod ad figurae attributa attinet, velum ex iisdem Romanorum numis tuetur, tutulum vel calathum, quod hic proprius fuerit Cereri, huic autem cum Vesta multum conveniat, Victoriam, quia Vesta in nonnullorum sententia eadem cum Venere, quam dictam fuisse Victricem, nemini non notum, columnam, quia Vesta eadem est cum terra, et a *stando* Graecis perinde ac Romanis dicta, unde Ovidius u): *Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.* Denique gravissimum ei argumentum sufficit numus maximi moduli Faustinae senioris ex museo reginae Christinae: VESTA. *Mulier stans ante aram d. pateram, s. Palladium, supra aram columna cum Victoria.* Haec Spanhemius, sed, ut verum fatear, multum video in universa hac dissertatione tribui conjecturis, et multa desunt, quae plane persuadeant, esse omnino Vestae imaginem. Eadem occurrit in aeneis quoque, quos mox commemorabo, solo fere discrimine, quod pro ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ varia magistratuum nomina in iis legantur, quorum occasione aliam proponam ejus typi explicandi viam. Ceterum argumentum e Faustinae numo petitum minus firmum est propterea, quod numum hunc nusquam alibi citari video, et constat, saepius Spanhemium in describendis, approbandisque numis lapsum.

Aureum adhuc unum Pellerinius, cumque anepigraphum, ob typum leopardi, qui in certis Smyrnaeorum argenteis simillimus exstat, huc verisimiliter vocandum censet.

* * *

Caput muliebre turritum. Σ ΣMTP-ΝΑΙΩΝ. *Leo gradiens, in aliis: Leopardus gradiens, inferne* ΜΗΤΡΟΒΙΟΣ. *vel* ΗΡΑΚΛΙΔΗΣ, *etc. omnia intra coronam quernam.* AE. I. (Pellerin, Mus. van Damme.)

Caput muliebre turritum. Σ ΣMTP-ΝΑΙΩΝ. *subjecto monogrammate intra coronam quernam, nullo alio typo.* AR. I. (Mus. Caes.)

Vt perrari sunt illustres hi tam a metallo, quam pondere numi, praecipue, quos priore loco descripsi, ita ad eruditas observationes nihil conferunt, neque idonea hactenus ratio insculpti sive leonis, sive leopardi reperta est. Subjectum in numis loci Η. monogramma saepe in certis hujus urbis numis comparet. Ejus formam Pellerinius exhibet in Supplemen-

u) Fast. VI.

Digitized by Google

to II. tab. X. n. 64., monuitque, (pag. 158.) eo contineri literas ἀχαιῶν vocabuli *Smyrna*. At enim spectata hujus monogrammatis forma hae literae nonnisi violente eliciuntur, et multo illud proclivius patem in ΠΡΤΤ. quam ΣΜΤΡ. posse resolvi, ac tam indicarentur *Prytanes*, quos jam explicato supra numo aureo inscriptos vidimus. Istud certum, hoc monogramma, quemcunque exigat explicatum, fuisse Smyrnaeis proprium, atque hac de causa tetradrachmum Alexandri M., quia illo notatum est, Smyrnae signatum conjecimus. Vide numos hujus regis.

* * *

Caput muliebre turritum. Ϟ ΠΜΤΡΝΑΙΩΝ. *Mulier cum calatho in capite stans. s. Victoriolam super columella tenet; additur magistratus*, ut: ΙΚΕΣΙΟΣ etc. AE. III.

Caput muliebre turritum intra lauream, vel quernam. Ϟ ΠΜΤΡΝΑΙΩΝ. *Eadem mulier stans, nisi quod d. praeterea sceptrum tenet, et pro ejus pedibus avicula est, additur magistratus* ΠΕΤΞΙΣ *vel* ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ. etc. AE. III.

Caput juvenile laureatum. Ϟ ΠΜΤΡΝΑΙΩΝ. *Vir palliatus sedens cum transverso scipione dextera mento admota, s. volumen, in area nonnunquam astrum, additur nomen unum, vel duo*, ut: ΙΚΕΣΙΟΣ. *vel* ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ. ΤΡΙΚΚΑΣ. *vel* ΙΑΣΩΝ. ΙΑΣΟΝΟΣ. *etc.* AE. III. Similem, sed AR. fere H. edidit Pellerinius, qui propterea rarissimus est.

Caput juvenile laureatum. Ϟ ΠΜΤΡΝΑΙΩΝ. *Manus loris obligata, juxta palmae ramus, additur nomen*, ut: ΙΑΤΡΟΔΩΡΟΣ. AE. III.

Omnes hi numi per fabricam, literarum formam, inscriptorum magistratuum modum unam aetatem loquuntur, atque ut apparet, eam, quae Augustorum aetatem praecessit. Omnes hos collegit et in lucem protulit Richardus Meadius magni in Britannia nominis medicus in erudita dissertatione *de numis quibusdam a Smyrnaeis in medicorum honorem percussis*. Auctor in eo totus est, ut comprobet, hos numos omnino in medicorum honorem Smyrnae fuisse signatos, neque adeo medicos, quod illustres nostri aevi auctores censuere, olim in servorum numero habitos, quam injuriam olim Sponius quoque, et ipse medicus, amare conquestus est x). Facem Meadio praetulit Strabo, qui refert y), prope Laodiceam Phrygiae scholam magnam medicorum Herophileorum sua aetate exstitisse sub Zeuxide, ac subinde Alexandro Philaletha, sicut, addit, patrum nostrorum aetate Smyrnae schola Erasistratea fuit sub Hicesio, nunc vero nihil simile evenire. Revera Hicesius in numis a me supra numeris I. et III. descriptis memoratur.

Suam ergo sententiam ut tueatur, omnes eos, qui numis his inscripti sunt, medicos facit, ut revera his nominibus olim fuisse claros medicos, plerosque ex veteribus eruit. In eo deinde elaborat, ut typos omnes pharmaceuticae

x) Misc. p. 144. y) L. XII.

Digitized by Google

subjiciat. Ergo caput juvenile numi III. et IV. deae Hygiae facit, idque confirmat ex numis gentis Aciliae, in quibus deae SALVTIS caput laureatum est. In horum postica videt Aesculapium sedentem, qui s. gladiolum chirurgicum tenet, et dexteram versus labia admovet, quo significet arcana scientiae medicae, et juratum ab ejus candidatis silentium. In aversa numorum I. et II. simulacrum Isidis videt, quae cum magna Matre et Aesculapio eandem potentiam Smyrnae sortita est. Avim adstitutam anserem putat Isidi, ut constat, sacrum. In aversa numi IV. sacra Isiaca proponi credit ab antistitibus in pompa Isidis gestari solita, nempe palmae ramum, et ex cavo aere manum sinistram deformatam porrecta palmula, ad quod probandum violente omnino locum Apuleji in aur. asin. L. XI. torquet, quanquam et alios hujus typi explicatus non fastidiat, modo cum Isidе, aut Aesculapio connectantur.

Miram hanc et plane singularem Meadii opinionem admitti non posse, jam alias comprobavi [z]), ac serius cum in Cl. Wise lucubrationes inciderem, qui eam in rigidum examen vocavit [a]), laetabar vehementer, eruditum hunc virum eadem plane mecum sentire. Neque ego, quod Meadius in hac causa scripserat, serio scriptum ab eruditissimo hoc viro existimo, verum leporis festivi, atque eruditae elegantiae causa, ut censuere et alii. Misso igitur hoc ingenii lusu verum, aut verisimilem saltem horum numorum explicatum proponam, commemoratis plerumque iis argumentis, quibus ad eos explicandos Wisius usus est.

Quod ad viros numis his inscriptos attinet, demus, fuisse ex his nonnullos reipsa medicos, at istud negavero, fuisse inscriptos, quia fuere medici, sed quia simul fuere medici, simul magistratu in rep. functi. Cur enim in ea claritate, qua schola Erasistratea Smyrnae fuit, atque iis opibus, quae Aesculapii filios vulgo consectantur, medicis permissum non fuisset ad magistratus eponymi honores eniti? Egregie huc servit marmor a Grutero vulgatum [b]):

ΤΙΒΕΡΙΩΙ. ΚΛΑΤΔΙΩΙ.
ΚΟΤΙΡΕΙΝΑΙ.
ΜΕΝΕΚΡΑΤΕΙ. ΙΑΤΡΩΙ.
ΚΑΙΣΑΡΩΝ. ΚΑΙ. ΙΔΙΑΣ.
ΛΟΓΙΚΗΣ. ΕΝΑΡΓΟΤΣ.
ΙΑΤΡΙΚΗΣ. ΚΤΙΣΤΗΙ. ΕΝ.
ΒΙΒΛΙΟΙΣ. ΡΝϛ. ΔΙ. ΩΝ.
ΕΤΕΙΜΗΘΗ. ΤΠΟ. ΤΩΝ. ΕΝ.
ΛΟΓΙΜΩΝ. ΠΟΛΕΩΝ.
ΕΝ. ΤΕΛΕΣΙ. ΟΙ. ΓΝΩΡΙΜΟΙ.
ΤΩΙ. ΕΑΤΤΩΝ. ΑΙΡΕΣΙΑΡΧΗΙ. ΤΟ.
ΗΡΩΟΝ.

Tiberio Claudio Quirina Menecrati, medico Caesarum, et propria rationalis practicae artis medicae auctori in libris CLVI. propter quos honoratus fuit ab illustribus urbibus magistratuum muniis, discipuli haeresiarchae suo monumentum. Item in marmore apud Chandlerum (Inscr. ant. p. 19. n. 54.) Menecrates archia-

z) Num. vet. p. 256. a) Mus. Bodl. p. 145. b) Pag. 581. 9.

Digitized by Google

ter dicitur *Stephanephorus*, quae dignitas inter prima sacra urbium munia fuit. Apud Reinesium (Synt. T. II. p. 608.) Asclepiades medicus STVDIORVM. ET. MORVM. CAVSA. PROBATVS. A. VIRIS. CLARISS. ADSEDIT. MAGISTRATIBVS. POP. R. At multo apertius ac certius videbimus medicos signatos in numis Laodiceae Phrygiae, verum et hos tanquam urbis magistratus. Ceterum verum est, ut erudite observat Wise [c]), eadem nomina fuisse etiam variis antiqui aevi pictoribus aut poetis indita, sic ut eodem jure adseri posset, apud Smyrnaeos non minus pictores atque poetas jus habuisse monetae, quo istud de medicis adserit Meadius. Ad haec observandum, multos medicos, qui viris in hac moneta signatis synonymi sunt, vixisse multo ante, aut multo postea, quam hi numi, ut certa istud criteria evincunt, signati fuere.

Jam igitur ad probabiliorem horum typorum explicatum accedamus.

Caput muliebre turritum esse magnae matris deorum Sipylenes, de qua infra, dubium non videtur. Caput juvenile laureatum, quod Meadius esse Hygiae conjectat, esse verius Apollinis censet Wisius. Nihil decido. Illud tantum addo, mulieris mihi verius lineamenta ex numis integerrimis musei Caesarei videri.

Vir togatus in aversa sedens, ut Aesculapius censeri possit cum Meadio, nihil persuadet; quin abest serpens, qui ejus dei certissimum indicium est, et erudite probat Wisius ex Pausania, Aristide, aliisque, ante Hadriani aetatem, qua primum Smyrnae Aesculapii templum condi coepit, ejus cultum apud Smyrnaeos receptum nondum fuisse. Est ergo signum, quod supra in numo III. descripsi, indubitatus

HOMERVS. Constat ex noto Gellii carmine: Σμυρνα, Ροδος, Κολοφων, Σαλαμις, Χιος, Αργος, Αθηναι, Smyrnam fuisse unam ex iis urbibus, quae natum apud se poetam praedicabant. Quare Smyrnaei tanti civis memoriam non statuis modo, sed etiam templis prosecuti sunt, quod docet non Cicero modo [d]): *Smyrnaei vero suum esse confirmant*, (Homerum), *itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt*, sed et praeclare ad causam nostram refert Strabo [e]), *esse Smyrnae bibliothecam, et Homereum, porticum quadratam cum templo et simulacro Homeri, Smyrnaeos enim ceteris pertinacius poetam sibi vindicare, aeneorum etiam numorum quoddam genus ab iis Homereum vocari.* En Homeri apud Smyrnaeos templum, simulacrum, oppidanorum acrem contentionem ad vindicandum sibi Homerum, ipsam adeo monetam dictam Homeream, quamque opportune aeneam vocat, qualis haec nostra est, quas certe alia non est, quam cujusmodi eam loco III. descripsi, nam numi, qui adscriptum OMHPOC habent, quos mox producam, haud dubie post Strabonem signati sunt. Quin et numi docent, ab aliis passim populis

---

c) L. p. c. 147. d) Pro Archia. e) L. XIV.

Digitized by Google

creditum, Homerum apud Smyrnam natum; nam in Amastrianorum Paphlagoniae numis una parte est caput Homeri scripto juxta OMHPOC, ab altera MEΛHC, typus: *Meles Smyrnaeorum fluvius decumbens d. lyram tenens*, a quo constat, Homerum dictum fuisse *Melesigenem*. Ejus memoriam etiam post Strabonem in Smyrnaeorum numis conservatam videbimus infra in imperatoriis, et docet sequens autonomus, et hic sub imperatoribus signatus:

OMHPOC. *Homerus sedens a. volumen tenens.* Σ CMTPNAIΩN *intra coronam quernam.* AE. III. (Wise pag. 4. et 149. Pembrock P. II. tab. 80. Theupoli.)

Et vero ipsa species viri gravis sedentis, scipionem seu hastam manu una, altera volumen tenentis Homerum aperte loquitur. Teste Aeliano f) Ptolemaeus Philopator, cum templum Homero dedicaret, eum decore sedentem fingi voluit, quod forte simulacrum illud ipsum fuerit, quod auctor encomii Demosthenis, quod vulgo Luciano tribuitur, ait stetisse in templo Ptolemaei καθειμένον τὰς κομὰς, *promissis capillis* g). Sedet etiam hastam et volumen tenens in tabula marmorea ejus apotheosin exhibente, quam notis illustravit Cuperus. Non absimili habitu est in numo mox citato Smyrnae, in quo OMHPOC additur, et in imperatoriis, qui infra dabuntur. Denique simili forma fingitur in numis Colophonis, quin et in numo Chii (nam utraque haec civitas nati apud se Homeri gloriam captavit) tenet volumen, cui inscriptum ΙΛΙΑC. Videtur hic solitus fuisse illustres poetas fingendi modus. Nam Aeschines in epistola, quae exstat in operibus Demosthenis h); sic aeneam Pindari statuam Athenis positam describit: καθήμενος ἐνδυμασι καὶ λύρᾳ ὁ Πίνδαρος, διάδημα ἔχων, καὶ ἐπὶ τῶν γονάτων ἀνειλιγμένον βιβλίον, *Pindarus cum veste et lyra sedens, habens diadema, et in genibus complicatum volumen.*

Sequitur simulacrum deae in aversa stantis, quae demptis nonnullis attributis, quae addere vel omittere in monetarii fuerit arbitrio, eadem est in aureo Seguiniano, quem primo loco produxi, et in aeneis loco I. et II. allatis. Hanc Spanhemius Vestam, Meadius Isidem dixit, at Cl. Wise deam matrem Sipylenen, cujus pervetustum fuisse Smyrnae cultum, et in seram aetatem continuatum, mox infra intuebimur. Quod in aureo Seguini additum sit ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, censet, Prytanum jussu eam erectam statuam, ejusque memoriam tanquam deae apud ipsos principis in numis conservatam. Istud si verum, ipso Wisio judice bis habebimus Sipylenen in uno eodemque numo Seguiniano, et in citatis aeneis; jam enim in capite turrito, quod est in horum antico, ipse agnovit Sipylenen. Vaillantius simili typo in numis Augusti notari Vestam, in alio Lucii Caes. Astarten solita inconstantia adserit. Fateamur potius, de

f) V. H. L. XIII. c. 22. g) Sub. init. h) Pag. 207.

Digitized by Google

nujus numinis vero nomine nondum satis nobis constare.

Insculptam numo II. avim Meadius anserem putat. Verum esse potius columbam, satis probant inspecti numi non modo autonomi, de quibus hic sermo, sed etiam numi cum capite Augusti, qui eundem omnino typum exhibent, quosque videre est apud Vaillantium, et in Impp. Morellii.

Postremam animadversionem postulat manus sinistra caestu armata, quae est loco IV. Dixi speciosam Meadii explicationem, reipsa autem hic typus ad pugilatus causas videtur referendus, quod non obscure adstitutus palmae ramus innuit, qui victori in praemium cessit.

* * *

Autonomi reliqui illustriores:

ΖΕΤΣ. ΑΚΡΑΙΟΣ. *Caput Iovis nudum variantibus in aversa typis.* AE. II. III. (Mus. Caes.)

Est hic *Iuppiter arcensis* etiam ex numo Temni Aeolidis cognitus. De eo Callimachus: (in Jov. v. 81.)

ἵζεο δ' ἄντος
Ἀκμῆς ἐν πτελέσσιν, ἐποψίος, οἵ τε δικαῖοι
Λαὸν ὑπὸ σκολιῆς, ὅτι τ' ἐμπαλὶν ἰθύνουσιν,
sedes vero ipse
In celsis arcibus, inspiciens, qui jure
Populum iniquo, et qui contra gubernant.

Quod explicat vetus enarrator: ἐν τοῖς ἀκροπόλεσι καθίζῃ, ὅρων τὰ δίκαια. Alios deos Ἀκραίους vidimus supra in numis Mytilenes. Sed et Iuno dicta *Acraea* a promontorio, quod Corintho imminet [i].

* * *

ΟΠΛΟΦΥΛΑΞ. *Caput Herculis nudum variantibus in aversa typis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Herculem Smyrnae nomine ὁπλοφύλακος, *armorum custodis*, cultum fuisse, egregie confirmat marmor Oxoniense XXX. ΓΕΣΣΙΟΣ. ΦΛΑΚΚΟΣ. ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ. ΕΠΙ. ΤΩΝ. ΟΠΛΩΝ. ΗΡΑΚΛΕΙ. ΟΠΛΟΦΥΛΑΚΙ. Existimat Cl. Vandale, nomine ὅπλων hoc loco non indicari arma bellica, sed instrumenta gymnastica [k].

* * *

CIΠΥΛΗΝΗ. *Caput muliebre turritum variantibus in aversa typis.* AE. III. (Mus. Caes. Theup. Wise p. 9.)

Fuit Sipylene eadem cum matre deorum, seu Cybele, sic dicta a monte Lydiae Sipylo, cujus accolas Magnetes longe antiquissimum habuisse ejus deae signum refert Pausanias [l]. Per eam jurasse non Magnetes modo Ioniae, sed et Smyrnaeos, constat ex foedere inter utrosque inito, quod conservavit marmor Oxoniense II., cujus verba sunt [m]: ὀμνυω Δια, Γην, Ηλιον, Αρη, Αθηναν Αρειαν, και την Ταυροπολον, και ΤΗΜΜΗΤΕΡΑ ΤΗΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ. *juro per Iovem, Tellurem, Solem, Martem, Minervam Martialem, et Tauropolon, et MATREM SIPYLENEN.* Etiam Strabo ejus conservavit memoriam, sed locum esse luxatum jam viderunt eruditi, cum narrat [n], Rheam a locis dictam fuisse Ἰδαίαν, και Δινδυμηνην, και ΠΙΤΥΗΝΗΝ, και Πεσ-

i) Liv. L. XXXII. 23. k) Diss. V. c. 3. p. m. 413. l) L. III. c. 22. m) Vers. 60. et 70. n) L. X. p. m. 719.

Digitized by Google

σιπωτιδα, και Κυβελην, ubi magnus Casaubonus jure reposuit ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ pro ΠΤΛΗΝΗΝ. Ejus deae cultum traductum Smyrnam, docet quoque Vlpianus, cum refert o), etiam *deum matri Sipylenae, quae Smyrnae cólitur*, a Romanis fuisse permissum, ut haeres posset institui. Appellationis hujus causa in promptu est; nam prima et vetustissima Smyrna sub Sipylo monte condita fuit, de quo vide Aristidem p). Ceterum, quod dixeram, hanc Sipylenen esse eandem cum Matre deorum Cybele, egregie confirmat ejus imago in numo Iuliae Titi F., quem edidit Morellius, in cujus aversa est: CIΠΥΛΗΝΗ. CMΥΡΝΑΙΩΝ. *Dea sedens capite turrito d. pateram, s. tympano inixa, juxta cubans leo*, quae sunt solita Cybeles attributa. Adde numum Pembrockianum q): CIΠΥΛΗΝΗ. *Caput muliebre turritum.* Ꜩ CMΥΡΝΑΙΩΝ. *Leo pede anteriore tympanum tenens.*

* * *

ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ. De hac agetur in numis Thyatirae Lydiae.

* * *

CMΥΡΝΑ. *Caput muliebre turritum cum bipenne.* Ꜩ CMΥΡΝΑΙΩΝ. *Prora navis aliive typi.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput anticae Amazonem Smyrnam sistit, a qua conditam Smyrnam definite dixere Strabo, Plinius, aliique. Divisus hic typus unitus exstat in numis autonomis sub Gordiano, ut inscriptus Tertius Asiarcha testatur, signatis, in quibus *Amazon turrita stans d. pateram, s. clypeum et bipennem, pro pedibus prora navis.* De hac navi vide infra in imperatoriis. Numum ipse erudite explicat Cl. de Boze r), et mox iterum producam.

* * *

ΑΔΡΙΑΝΗ. CMΥΡΝΑ. *Caput muliebre turritum.* AE. II. (Pellerin.)

Hadrianae nomen sumpsit Smyrna, quia ab Hadriano multis beneficiis ornata fuit testante istud Philostrato s). In marmore Smyrnaeo, quod editum est inter Oxoniensia t), et apud Sponium u) legitur: ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΑΔΡΙΑΝΩ. ΟΛΥΜΠΙΩ. ΣΩΤΗΡΙ. ΚΑΙ. ΚΤΙΣΤΗ.

* * *

CMΥΡΝΑΙΩΝ. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCIAC. *Protome muliebris velata d. elata spicas, s. cornucopiae.* Ꜩ ЄΠ. C. M. ΑΥΡ. ΤЄΡΤΙΟΥ. ΑCIΑΡΧΟΥ. *Amazon turrita stans d. pateram, s. bipennem et peltam, pro pedibus navis.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 64.)

Eadem adversa. Ꜩ ЄΠΙ. ΦΙΛΗΤΟΥ. ΙΠΠΙΚ. CMΥΡ. *Iuppiter Nicephorus sedens.* AE. I. (Ibid.)

Cl. Boze, qui, ut paullo altius dixeram, numum ex his binis priorem edidit, cum videret, *Tertium Asiarcham* Gordiani numis inscriptum, adserere non dubitavit,

o) Fragm. XXV. 6. p) Orat. T. I. p. 229. q) P. II. tab. 39. r) B. L. T. XVII. p. 1.
s) Vit. Polemon. Soph. t) Num. CLXVIII. u) Voyage. T. III. P. II. p. 44.

Digitized by Google

protomen partis anticae esse uxoris Tranquillinae sub Cereris specie propositam. Sin istud, jure arguit Pellerinius x), necesse erit, quia *Philetas Hippicus* reperitur in numis Valeriani, protomen partis adversae, quae est in numo altero, esse Marinianae Valeriani uxoris. At enim spectatis vultus lineamentis utriusque hujus numi protomae adeo sunt similes, ut diversas Augustas indicare non possint. Certius ergo sistunt Cererem hac forma a Smyrnaeis cultam. Haec cum recte scriberet Pellerinius, non occurrebat, se similem protomen, quae est in autonomo Erythrarum Ioniae, eidem Tranquillinae largitum y). Periculosum est, deorum dearumve effigies ad Augustos Augustasve transferre, nisi cum certa istud ratio suadet. Fuerunt etiam, qui in Cyzicenis maximi moduli numis Faustinam jun. Proserpinae ritu propositam viderent, sed et hoc judicium esse dubium, dixi in moneta Cyzici Mysiae.

* * *

ΜΕΛΗC. *Meles fluvius decumbens.* Vide numos Imperatorios.

* * *

Caput muliebre laureatum. Ϟ ΣΜΤΡ. *Lyra, juxta* ΑΤΤΑ. *vel:* ΡΡΤ. AE. IV. (Mus. Caes. Hunter, Mus. Neumann.)

Perperam Pellerinius numulum similem tribuit Antiochiae Syriae.

* * *

ΤΥΧΗ. CΜΤΡΝΑΙΩΝ. *Fortuna stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

CΜΤΡ. ΠΑΝΙΩΝΙΟC. De hoc actum supra in prolegomenis ad numos Ioniae.

* * *

Typi reliqui.

Apis, obvius typus in moneta Ephesi, at constat etiam ex Strabone, Ephesios et Smyrnaeos aliquando una habitasse, sic ut Ephesus etiam Smyrna diceretur z). — *Nemesis una, vel duae, earumque attributa gryphus, rota etc.* de quibus agetur in imperatoriis.

* * *

Magistratus, Fluvii, aliaque, quae adhuc in autonomis exstant, proferentur infra in *Imperatoriis.*

* * *

Magna autonomorum pars fabricam praefert admodum hiulcam, sed ex certis indiciis constat etiam, eos jam declinante Augustorum aevo signatos.

Prima urbis litera varie in numis scribitur: Σ, vel C, quae quidem vocabulo Smyrnae propria. Sed pro sigmate se intrusit etiam Zeta varie formatum, Ξ, Ζ, ∑. Nota querela sigmatis adversus Zeta apud Lucianum a): ὁτι ἀνεξικακον εἰμι γραμμα, μαρτυρειτε μοι καὶ αὐτοι μηδεποτε ἐγκαλεσαντι τῳ Ζητα, σμαραγδον ἀποσπασαντι καὶ πασην ἀφελομενῳ την Σμυρναν,

x) L. c. y) Rec. II. p. 71. z) L. XIV. p. m. 939. a) Iudic. vocal.

Digitized by Google

quod vero litera cum malorum patiens, testes estis vosmèt ipsi; neque enim hactenus in jus vocavi Zeta, cum smaragdum mihi eripuisset, totamque extorsisset Smyrnam. Etiam in inscriptione Latina: CIVIT. ZMYRNAEORVM [b]).

AV. RRRR. AR. RR. AE. C.

Numus regius.

Caput regis diadematum. Ꝟ ZMTP-NAIΩN. EPMOΓENHΣ. ΦPIΞOΣ. *Victoria gradiens.* AE. fere I.

Existimat Pellerinius, qui numum hunc edidit [c]), eum esse Seleuci II. propter adfinia oris lineamenta, ipso etiam typo Victoriae adludente ad ejus cognomen *Callinici*. Sed de hoc agetur in regibus Syriae.

* * *

Imperatoriis, si qua urbs alia, Smyrna abundat ab Augusto usque ad Gallienum. Lubet primorum imperatorum nonnullos recitare:

ΣMTPNAIOI. ΣEBAΣTOIΣ. (lege ΣEBAΣTΩI.) *Capita duo jugata, virile laureatum, et muliebre.* Ꝟ ΔIONTΣIOΣ. KOΛΛTBAΣIOT. *in alio:* ΛEONTIΣ-KOΣ. ΠΠOMEΔONTOΣ. *Mulier turrita stans d. hastam, s. Victoriolam, et simul columnae innixa, humi avis.* AE. III. (Vaillant in num. Augusti, Morelli in num. Liviae.)

Si vera est epigraphe ΣEBAΣTOIΣ, capita partis adversae esse non possunt Augusti et Liviae, sed Tiberii et Liviae. Haec enim vivo marito Σεβαστης titulo decorata non fuit. Numi tam parvi moduli rarissime literas satis nitidas offerunt, aut etiam certa oris lineamenta, quorum ope certum possit judicium ferri. Quare in explicandis numis variis circum haec tempora Smyrnae signatis eruditi in diversas abivere sententias. Confer numos inscriptos: EΠI. ΦIΛIΣTOT. EIKAΔIOΣ. in Liebei Gotha numaria pag. 333. et 334. et in Haymii Thes. Brit. Tom. II. p. 225. edit. Vindob. tum etiam, quae super hoc argumento olim in numis Liviae monebo. Haec pridem dictaveram, cum nuper in numum simillimum, totumque integrum musei principis de Waldeck incidi, in quo certa est epigraphe: ΣMTPNAIOI. ΣEBAΣTΩI. et certum caput Augusti. Ergo cum ΣEBAΣTΩI sit in unitatis numero dandi casu, vocabulum istud solum Augustum tangit, nullo ad Liviae caput respectu.

Sunt et numi Caligulae et Drusillae, Neronis et Poppeae, qui infra describentur, et Vespasiani junioris, de cujus numis cum epigraphe: OTEΣΠAΣIA-NOC. NEΩTEPOC. agetur in numis Impp., et interea videri possunt Pellerinius, Harduinus, Haymius.

* * *

Typi illustriores.

HPAKΛH. CΩT. *Hercules stans, tria poma tenet*, in numo Domitiani et Domitiae. (Vaillant.)

* * *

b) Crat. pag. 225. c) Rec. II. p. 79.

Digitized by Google

ΘΕΑ. ΡΩ. *vel* ΘΕΑC. ΡΩΜΗC. *Roma sedens.* Domnae (Vaillant.)

CЄBACΤΗ. CΤΝΚΛΗΤΟC. ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΙЄΡΩΝΤΜΟC. *Capita adversa Liviae et Senatus.* Ɪ CЄBACΤΟC. ΤΙΒΕΡΙΟC. ЄΠΙ. ΠЄΤΡΟΝΙΟΥ. *Signum Tiberii in medio templi.* (Spanheim. T. I. p. 139. Pellerin, Mus. Caes.)

ΘЄΟΝ. CΤΝΚΛΗΤΟΝ. *Templum 4. col., in cujus medio mulier stans d. hastam,* Plotinae. (Pellerin.)

Tres hi numi docent, Romam, Senatum, Tiberium a Smyrnaeis deos habitos. Praeclare istud confirmat Tacitus, cum narrat [d]), decrevisse *Asiae urbes templum TIBERIO, MATRIQVE EIVS, ac SENATVI,* quod idem paullo infra repetit [e]). At cum singulae illud apud se statui contenderent, praelatos Smyrnaeos, quia inter alia in populum R. officia etiam commemoraverant, *ac primos templum urbis Romae statuisse M. Porcio cos.* (V. C. 559.) *magnis quidem jam R. populi rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe, et validis per Asiam regibus* [f]). Haec igitur templa cum sponte, tum annuentibus Romanis apud ipsos statata in moneta sua jure praedicant. Insignis, qui ad idem argumentum pertinet, est numus Caracallae max. mod. in museo Caesareo, in cujus aversa comparent tria templa, in eo, quod medium est, conspicitur Roma galeata sedens, ejusque epistylio inscriptum ΡΩ., in eo, quod ad dexteram est, proponitur vir stans, in epistylio: ΤΙ. id est: *Tiberius,* in sinisteriore figura gradiens, sed neque quae illa sit, aut literae epistylio inscriptae distingui possunt. Habemus ergo in hoc numo certa templa Romae et Tiberii. Singularis hic numus parum adcurate in Cimelio Vindobonensi effictus est. Non dissimulo, in numo simili max. mod. regis Galliarum pro ΡΩ. ΤΙ. — legi, saltem ut iconismus exhibet, ΑΤΡ. ΑΝ. CЄ. per tria haec templa disposita, atque idem legi etiam in numo simillimo ejusdem Caracallae Pergami signato, quem edidit Patinus [g]), quae decurtata vocabula Spanhemius explicat: ΑΝτωνινῳ, ΑΤρηλιῳ, CЄυηρῳ, tanquam Antonino Pio, M. Aurelio, et Severo tria haec fuissent dicata templa, at Patinus: ΑΝτωνινῳ ΑΤρηλιῳ CЄΒαςῳ, tanquam omnia haec nomina ad unum essent Caracallam referenda. Quos quidem varios explicatus numorum, quos ipse non vidi, nequaquam morer, satisque a me praestitum puto, si tester, literas ΡΩ. ΤΙ. — in meo esse luculentas. Observandum denique, exstare copiosos aeneos III. formae, in quorum una parte: ΘЄΑΝ. ΡΩΜΗΝ. *Caput Romae turritum,* altera: ΘЄΟΝ. CΤΝΚΛΗΤΟΝ. *Caput Senatus.* Hos ut certum est in provincia Asia esse signatos, tamen quia plures fuere urbes quibus Roma et Senatus idola fuere, ut istud de Mylasa et Alabanda Cariae constat, minus tutum est, veram eorum patriam definire. Verisimile tamen est, eos Smyrnae signatos, cum quod certe con-

d) Ann. IV. 15. e) C. 37. f) Ann. IV. 56. g) Thes. num. p. 118.

Digitized by Google

stet, hac in urbe utriusque stetisse templum, tum quod testetur Cl. Wise [h]), plurimos id genus hodieque apud Smyrnam reperiri. De inscripto *Petronio* agetur infra sub *Proconsulibus*.

* * *

ΟΜΗΡΟΣ. ΖΗΝΩΝΟΣ. ΖΗΝΩΝ. ΤΙΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Homerus togatus barbatus stans cum hasta dexteram jungit cum muliere adstante s. hastam tenente*, in numo Neronis. (Haym. T. II. p. 237. Morelli Impp. T. II. p. 119.)

Numum hunc propter inscriptum Zenonem Laodiceae Phrygiae signatum censeo. Ceterum Homerus sedens fingitur in numis Neronis apud Vaillantium et Pellerinium eodem modo, ut supra in autonomis vidimus.

* * *

CIΠΥΛΗΝΗ. in numo Iuliae Titi, quem citavimus supra in autonomis sub CIΠΥΛΗΝΗ.

* * *

Mulier capite tutulato stans d. sceptrum, s. Victoriolam, et simul columnae innititur, in area avis.

Hic typus frequens est in numis Augusti ejusque familiae, et frequens in numis autonomis, de quo satis supra, ubi de numis Meadianis egi, disserui.

* * *

Nemesis, una, plerumque duae in Smyrnae numis. Stant stolatae dextera ori admota; harum una s. frenum tenet, ad alterius pedes saepe rota, aut nonnunquam gryphus, qui dexterum pedem rotae imponit, et haec nonnunquam sceptrum vel ramum s. tenet. Rarius in Smyrnae numis finguntur alatae. Vehuntur etiam in bigis gryphorum, ut in numo musei Pisani [i]). Typos luculentos vide apud Arigonium inter numos maximi moduli. Insignis fuit Nemesum apud Smyrnaeos cultus, quod non copiosi modo numi sed et marmor Smyrnaeum, inter Oxoniensia XXV., testatur, quod Onesimum vocat ΝΕΩΚΟΡΟΝ. ΤΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΘΕΩΝ. ΝΕΜΕΣΕΩΝ. Causam tanti affectus suppeditant numi sequentes:

Vir dormiens sub arbore, cui binae Nemeses adstant. M. Aurelii, Gordiani, etc. AE. m. m. (Mus. Caes. Vaill.)

Elegantem hunc typum explicat Pausanias [k]). Nimirum Alexandrum M. venatui in monte Pago intentum accessisse ad templum Nemesum, et procumbentem sub platano secundum quietem vidisse Nemeses, quae monebant, ut eo loco conderet urbem et Smyrnaeos eo traduceret. Consultum super hoc Apollinem Clarium respondisse:

Τρισμακαρες κεινοι και τετρακις ἀνδες ἐσονται,
Οι Παγον οἰκησουσι περην ἱερου Μελητος.
Terque quaterque beati viri illi erunt,
Qui collem habitabunt trans sacrum Meletem.

---

h) Mus. Bodl. p. 145. i) Tab. XXIX. k) Achaic. c. 5.

Digitized by Google

Facile igitur Smyrnaeos passos sese ex vetere statione eo deduci. Factum istud leviter etiam perstringit Aristides [l]). Addit Pausanias, a Smyrnaeis pro una Nemeses plures coli. Binas saepe offerunt numi, una plures recitat etiam citatum marmor Oxoniense. Quam fuerint hujus causa beneficii diligentes Smyrnaei in iis observandis, patet ex numo Severi, in quo *sedens Cybele cultu solito dextera extenta utramque Nemesin sustinet*, (Arigoni.) tum ex frequentibus numis, quos *Concordiae* dicimus, in quibus una vel binae Nemeses sic Smyrnam significant, ut Iuppiter aetophorus Laodiceam Phrygiae, Aesculapius Pergamum, Diana Ephesum etc.

Cum Nemesis, ejusve attributa frequentissime in Smyrnae moneta typum faciant, neque etiam infrequenter in aliarum urbium numis, opportunum visum, hoc maxime loco naturam variorum attributorum, quae allegoria huic deae commodavit, explicare.

Alae ex Nemesis attributis unum sunt non tamen sic necessariae, ut non frequenter sine iis fingatur. Sic et pervetus ejus signum apud Rhamnuntem prope Athenas, opus Phidiae, alis caruit teste Pausania [m]), sed addit idem, serius se comperisse, Nemeses Smyrnaeas esse alis instructas. Hic cultus in Smyrnae numis variat, nam sunt, qui alatas, at plures, qui implumes sistunt. Alatam Nemesin habent praeterea numi Sides Pamphyliae, et pervetusti Camarinae Siciliae. Quare et πτερουσσα, *pennata* dicitur in elegante epigrammate Mesomedis, plerasque ejus functiones complexo, quod exstat in Analectis Brunckianis Tom. II. p. 292. et a Burettio explicatur in Memoriis Parisinis [n]). Montfauconius deam hanc alatam in Smyrnae numis se nunquam vidisse ait; sed talem sistit autonomus musei Caesarei, et alter Claudii et Agrippinae, de quo agemus infra. Additae alae adludunt ad pernicitatem, qua, cum vult, hominum insolentiam reprimit, ut explicat Ammianus [o]). Sed aliam causam adfert Pausanias [p]), quod illa perinde atque Cupido amantibus adest, nisi forte alae reliquiae sunt ex cycno, in quem sese transformavit Nemesis, ut Iovis amores falleret, ut refert Eratosthenes [q]).

Manus ori admota, obvius ejus gestus in Smyrnae numis, quo indicatur celebratus in veterum carminibus Nemeseos πηχυς, *cubitus*, mensura scilicet, qua reorum crimina metitur, quamque adeo in terrorem ostentat. Quare de Nemesi praedicat quoque citatum epigramma:

Τπο πηχυν ἀει βιοτον μετρεις,
Cubito semper vitam hominum metiris.

Elegantius istud in epigrammate altero [r]):

Η Νεμεσις πηχυν κατεχω· τινος ὑβρια; λεξεις.
Παση παραγγελλω, μηδεν ὑπερ το μετρον.
Nemesis ego cubitum praetendo. Cur istud? inquies,
Omnes adhortor, ut ne quid nimis.

---

l) Orat. T. I. p. 265. m) L. I. c. 33. n) Tom. V. p. 187. o) L. XIV. c. 11. p) L. c. q) Catast. 25. r) Brunck. Annal. T. III. p. 203.

Digitized by Google

Vnde et auctor tractatus mundi inter Aristotelis opera relati Nemesin dictam putat ἀπο της ἑκαστῳ διανεμησεως, *quod unicuique suum partiatur.* In numis Smyrnensibus Claudii et Agrippinae inscriptis: Α. ΓΕΣΣΙΟΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ., et quos proxime imitantur nomi Claudii Latini cum aurei, tum argentei, inscripti PACI. AVGVSTAE., ut et gemma musei Odeschalchi [s]), praeterquam quod cubitum rursum ostentat, simul extremis digitis vestem a pectore diducit, et in summet ipsa sinum intuetur. Hic Nemesis habitus eximie illustrat versum Mesomedis in citato epigrammate:

Νευεις δ' ὑπο κολπον ἀει κατω ὀφρυν,
Supercilium vero semper deorsum in sinum inclinas.

Burettius hunc versum patria lingua vertit: *Sans cesse vous fronces le sourcil*, quod sane verba Graeca non dicunt. Et vero habitus hic illustrem complectitur allegoriam, cujus explicatus sensus est: Nemesin etiam, quae tecta sunt, suo jure inspicere et rimari.

Funda, aut verius *frenum*. Eadem Nemesis saepe in numis manu tenet lorum, vel funem deplicatum dependentem, sed quem plerumque in numorum ectypis ad sistri formam fictum videas, ceu apud Arigonium in numis max. mod. tab. III. et VI. et apud Montfauconium [t]), quo factum, ut Vaillantius ipse in numis suis Graecis non raro Isidem diceret, quae vera Nemesis est. Montfauconius incertus, quid statueret, jam quiddam turibulo non absimile dixit, jam rhomboicum quid, quod, ut ait, vix distinguas. Philippus Buonarrotius, quem propter perspicaciam et eruditionis copiam maximi semper facio, esse fundam erudite conjecit, nimirum, quod Nemesis eminus quoque feriat, et quam evadere nemo possit, qua de causa citatus supra auctor tractatus mundi Nemesin Ἀδρασειαν dictam adserit, nempe: ἀκατοδραστον αἰτιαν ὁσαν κατα φυσιν, *quod noxa ejus sit naturae, ut effugere non possit*, et secundum Apulejum [u]) dictam Ἀδρασειαν, *quasi sit ineffugibilis necessitas ultionis.* Jure igitur Nemesi existimat tribui fundam, velut bellam imaginem vindictae non modo certae, sed et longe ferientis, quam is sententiam praeclare confirmat ex Justo Lipsio, qui in Poliorceticis ectypon proponit glandis plumbeae ex funda mitti solitae, cui haec inscripta sententia: FVGITIVI. PERISTIS. Haec vir eruditus [x]). Vt praeclare ac nitide haec sunt exposita, tamen potius adducor, ut credam, ἀμφισβητησιμον illud instrumentum esse frenum, quo Nemesis immoderatos hominum spiritus coercet. Etenim si funda esset, non neglexissent poetae, hanc quoque in reliquo ultionis apparatu, quo sese Nemesis instruxit, commemorare, atque istud tanto minus, quod funda ad lusus poeticos commodam suppeditasset materiam. At vero freni a Rhamnusia ostentati frequens apud eos mentio. Sic saepe laudatus Mesomedes de Nemesi:

Α. κυφα φευγματα θηρων

---

s) Tom. II. tab. 15. t) Suppl. Tom. I. tab. 74. u) De Cosmogr. x) Observ. istor. p. 222.

Digitized by Google

Επεχεις ἀδαμαντι ΧΑΛΙΝΩΙ.
Quae inanem fastum mortalium
Cohibes adamantino FRENO.

Tum apud Nonnum y):

Ανερας ὑψιλορυς ἀλυτῳ σφιγγυσα ΧΑΛΙΝΩΙ.
Viros insolentes insolubili stringens FRENO.

At omnium nitidissime epigramma, quod est in Analectis Brunck z):

Η Νεμεσις προλεγει τῳ πηχεϊ, τῳ τε ΧΑΛΙΝΩΙ.
Μη ἀμετρον τι ποιειν, μητ' ΑΧΑΛΙΝΑ λεγειν.
Nemesis praedicit cubito et FRENO,
Ne quid fiat immoderatum, aut dicatur EFFRENE.

Quo lecto quis dubitabit, cum in numis plerumque videamus, Nemesin manum dexteram in cubitum flectere, quod deinde sinistra praefert, esse frenum? Huc accedit, Nemesis non tam fuisse proprium moliri perniciem, quam reprimere audaciam, atque, ut diximus, providere, ne quid nimis; at funda interimit, frenum cohibet.

Ramus fraxini. Hunc in compluribus Smyrnae numis Nemesum una praefert. Dixi ramum fraxini, secutus indicium Pausaniae, quo teste Nemesis Phidiae ejus arboris ramum manu sinistra praegestavit.

Rota. Obvium in numis attributum Nemesis, at semper pro dese pedibus collocatum. De hac item Mesomedes:

Τπο σον τροχον ἀςατον, ἀςιβη,
Χαρπα μεροπων ςρεβεται τυχα.
Sub tua rota instabili, nullum relinquente vestigium,
Laeta hominum convertitur fortuna.

Nemesi adstitui rotam Ammianus dixit propterea, *ut universitatem regere per elementa discurrens omnia non ignoretur* a). Adde, ut Fortunae adjungitur rota ad notandam inconstantiam teste ipso Cicerone b), sic et Nemesi, quam eandem fuisse cum Fortuna mox dicetur. Quo sensu Claudianus quoque dixit c):

Sed dea, quae nimiis obstat Rhamnusia votis,
Ingemuit, flexitque rotam.

Nimirum ut conversam Alarici fortunam indicaret. Verum Nonnus eam in ultionis instrumentum vertit d):

Και τροχος ἀυτοκυλιςος ἠν παρα ποσσιν ἀναςης,
Σημαινων, ὁτι παντας ἀγηνορας εἰς πεδον ἑλκει.
Τψοθεν ἑλιχροωσα δικης ποινητορι κυκλῳ,
Δαιμων πανδαματειρα βιου ςρεφουσα ποδειην.
Et rota sponte volata erat pro pedibus reginae,
Indicans, quod omnes superbos versus humum trahat
Ex alto involvens justitiae ultore circulo,
Dea omnium domitrix vitae versans semitam.

Nimirum Nemeses ab Haliartiis ex hac

---

y) Dionys. L. XLVIII. v. 386. z) Tom. III. p. 202. a) L. XIV. c. 11. b) In Pison. c. 10. c) Carm. XXVI. v. 631. d) Dion. L. XLVIII. c. 378.

Digitized by Google

causa dictae πραξιδικαι, *actionum ultrices* e). Fuit vero rota non modo instrumentum τιμωρητικον in scelerum poenas destinatum, quali Ixionem adligatum fabula docet, sed et βασανιστηριον ad extorquendam veritatem, ut est apud Aristophanem f):

Επι τυ τροχυ γαρ δει σ'ἑκει γεγλιμενον
Επειν, ἁ πεπανυργηκας.
Rota enim oportet te ibi volutam
Profiteri facinora, quae admiseras.

Gryphus. Binos expertus dominos, et Apollinem et Nemesin. Hanc avim pedissequam nemo Nonno luculentius Nemesi vindicat g).

Αμφι δε οι πεποτητο παρα θρονον ὀρνις ἀλαστωρ
Γρυψ πτερυγεις, πισυρων δε ποδων κιφιζετο παλμω
Δαιμονος ἱπταμενης ἀυταγγελος, κ. τ. λ.
Circum vero eam prope thronum volabat ales exitialis
Gryphus alatus, quatuor vero pedum elevabatur agitatione
Deae volantis nuntius etc.

Neminem turbet, quod in nonnullis Nonni editis libris, qualis est meus interprete Eilhardo Lubino, qui prodiit Hanoviae 1605., pro γρυψ πτερυγεις legatur Γυψ πτερυγεις, *vultur alatus.* Nam adcuratiores alii codices cum typis expressi, tum manuscripti bibliothecae Caesareae, quos mei causa mihi amicissimus, ac literis Graecis impense deditus Baro Locella inspexit, luculentum γρυψ offerunt, et restituendum hoc vocabulum fuerat, etsi codices omnes in γυψ conspirassent, propterea quod continuo Nonnus huic animali quatuor pedes largitur, quem numerum vulturi negavit natura. At qua ratione Lubinus suum γυψ πτερυγεις potuerit interpretari *aquila alata*, jure mecum mirabuntur vel ipsi linguae Graecae tirones, et quibus hactenus videre aquilam quadrupedem vix licuerit. Simile mendum occurrit in libris Hesychii, in quibus legitur γυπον ἐμεσιν, (in voce Γρυπες.) quae verba apte in γρυπα Νεμεσιος convertit eruditissimus Viscontus h). Numi verba Nonni praeclare stabiliunt, ac praecipue Sides Pamphyliae, adstituto saepe Nemesi grypho. In numis Smyrnae frequenter videas, etiam cum Nemesis abest, ejus famulum gryphum, qui pedem rotae imponit, utroque nimirum attributo, quod saepe in numis factum, numinis ipsius vicem obeunte. Causam, cur is Nemesin sectetur, indigitat Macrobius i). *Nemesis*, inquit, *quae contra superbiam colitur, quid aliud est, quam solis potestas?* At mox diximus etiam, fuisse gryphum Apollinis quoque, id est, solis comitem.

Istud postremum ad explicandos numorum typos monendum, mulierem stantem capite tutulato, d. gubernaculum, s. cornucopiae tenentem, quae omnia esse Fortunae propria novimus, aeque et Nemesin posse putari. Invicte istud comprobat gemma vetus musei Caesarei, quae exhibet mulierem cum omni Fortunae apparatu stantem, et ab accedente Vi-

e) Pausan. L. IX. c. 33. f) In Pluto v. 876. g) L. c. h) Mus. Pio-Clem. T. IV. p. 26. i) Sat. L. I. c. 22.

Digitized by Google

etoria coronatam, addita epigraphe: KTPIA. NEMECI. ЄΛЄHCON. *domina Nemesis miserere.* Hujus causae explicatus pronus. Etenim secundum veteres quae Fortunae, eadem et Nemesi fuere munia, ut copiose explicabimus in numis Diocletiani: FATIS. VICTRICIBVS., et Galerii Maximiani: FORTI. FORTVNAE, in quibus videas, et Fata, et Fortem Fortunam Fortunae attributis instructam, et Forti Fortunae praeterea, perinde ac Nemesi, commodatam rotam, quae quidem tribuitur etiam Fatis in insigni monumento sepulcrali saepius edito, cum epigraphe: FATIS. CAECILIVS. [k]) Quare et marmori inscriptum legas: DEAE. NEMESI. SIVE. FORTVNAE. FELIX. FILIVS. [l]) Atque ex simili causa Nemesis Hygiae quoque ritu in vetere gemma proponitur serpentem ex patera pascens [m]), et Hesychius Αγαθην τυχην interpretatur Nemesin, nimirum quod in hujus potestate situm erat, si modo vindictam cohiberet, salvum esse et fortunatum. De Victoria Nemesi vide, quae indicabo ad numos Claudii cum epigraphe: PACI. AVGVSTAE. Praetereo alia, quae ad Nemesin pertinent, et quae ex mythologis petas; nam hoc loco aliud propositum non fuit, quam explicare Nemesis imagines in numis propositas.

* * *

Prora navis, typus frequens in Smyrnae numis. Adluditur hac ad victoriam maritimam, qua Smyrnaei Bacchanalium tempore Chios repulere [n]). Et erat destinata quaedam triremis, mense Anthesterione in mare mitti solita, et gubernari a sacerdote Bacchi [o]).

* * *

Magistratus ac dignitates.

Vtriusque copiosa variique generis in Smyrnaeorum numis existunt argumenta, naturae partim sacrae, partim profanae, partim domestica, partim Romana.

Asiarcha: ЄΠΙ. TЄPTIOT. ACIAPXOT. in numis Gordiani.

* * *

Summus Sacerdos.

Caput Dianae. ΣΣMTP. EPMIΠΠOΣ. EPMOΓENOTΣ. APXIEPЄ. *Apollo seminudus sedens d. pateram, juxta lyra.* AE. II. (Pellerin. in autonomis.)

Huic simillimus exstat numus alius, sed Philadelphiae Lydiae cusus, de qua re singulari vide hujus numos.

* * *

Prytanes: ΣMTPNAIΩN. ΠPTTANEIΣ. Nomina non addantur, in numo aureo, quem supra inter autonomos primum stiti, et explicavi.

* * *

Praetor: Hunc fuisse vetustum Smyrnae magistratum, docet marmor Oxoniense ordine II., quod continet foedus Smyr-

k) Montfaucon T. V. tab. 38. Gruter. p. 304. l) Gruter. p. 80. m) Buonarrotti Osserv. p. 225. n) Aristid. T. I. p. m. 270. o) Philostrat. vit. Polemon. §. I. Aristid. T. I. p. 230.

Digitized by Google

naeorum cum Seleuco Callinico. Primus praetorem sistit numus sequens:

ЄΠΙ. ЄΡΜΟΓЄΝΟΥ. CΤΡΑ. CΚΡΙΒΩΝΙΟΥ. ΚΛΑΡΟC. ZΜΥ. *Homerus sedens.* Ɪ *Capita se respicientia Neronis et Poppaeae.* AE. II. (Pellerin. Mel. II. p. 37.) At in simili Arigoniano legitur: ЄΠΙ. ЄΡΜΟΓЄΝΟΥC. CΤΡΑ. CΚΡΙΒΟΝΙΟC. - - - ZΜΥ.

ЄΠΙ. ΔΗΜΟCΤΡΑΤΟΥ. CΤΡΑΤΗΓΟΥ. CЄΜΝΟΥ. in numo Domitiani et Domitiae. Vaillantius sic reddit Latine: *Sub Demostrato praetore venerabili* p). Insolens sane: praetorem se dicere *venerabilem*, aut quodcunque aliud laudis epitheton sibi addere. Offert autem epigraphe binos magistratus, Demostratum, cujus munus, ut saepe, non additur, et praetorem, cui nomen *Semni* fuit. Quo adeo exemplo omnis difficultas tollitur, quae in hujus vocabuli explicatione Spanhemium vexavit q).

ΠΟΛЄΜΩΝ. CΤΡΑΤΗΓΩΝ. De hoc Polemone Laodiceno, cujus ingens fuit nomen Hadriani et Antonini Pii aetate, plura dicemus in numis Laodiceae Phrygiae.

Praetores inscripti fuere usque ad extrema tempora, additis nonnunquam Sophistae titulis, ut dicetur.

* * *

Quaestor.

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput juvenile nudum Senatus.* Ɪ ΓΑ. ΚΛ. ΒΙΩΝΟC. ΤΑΜΙΟΥ. ΣΜΥΡ. *Duae mulieres stantes videntur dexteras jungere.* AE. II. (Pellerin. Theupoli.)

Magistratus *Bion* saepius in Smyrnaeorum moneta legitur. Ταμιας Καλλινος Smyrnae proditur in celebri decreto Smyrnaeorum r), et mox infra s): ὁ ταμιας των ὁσιων προσοδων, *quaestor sacrorum redituum.*

* * *

Sophistae:

Hi inde ab Hadriano frequenter in Smyrnae moneta memorantur.

ЄΠΙ. ΚΛ. ΠΡΟΚΛΟΥ. CΟΦΙCΤΟΥ. in numis Hadriani, (Vaill.) M. Aurelii et Faustinae jun. t). Clodius Aurelius Proclus memoratur etiam in marmore Thyatireno, ubi praeterea herois titulo insignitur u), qui forte idem ille est, cujus in his numis fit mentio. Certe Aurelii nomen huic aetati addicit.

ΑΤΤΑΛΟC. CΟΦΙCΤΗC. ΤΑΙC. ΠΑΤΡΙCΙ. CΜΥΡ. ΛΑΟ. Hunc numum Attali, Polemonis Laodiceni filii, explicatum vide in numis Laodiceae Phrygiae.

ЄΠΙ. CΤΡ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ. CΟΦΙ. in numis Severi, ejusque familiae, quos depictos vide in vita Hermocratis apud Philostratos edit. Olearii p. 608., nam hic Hermocrates ibi dicitur audivisse Rufinum Smyrnaeum. Exstat etiam decretum Severi et Caracallae x), quo permittitur postulantibus Smyrnaeis, ut hic Claudius Rufinus praeturam apud eos

p) Num. Graec. p. 26. q) T. I. p. 699. r) Marm. Oxon. II. v. 31. s) Vers. 58. t) Spanheim. de Vest. et Pryt. u) Spanheim l. c. x) Spon. Voyage T. I. p. 403. Marm. Oxon n. 179.

Digitized by Google

ineat, sic tamen, ut vacationem ab aliis muneribus retineat. Ejusdem nominis sophista est etiam in numis Gordiani et Tranquillinae: ЄΠΙ. CTP. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ. CΟΦ. (Vaill. Theup.) et fuere, qui posteriorem hunc eundem cum priore censerent.

* * *

Romanos magistratus ac dignitates offerunt numi sequentes:

Proconsules: Horum dignitas addito ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. saepe manifesta est, at etiam saepe supprimitur, sic tamen, ut evidentibus indiciis certi esse possimus, proconsulum iis nomina contineri, quod ex sequentibus observatis patebit.

CЄΒΑCΤΟC. ΤΙΒЄΡΙΟC. ЄΠΙ. ΠЄΤΡΩΝΙΟΥ. Numum plenius descripsi supra in his ipsis imperatoriis sub initium.

P. Petronium fuisse legatum Syriae initio principatus Claudii, docent numi Antiocheni, quos vide. Sed et Asiae fuisse praepositum, tenemus ex Philone, qui eum *praefecturam adeptum provinciarum Asiae Syriaeque* refert y).

* * *

ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙCΑΡΑ. ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΝ. ЄΠΙ. ΑΟΥΙΟΛΑ. *Caput Caligulae.* Ɪ ΔΡΟΥCΙΛΛΑ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΜΗΝΟΦΑΝΗC. *Drusilla sedens d. spicas, s. hastam.* AE. II. (Vaillant. num. graec. p. 11. Morelli in Impp. T. I. p. 692. et in Fam. Acilia, Haym. T. II. m. p. 230.)

Eadem adversa. Ɪ ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΝ. ΑΓΡΙΠΠЄΙΝΑΝ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΜΗΝΟΦΑΝΗC. *Capita se respicientia Germanici nudum et Aggrippinae.* AE. II. (Morelli in Fam. Acilia.)

De Aviola, qui fuit gentis Aciliae, vide, quae diximus in numis Ephesi, cujus etiam numis imperante Nerone signatis inscriptus legitur proconsul Aviola, qui tamen, etsi ex eadem gente, diversus forte est ab Aviola numorum praesentium. In his Smyrnaei Caligulae cum in sororem Drusillam, tum in parentes vita functos pietatem praedicarunt. Commemorandus hic omnino numus alter, quem totum describere operae pretium videatur.

ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙCΑΡΑ. ΓЄΡΜΑΝΙΚΟΝ. ЄΠΙ. ΑΟΥΙΟΛΑ. *Caput Caligulae.* Ɪ ΔΡΟΥC. ΜΗΝΟΦΑΝΗC. ΠЄΡΓΑΜ. *Drusilla sedens d. spicas.*

Mirum omnino, ac plane singulare, et peculiari examine dignum videtur, numos urbium diversarum, Smyrnae ac Pergami usque adeo conspirare tam inscriptione dempto urbis nomine, quam typis. Deceptos crederem in iis legendis auctores, et in hoc quoque posteriore pro ΠЄΡΓΑΜ. restituendum CΜΥΡΝΑΙΩΝ. Sed vetant istud viri graves, qui in Pergami quoque lectione conspirant, Vaillantius z), Morellius in numis Impp. a), qui tamen hunc Pergamenorum numum in gente Acilia praetermisit, quo loco addit Schlegelius testimonium Havercampi, eundem numum adservari apud Gerardum Schaakium, et Wildium, quanquam Wildii numus perperam citetur, in quo urbis nomen adeo est vitiatum, ut

y) Legat. ad Caium. z) Num. Graec. p. 11. a) T. I. p. 698.

Digitized by Google

ipse eum Epheso tribuendum conjectaret [b]). Ego ut decidere litem non ausim, probabilius tamen esse existimo, lapsos antiquarios legendo in numis nonnihil vitiatis Pergami nomen pro certiore Smyrnae. Quod si existunt, indaganda non modo ratio tantae numorum concordiae, sed etiam an certae rationi, an casui sit tribuendum, quod magistratus utriusque urbis sit *Menophanes*. Simile exemplum, atque etiam perinde insolens vide in autonomis Philadelphiae Lydiae.

Perstringenda hic lectio Vaillantii in simili numo: ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΕΠΙ. ΛΟΤ. ΘΑΛ. quod sic explicat: *Sub Lucio Thallo. Petroniae gentis cognomen est* [c]). Ipsae literae iniquam lectionem confirmant, legendumque in hoc quoque esse: ΕΠΙ. ΑΟΤΙΟΛΑ., neque ausus est ipse hunc numum in suo familiarum opere serius edito profiteri, et reticet eum Morellius quoque.

* * *

ΕΠΙ.Μ.ΣΤΙΛΛΙΟΤ.ΝΕΡΟΤΛΙΝΟΤ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΤ. in numo Vespasiani. (Vaillant, Morelli in Fam. Suillia.)

P. Suillius Germanici quondam quaestor a Tiberio, quod venalia haberet judicia, relegatus est in insulam V. C. 777., paullo post revocatus [d]). Idem imperante Claudio Messalinae studiis nixus praepotens et acer accusationibus, denique sub Nerone in extrema senecta artibus Senecae eversus in Baleares ejicitur V. C. 811 [e]). Hic Suillius esse nequit idem cum Suillio nostri numi, quia ille, etsi rexisse quoque Asiam a Tacito feratur [f]), tamen constanter *Publius*, noster diserte *Marcus* vocatur, et ante Vespasiani tempora in Balearibus consenuit. At teste eodem Tacito imperante Claudio fuit M. Suillius Nerulinus P. Suillii, quem diximus, filius. Nam refert idem [g]), everso Publio filium *Nerulinum* ab accusatoribus petitum Neronis voluntate incolumem evasisse. Rursum Tacitus annum V. C. 803. signat *C. Antistio*, *M. Suillio cos.* [h]), sed cognomina reticet. Viri eruditi, qui consulum collegia stabilire sunt conati, variis hunc M. Suillium cognominibus distinxere, cum illis jam esset *Rufus*, jam *Servilianus*, jam Rufus *Servilianus*, at plerisque *Nervilianus* placuit, quia in fastis Idacii, Anonymi apud Cuspinianum, Prosperi, et Cassiodori legitur: *Vetus et Nervilianus*, ut adeo consules ejus anni essent C. Antistius Vetus, et M. Suillius Nervilianus. At jam ex citato Taciti loco suspicatus est Cuspinianus, pro Nervilianus restituendum Nerulinus. Vide haec latius exposita apud Norisium [i]). Credo, si quod superesset dubium, illud omne praesentiam ope numorum tolli, in quibus diserte memoratur *M. Suillius Nerulinus* proconsul, quanquam, utrum hic sit idem cum illo, qui V. C. 803. consulatum gessit, an hujus consulis filius imperante Vespasiano ad regendam Asiam missus, decidere non possim.

In numis Hierapolis, quos omnes in

b) Sel. num. p. 130. c) Num. Graec. p. 11. d) Tacit. Ann. IV. 31. e) Ibid. Ann. XIII. 42. 43. f) Ann. XIII. 43. g) Ann. XIII. 13. h) L. XII. c. 25. i) Epist. Cons. ad an V. C. 803.

Digitized by Google

moneta hujus Phrygiae urbis plene describam, memoratur M. ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ANTIOXO - Cum omnes hi numi signati fuerint sub Claudio, quo imperante dixi M. Suillium processisse consulem, censuere eruditi non pauci, eum gesto consulatu provinciam Asiam sortitum. At enim hunc Suillium esse potius hominem Graecum, ac domesticum Hierapolis magistratum, in hujus moneta dicemus.

* * *

ANΘT. ITAΛIKΩ. ЄΠI. - - - ЄTCЄBHC. ZMTP. in numo Vespasiani. (Pellerin Mel. II. p. 40.)

Vaillantius ex numo simili luxatam dedit epigraphen: ΣTPAΩΓIΩN. ЄTCЄBHC. ANΘT.

ЄΠI. ITAΛIKOT. ZMTP. MAΓPΩNOC. in numis Titi, (Pellerin.)

Est hic C. Silius *Italicus* non modo poesi, Punicisque suis clarus, sed et gestis maximis magistratibus. Extremo Neronis anno consul, ex Asiae deinde proconsulatu gloriam reportavit. Vide has, aliasque ejus laudes apud Plinium junierem [k]).

* * *

ЄΠI. BΩΛANOT. AKPAIOΣ. vel EPMOΣ. in numis Vespasiani, et Titi et Domitiani adhuc Caesarum. (Vaill. Mus. Caes.)

Bolanus nomen est Romanum, atque etsi proconsulis nomen non addatur, tamen secundum exempla praecedentia, et quae sequentur, proconsulem notat, et constat ex Statio [l]), Vettium Bolanum hac aetate fuisse Asiae proconsulem:

quantusque potentes
Mille urbes Asiae sortito rexerit anno
Imperium mulcente toga.

Hujus Vettii Bolani saepe meminit Tacitus.

* * *

ЄΠI. ΦΛOPOT. ANΘT. in numo Iuliae Titi. AE. III. (Catal. d'Ennery p. 587.)

Videtur hic Florus idem esse cum Mestrio Floro consulari, quem, quod *plaustrum* diceret, non *plostrum*, Vespasianus per jocum *Flaurum* salutavit [m]).

* * *

ЄΠI.KAICЄNNIOT.ΠAITOT.ANΘT. in numis Domitiani et Domitiae, quos vide apud Morellium in Familia Caesennia.

De Caesennio Paeto Asiae proconsule nihil reperio.

* * *

ANΘT. ΦPΩNTЄINO. ut legit Pellerinius [n]), sed Sponius: ΦPONTINOC. ANΘT [o]), et Wise: ΦPONTЄINOT. ANΘT [p]). ΦPONTЄINIANOT. ut legitur apud Arigonium, quam lectionem videtur adprobare similis musei Caesarei. Sed tenenda potius priorum auctorum lectio. Sunt hi omnes autonomi, et offerunt caput Herculis. Numi hi in Trajani

---

k) L. III. ep. 7. l) Silv. L. V. carm. II. v. 56. m) Suet. in Vesp. c. 22. n) Rec. II. p. 84. o) Misc. p. 140. p) Mus. Bodl. p. 10.

Digitized by Google

aetatem removendi; nam Sex. Julius Frontinus consul proditur cum Trajano V. C. 853., ipse illustris famae, et saepe cum honore nominatus coaevis scriptoribus Tacito, Plinio juniori, Martiali, praeterea auctor operis noti de Aquaeductibus urbis. De proconsulatu Asiae nihil proditum reperio.

* * *

ZM. ACI. ΦOTCKΩ. ANΘT. CTPA. POTΦOT. in numo Trajani apud Pellerinium q), et Haymium r), sed qui eum Zelam Ponti vocavit primum, serius agnito errore Smyrnae restituit s). In hoc numo, ut typus Haymianus docet, syllaba ΦOT. sic scripta est, ut et initium vocabuli ΦOTCKΩ constituat, et finem vocabuli POTΦOT. At jure ibi in subjecta nota quaerit Khellius, quomodo POTΦOT. in gignendi casu esse possit, cum ΦOTCKΩ sit in dandi casu? Tametsi videam, alias quoque proconsulum nomina dedicandi formula expressa. Sic paullo supra vidimus: ANΘT. ITAΛIKΩ. — ANΘT. ΦPΩNTINΩ. et in numo Hierocaesareae Lydiae: ANΘTΠATΩ. ΨЄPOKI. Quis sit hic Fuscus, quod cognomen cum multis gentibus Romanis commune fuit, dicere non habeo. De ZM. ACI. agam infra in numis concordiae.

* * *

ЄΠI. ANΘTΠATOT. AΠPONIANOT. in numo Antonini Pii. (Vaill.)

C. Ventidius Apronianus in fastis consul dicitur sub Hadriano ad annum V. C. 876.

* * *

ЄΠI. Є. ЄXON. TΠATOP. ATP. ANTΩN. ЄTTTXOTC. CMTPNAIΩN. *Sub potestatem habente consularem Aurelio Antonino Eutyche*, ut proponit, et reddit Vaillantius ex numo Caracallae musei Medicei. Quam haec lectio, explicatioque sit ἄμυσος, jam alias exposui t). Alioqui Mediceum hoc cimelium labem contraxisse, patet ex Gorio, qui in museo Florentino numum hunc edidit addito iconismo. Quare hactenus de vera ejus numi lectione incerti sumus.

* * *

ΠOΛΛI. ANΘT. perperam lectum ab Harduino in autonomo pro ΠOΛΛIANOT, qui magistratus frequens in Smyrnae numis sub Gordiano.

* * *

Hippicus:

ЄΠI. CTP. M. ATP. ΦIΛHTOT. IΠΠIKOT. in numis Valeriani. (Vaill. Theup.) Item in autonomo Pellerinii: (Mel. I. p. 64.) ЄΠI. ΦIΛHTOT. IΠΠIKOT.

De significatione vocabuli IΠΠIKOT, quod inscriptum etiam reperitur numis Cotiaei Phrygiae, et Gordi Lydiae, et *equitem Romanum* notat, vide quae dicentur Vol. IV. in tractatu de his appellationibus.

---

q) Mel. II. r) T. II. p. m. 266. s) In praef. ad Tom. II. t) Num. vet. p. 187. seq.

Digitized by Google

* * *

Neocoratus. Hic primum simplex observatur in numis Trajani. (Vaill.) Alter incipit sub Commodo, collatum tamen ab Hadriano, colligitur ex marmore Oxoniensi [u]), in quo narrant Smyrnaei, se ab Hadriano ope Polemonis sophistae adeptos δευτερον δογμα Συγκλητω, καθ' ὁ Νεωκοροι γεγοναμεν, *secundum senatus consultum, quo neocori facti sumus*, quibus verbis intelligendus certe neocoratus alter, cum ex numis priorem jam sub Trajano habuerit. In Severi numis apud Vaillantium neocoratus omnis plane dissimulatur. Quare cum subinde in Caracallae et Domnae numis incipiat neocoratus III., censet is hunc Smyrnaeis collatum a Caracalla. Sed ejus fuisse auctorem Severum, docet numus Pellerinii cum ejus Augusti capite, inscriptus CMTPNAIΩN. Γ. NЄΩKOPΩN [x]), qui honos, si fides numo Commodi apud Arigonium [y]), in quo Γ. NЄΩKOPΩN., magis adhuc erit anticipandus, cumque adeo legamus in aliis Commodi numis numerum B, certum erit, hoc eos imperante dictos tertium neocoros. De addito TΩN. CЄBACTΩN. vide, quae continuo dicentur.

* * *

Primatus, Pulchritudo, Magnitudo.

CMTPNAIΩN. ΠPΩTΩN. ACIAC. in numis Commodi et sequentium, etiam omisso ACIAC.

Primatum Asiae jactarunt etiam Ephesus et Pergamus. Vide, quae de hac dignitate observabimus in tractatu de primatu.

CMTPNAIΩN. ΠPΩTΩN. (addito in aliis ACIAC) Γ. NЄΩKOPΩN. TΩN. CЄBACTΩN. in numis Caracallae et Alexandri Sev.

CMTPNAIΩN ΠPΩTΩN. ACIAC. Γ. NЄΩKOPΩN. TΩN. CЄBACTΩN. KAΛΛЄI. KAI. MЄΓЄΘЄI. in numis Caracallae. (Vaill. Spanheim. T. I. p. 648. Haym. T. II. p. m. 330.)

In explicatione ambitiosae epigraphes, quam continet postremus hic numus, admodum variant eruditi, quorum sententias brevitatis causa omitto, contentus proponere eam, quae omnium maxime videtur verisimilis. Eam sic Latine reddo: *Smyrnaeorum*, qui sunt *primi Asiae*, *tertium neocori Augustorum*, primi *pulchritudine et magnitudine*. En rationem eorum, quae controversa videri possint secundum aliorum opinionem.

TΩN. CЄBACTΩN. ad neocoratum pertinere nullus dubito, omnium vero minime ad sequens KAΛΛЄI. KAI. MЄΓЄΘЄI. Istud luculenter probatur I. ex numis proxime citatis, in quibus absolute scribitur: CMTPNAIΩN. ΠPΩTΩN. ACIAC. Γ. NЄΩKOPΩN. TΩN. CЄBACTΩN. nulla mentione alterius elogii. II. ex insigni marmore Oxoniensi [z]), cujus initium ob multiplicem usum hic appono: ἡ πρωτη της Ασιας καλλει και μεγαθει, και λαμπροτατη και μητροπολις, και Γ. νεωκορος των Σεβαζων κατα τα δογματα της ἱερωτατης συνκλητω, και κοσμος

---

u) Num. X. x) Mel. II. p. 291. y) Tab. VI. n. 96. z) Num. V.

Digitized by Google

τῆς Ἰωνίας Σμυρναίων πόλις. Ergo in hac inscriptione se Smyrna neocoram Augustorum aperte profitetur, et quidem secundum decreta sacerrimi senatus. At quorum Augustorum? Repetenda hic sunt ea, quae supra in numis Tiberii et Iuliae ex Tacito docui, nimirum Smyrnaeis permissum fuisse, ut Tiberii et Liviae templa apud eos aedificarentur, atque istud decreto senatus, nam in haec verba Tacitus: *ita rogati sententiam patres Smyrnaeos praetulere.* Haec templa in ejusdem Caracallae numo, quem eodem loco ex museo Caesareo adduxi, conspiciuntur. Haec ergo causa fuit, cur sese Smyrnaei in hoc numo neocoros Augustorum praedicarent, et in marmore quidem etiam jactando honorificum patrum de se factum judicium. III. Cum certum sit, apud eos fuisse templa Augustorum, eodem modo se horum neocoros dixere, ut Ephesii et Magnetes Ioniae se dixere νεωκόρους τῆς Ἀρτεμιδος, quod celebria Dianae templa apud se habuere.

ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. Haec vocabula solitarie quidem sunt posita, at certum est ex allato marmore, subintelligi ΠΡΩΤΩΝ. De pulchritudine et magnitudine Smyrnae vide complura testimonia apud Spanhemium [a]).

* * *

Nomen ab imperatore Hadriano: ΑΔΡΙΑΝΗ. CMTPNA. in autonomo supra citato.

* * *

Certamina.

ΠΡΩΤΑ. ΚΟΙΝΑ. ΑCΙΑC. in numis Severi, vel: ΠΡΩΤΑ. ΚΟΙΝΑ. ΑCΙΑC. ΕΝ. CMTPNH. vel: ΠΡΩΤΑ. ΚΟΙΝΑ. ΤΗC. ΑCΙΑC. ΕΝ. CMTPNH. in numis Maximini, Gordiani, Gallieni.

* * *

Mentio situs.

ΜΕΛΗC. *Meles fluvius decumbens*, in autonomo, (Pellerin.) et in numo Sabinae. (Vaill.)

De hoc Plinius: *Smyrnā amne Melete gaudens non procul orto.* Et Pausanias [b]): *Apud Smyrnaeos longe pulcherrimus est amnis Meles, ad ejus fontes antrum, in quo Homerum aiunt carmina sua scripsisse.* Vide alias amabilis hujus rivi peristases indicatas ab Himerio sophista [c]). Ab hoc fluvio poeta dictus est *Melesigenes*, tanquam apud eum natus, quia et nonnullis creditum, ipsum hunc fluvium Homeri patrem exstitisse [d]). Notus numus Amastrios Paphlagoniae: ΟΜΗΡΟC. *Caput Homeri.* Ꞧ ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ. ΜΕΛΗC. *Fluvius decumbens.*

Fuere, qui alios quoque fluvios in Smyrnae numis signatos censerent. Sic Spanhemius *Clarum* fluvium collegit ex numo Neronis: ΕΠΙ. ΕΡΜΟΓΕΝΟΥC. ΚΛΑΡΟC. CMTPNAIΩN. *Fluvius jacens*, ut testatur Vaillantius [e]). Numus hic pictus exstat apud Morellium [f]). *Clarum* fuisse magistratus nomen, et quidem praetoris, aperte docent numi alii.

---

a) T. I. p. 650. b) L. VII. c. 5. c) Eclog. XIII. §. 31. d) Philostr. in dedic. vit. Soph. e) Num. Graec. p. 347. f) In Neron. tab. XVII. n. 25.

Digitized by Google

Sic: CTPATHΓOC. KΛAPOC. in autonomo, (Pellerin.) et: ЄΠI. ЄPMOΓЄNOT. CTPA. CKPIBONIOT. KΛAPOC. *Homerus sedens*, in numo Neronis et Poppaeae. (Pellerin.) Fluvii humi decumbentis typus non probat, adstitutum vocabulum KΛAPOC esse nomen fluvii, nam tum haberemus etiam fluvium *Rheginum* ex numo autonomi Pellerinii g): ЄΠI. MTPTOT. CTPA. PHIΓЄINOC. *Fluvius decumbens.*

Exstant numi Titi et Domitiani: ЄΠI. BΩΛAANOT. CMTPNAIΩN. ЄPMOC. *Fluvius decumbens.* (Mus. Caes.) Harduinus, (Opp. sel. p. 158) et Pellerinius (Mel. II. p. 366.) in hoc typo causa adscripti EPMOC. *Hermum* fluvium viderunt, tanto certiore fiducia, quia dixit Plinius h): *a Smyrna Hermus campos facit, et nomini suo adoptat.* At enim in Smyrnae numis certum habemus magistratum dictum *Hermus.* In numo Neronis apud Morellium i) est: CTPATHΓOC. ЄPMOC. CMTPNAIΩN. *Fluvius decumbens*, fuitque adeo Smyrnaeis praetor dictus Hermus. Ergo in numo, de quo agimus, sic scriptum est ЄΠI. BΩΛAANOT. ЄPMOC., ut in numo Vespasiani apud Vaillantium: ЄΠI. BΩΛAANOT. AKPAIOC. vel, ut in autonomo Pellerinii: ЄΠI. MTPTOT. PHΓЄINOC. Quare indubitatum videtur, in numis similibus imagine fluvii jacentis Meletem intelligendum. Tametsi negare nolim, praetorem Hermum, quod ejusdem esset cum fluvio nominis, ponenda fluvii imagine ad Hermum fluvium voluisse adludere. Verum epigraphes ratio istud aperte non docet. Tunc enim inscriptum nomen fluvium manifeste arguit, quando infra imaginem jacentem scribitur, aut certe sic solitarie in ejus vicinia, ut commode ad reliquam inscriptionem referri non possit. At vero in numis praesentibus vocabula KΛAPOC et ЄPMOC in orbem, et continue scribuntur nulla orationis interruptione. Quare analogiae causa numum Vespasiani, quem vulgavit Tristanus: ΣMTPNAIΩN. ЄΠI. BΩΛAANOT. AKPAIOΣ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam*, quemque edidere etiam Vaillantius et Harduinus, sic explico, ut existimem, AKPAIOΣ esse nomen magistratus, atque hunc Iovis Ἀκραίου insculpta imagine ad nomen suum adlusisse.

Ad situs mentionem pertineret etiam numus inscriptus ZM. ACI., quod Haymius explicat: *Smyrnaeorum Asiae*, (in praefat. ad Tom. II.) quasi Smyrna se in Asia sitam testaretur. Sed hanc epigraphen aliter legendam videri, mox dicetur.

* * *

Concordiae frequens in Smyrnae moneta mentio. Omissis obviis memorabiliores tantum attingam.

CMTP. AΘHNAI. OMO. CTP. AI. HPAKΛЄIΔOT. *Nemesis alata, et Pallas stantes*, in numo Commodi, AE. I. (Mus. Caes. Vaill.)

Alius similis, nisi quod in antica est. IЄPA.

g) Rec. II. p. 84. h) L. V. p. 280. i) in Neron. Tab. XVII. n. 26.

Digitized by Google

CTNKΛHTOC. *Caput Senatus.* AE. II. (Hunter.)

Fuit et aliorsum Smyrnae cum Athenis nexus. Ea Aristidi dicitur Athenarum colonia [k]), et Smyrnaeus rhetor Athenas Smyrnae metropolin appellat [l]). Numi hi certe signati sunt Smyrnae, quia praetor Heraclides in aliis quoque ejus numis occurrit, ut et in proximo.

CMTP.ΛAKЄΔAI.OMO.CTPA.HPAKΛЄIΔOT. *Cybele sedens, ex adverso vir habitu militari stans*, in numis Commodi. (Mus. Pisani, Vaill.)

Hos quoque Concordiae cum Lacedaemone numos signatos Smyrnae, ex magistratu Heraclide patet.

ACIA. CMTPNA. OMONOIA. *Amazon dexteram jungit cum muliere turrita*, in numo Gordiani. (Vaillant.)

Vaillantius nomine ACIA Asiam proconsularem intelligendam putat [m]), minus recte, ut opinor. Asiae enim, quae fuit Lydiae urbs, habemus autonomum apud Haymium inscriptum ΛΣIЄΩN., et in cujus antica est caput muliebre turritum [n]), apposite ad numi nostri typum. Et hic Smyrnae signatus est; nam inscriptus magistratus Pollianus: ЄΠI. C. ΠOΛΛIANOT. saepe in Gordianeis Smyrnae numis legitur. Eadem cum Asia Lydiae concordia indicata videri possit in numo Trajani apud Pellerinium: ZM. ACI. ΦOTCKΩ. ANΘT. CTPA. POTΦOT. quem edidit Haymius quoque [o]), sed perperam Zelae Ponti tribuit, quem serius errorem agnovit ipse [p]); at non placet, ut ipse vertit: *Zmyrnaeorum Asiae*, quas vero alia extra Asiam ejus nominis urbs exstitisset.

* * *

Formula ANЄΘHKЄ.

Habemus Smyrnae numos cum formula: ΠOΛЄMΩN, vel IЄPΩNTMCC. vel ΘЄTΔIANOC. ANЄΘHKЄ. CMTPNAIOIC. vel CMTPNAIΩN, in numis Hadriani, Antinoi, M. Aurelii, autonomis, sed quos numos in dissertatione singulari describam, et explicabo.

AE. C.

T E O S.

In peninsula, Anacreontis patria.

Autonomi non infrequentes, quorum plurimos congessere Pellerinius et Hunterus. Ex his eminent nonnulli antiquissimi operis, qui parte una gryphum, altera quadratum exhibent. Cum in his epigraphe aut omnis absit, aut, si qua est, in magistratibus tantum occupetur, decidi facile non potest, utrum numi similes huic Teo, an hujus coloniae Abderae Thraciae, quae et ipsa metropolis suae gryphum retinuit, sint adjudicandi. Dixi in numis Abderae, id genus numos anepigraphos magis esse ex ingenio monetae vetustissimae urbium Thraciae signatos, deinde ex certis utriusque urbis numis apparere, raris exemplis contrariis, gryphum Tejorum in ortum, Abderae in occasum spectare. Ex qua lege numi non pauci, quos viri

k) Orat. de Concordia T. I. p. m. 523. l) Gratul. in Smyrn. m) Num. Graec. p. 223. n) T. II. p. m. 105. o) T. II. p. m. 266. p) In praefat. ad Tom. II.

Digitized by Google

eruditi, ac proxime Cl. Combius in catalogo musei Hunteriani, Teum avocarunt, Abderae erunt restituendi.

Ceterum cur gryphus in Tejorum monetam involaverit, certam causam nondum reperi, uti neque, cur eundem in numos suos receperint vicini Phocaeenses. In Smyrnaeis hospitium datum causa Nemesis, cujus is notus assecla. Forte Apollinis cultum indicat, cujus is etiam lateri adhaesit; nam in aliquibus Tei numis cum lyra jungitur. (Pellerin, Hunter, Mus. Caes.)

* * *

Caput Bacchi vel Bacchae hedera redimitum, prae quo thyrsus. Ɪ ΤΗΙΩΝ. *Botrus.* Ɪ AE. III. (Hunter.)

Gryphus. Ɪ TH. vel THI. *Diota, superne botrus.* AR. AE. III. (Pellerin, Hunter.)

Bacchi cultum apud Tejos omnes hi numi eloquuntur, quem et imperatorii frequenter sistunt. Et vero principe eum fuisse apud Tejos loco, et ejus causa Tejorum agrum sacrum et ἄσυλον, comprobant monumenta Teja, quae recenset Chishull q). Ejus cultus causa fuit, quod Teji natum apud se Bacchum credi voluere, ut refert Diodorus Sic. r). Etiam Vitruvius templi, quod ibi Baccho sacrum fuit, meminit s).

* * *

ΤΕΩC. *Caput muliebre galeatum, aliquid galeae simile,* (forte bipennem) *humero gestans.* Ɪ ΤΗΙΩΝ. *Gryphus.* AE. (Catal. d'Ennery.)

Pro ingenio urbium hujus tractus proponitur in antica Amazon Teos, a qua urbem suam conditam jactabant Teji.

* * *

ΑΝΑΚΡΕΩΝ. ΤΗΙΩΝ. *Anacreon nudus stans s. lyram.* Ɪ CTP. ΒΕΡΗΚΟΤΝ. ΔΟΤ. *Figura incerta stans.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 80.)

Caput Neptuni, prae quo delphinus tridenti involutus. Ɪ CT. TI. ΠΕΠΩΝΕ. ΤΗΙΩΝ. *Vir togatus barbatus sedens lyra canit.* AE. II. (Pellerin Suppl. III. p. 104.)

Vt Smyrnaei et Colophonii Homerum suum, sic Teji Anacreontem suum numis intulerunt. De ejus statua Athenis posita Pausanias t): *και οι το σχημα εστιν οιον αδοντος αν εν μεθη γενοιτο ανθρωπω. habitus ejus est tanquam hominis, cum ebrius est, cantantis.*

* * *

Auctor musei Theupoli vulgavit numum: ΟΜΗΡΟC. *Caput Homeri.* Ɪ ΤΗΙΩΝ. *Pallas stans.* Numos Ietarum insulanorum cum hoc contendenti facile patebit, pro ΤΗΙΩΝ legendum ΙΗΤΩΝ.

AR. RR. AE. R.

Imperatorii ab Augusto usque ad Gallienum:

Epigraphe: ΤΗΙΩΝ. *Typus* potior Bacchus stans, de cujus apud Tejos cultu egimus in autonomis.

---

q) Ant. Asiat. r) L. III. c. 65. s) In praef. ad L. VII. t) L. 1. c. 25.

Digitized by Google

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΤΙΣΤΗΣ. *Caput Augusti in templo tetrastylo.* (Morelli Specim. p. 201.)

Augustus dicitur *Conditor*, ut a vicinis Clazomeniis.

* * *

Magistratus praetor obvius, etiam in autonomis.

Neocoratus proditur primum in numo M. Aurelii: ΤΗΙΩΝ. ΝΕΩΚ. (Vaill.) at in aliis M. Aurelii et Faustinae jun. ΤΗΙΩΝ. Β. ΝΕ. (Pellerin. Mus. Christinae.) Videntur neocoratum I. nacti causa templi Augusti, quod ibi stetisse numus citatus docet.

AE. RR.

INSVLAE IONIAE.

ARGENNOS.

Insula ignobilis juxta Maeandri ostia. *Autonomum* dedit Arigonius: *Caput Palladis.* Ɪ ΑΡΓΕ. *Figura etans d. pateram, s.* - - - Ejus judicii rationem nullam video, et verius censeo, tribuendum hunc numum Argis Argolidis, cui similem olim vulgavi [u]).

CHIOS.

Inter insulas ejus tractus nobiliores numeranda.

Autonomi:

Sphinx alata. Ɪ *Leo dimidius alatus.* AV. III. (Pellerin.)

Similem dedit Sestinius, sed pro leone alato dixit aprum marinum alatum [x]). Aper alatus est Clazomeniorum.

Sphinx alata, additis juxta variis minutis sigillis. Ɪ ΧΙΟΣ. *addito magistratu, ut:* ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ. *etc.: Diota in cuspidem desinens, variantibus juxta sigillis.* AR. III. AE. III.

Obvii sunt hi numi ex aere, ex argento rariores. Sphinx fere proprius Chiorum typus, sic ut non dubitaverit Pellerinius, aereum, quem mox descripseram, huc referre. Hujus causa typi hactenus ignoratur, non tamen perinde causa diotae; nam adludere videtur ad vinum Chium magni apud veteres nominis, et credo similem diotam intelligi a Plauto, cum ait, *quasi tu lagenam dicas, ubi vinum solet Chium esse* [y]). Quod reipsa diota est, Froelichius *gyrgillum serico evolvendo* dixit [z]), fors propterea, quod ejus pars una in cuspidem desinit, quae diotae, cui, ut stare possit, basi opus est, convenire non possit. Verum vasa in cuspidem exeuntia in veterum monumentis saepissime conspiciuntur, quae hic citare necesse non est, cum ejus formae diotae fictiles frequentissime Romae effodiantur.

---

u) Num. vet. p. 156. x) Lettere T. IV. 115. y) Curcul. Act. I. Sc. 1. v. 78. z) Not. elem. p. 65.

Digitized by Google

In numis autem binis Pellerinianis hae diotae revera basin habent, eique insistunt. Froelichio, qui gyrgillum putat, probandum adhuc fuerat, sericum tam mature in Graecia fuisse cognitum, (nam antiquissimi cum hoc typo sunt numi apud Pellerinium) aut saltem sic jam vulgatum, ut ejus commercium proficuum esse Chiis potuerit, quod utique proposito in numis gyrgillo notaretur. Satis ex Lampridio constat, adhuc Elagabali aetate rarissimum fuisse sericum, quin ejus veram genesin Graecis adhuc Plinii et Pausaniae aetate fuisse incompertam, docebit Mahudelius [a]), et d'Anvillius [b]), Romanis vero nonnisi sub Iustiniano innotuisse, docent Theophanes apud Photium [c]), et adcurate Zonaras [d]), et Procopius [e]). Epigraphe ΧΙΟΣ in his numis constans est ἐθνικον in recto, ut ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ, ΡΗΓΙΝΟΣ etc.

* * *

ΟΜΗΡΟC. *Homerus barbatus sedens in volumen, quod manibus explicatum tenet, intuetur.* Ɪ ΧΙΩΝ. *Sphinx pedem anteriorem jam diotae, jam prorae navis imponit.* AE. III. (Hunter.) In alio simili: *volumini literis minutissimis inscriptum legitur* ΙΛΙΑC. (Mus. Caes.)

Constat, Chios quoque poetae natales sibi vindicasse, cujus testimonia citavi in mea Sylloge I., quo loco dictum musei Caesarei numum vulgavi, eo singularem, quod volumini inscriptum ΙΛΙΑC. offert. Jam vero et Pollux testatur, Chios Homerum in moneta sua signavisse [f]).

* * *

ACCAPIA. ΤΡΙΑ. *Sphinx pedem anteriorem prorae navis imponens.* Ɪ ΧΙΩΝ. *Bacchus seminudus stans d. cantharum, s. thyrsum, juxta Apollo d. pateram, s. demissa ramum, media inter utrumque ara ignita.* AE. I. (Mus. Caes. Pellerin.) Horum nonnullis inscribitur archon. (Hunter.)

Eadem adversa. Ɪ ΧΙΩΝ. *Diota, intra laureum.* AE. I. II. (Mus. Caes. Pellerin.) Horum quoque nonnullis additus archon.

ACCAPIA. ΔΤΟ. *vel* ΔΤΩ. *Sphinx similis.* Ɪ ΧΙΩΝ. *Hercules stans ad aram,* in aliis: *Diota.* AE. I. II. (Pellerin, Hunter.) addito nonnunquam archonte.

ACCAPION. *Diota inter duo astra. Sphinx similis.* AE. II. (Mus. Caes. Hunter.)

ACCAPION. ΗΜΙCΤ. (in numo musei Caes. ΗΜΤCΤ.) *Duae taeniae ardentes in decussem positae omnia intra coronam hederaceam.* Ɪ ΧΙΩΝ. *Sphinx sedens anteriore pede diotae imposito.* AE. fere I. II. III. (Pellerin, Hunter.)

ACCAPIN. ΗΜΤCΤ. *reliqua ut in praecedente.* AE. III. (Theupoli.)

ΟΒΟΛΟΣ. *Sphinx pede anteriore prorae imposito.* Ɪ *Hercules stans.* AE. I. (Hunter, Theupoli.)

ΔΙΧΑΛΚΟΝ. *Diota inter duo astra.* Ɪ ΧΙΩΝ. *Sphinx, ut in praecedente.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

---

a) B. L. T. V. Mem. p. 219. b) Ibid. T. XXXII. p. 599. c) Cod. 64. d) L. XIV. c. 9. e) Bell. Goth. L. IV. c. 17. f) L. IX. c. 6. §. 84.

Digitized by Google

En tibi catalogum numorum Chiorum, qui valorem, sive pondus disertis verbis exprimunt raro in aliorum populorum numis exemplo. Eos secundum omnes suas causas hic descripsisse satis habeo; nam quod ad inscripta haec valoris vocabula attinet, de iis jam egi in prolegomenis generalibus capite IX., quo loco conjunxi ea omnia, quae se in diversis numis aliis offerunt.

* * *

Magistratus frequenter inscripti, et quidem in antiquioribus, quos primo loco recensui, simpliciter: ΛΑΜΠΡΟΣ, vel ΙΚΕΣΙΟΣ, etc. In argenteo musei Caesarei est ΘΕΟΠΟΜΠΟΣ forte celebris hoc nomine historicus in hac insula natus, cujus varia fortuna enarratur apud Photium g). In numis serius signatis, qualis est cum mentione *trium assariorum:* ΕΠΙ. ΧΡΥΣΟΓΟΝΟΥ. ΤΟΥ. ΕΠΑΦΡΟΔΙΤΟΥ. (Mus. Caes.) addito etiam non infrequenter nomine

Archontis, sic in simili: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΧΡΥΣΟΓΟΝΟΥ. (Hunter) vel: ΕΠ. ΑΡ. ΑΥ. ΧΡΥΣΟΓΟΝΟΥ. (Pembrock. P. II. tab. 8a.) Item: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡΕΙΜΟΥ. (Pembrock l. c.) vel: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡΕΙΜΟΥ. ΔΙΟ. (Pembrock l. c.) vel: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΚΟ. ΟΥΑ. ΠΡΕΙΜΟΥ. (Pembrock l. c. Hunter.) quod interpretor: *archonte Q. Valerio Primo*, quorum ope numorum corrigendam censeo lectionem Pellerinii: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΣΟΟΥΑ. ΠΡΕΙΜΟΥ.

* * *

ΔΗΜΟΣ. ΧΙΩΝ. in numo concordiae cum Erythris Ioniae, quem in harum moneta descripsi.

AV. RRRR. AR. R. AE. C.

Regius.

Sphinx infra quam: ΦΗΣ -- Υ ΒΑΣΙ-ΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Diota, infra:* ΔΩ-ΡΟ - *intra lauream;* AR. III. (Mus. reg. Gall.)

Singularem hunc numum pictum dedit Comes Caylus h). Barthelemyus, qui sua illi observata addidit, jure censet, memoratum in hoc numo Antiochum esse unum ex tribus primis hoc nomine Syriae regibus, reliquis post Antiochi III. ad Magnesiam cladem dominatu Asiae cis Taurum submotis. Tum in Antiochum III. propendet, quem constat, circa annum V. C. 557. Ioniae urbes, quibus praecedentes Syriae reges libertatem permisere, ad imperata facienda vi compulisse. At vereor, ut Antiochus I. et II. excludi jure possint. Antiochus I. de Ionibus praeclare est meritus relata insigni de Gallograecis victoria, qui Asiae, ac cumprimis Ioniae imminebant, in cujus memoriam ei Milesii dedicavere numum, quem alibi vulgavi i). Antiochus II. Milesios a Timarchi tyrannide liberavit, quam ob causam cum hujus quoque capite Milesii numos signavere k). Quod seu per adulationem, seu grati animi causa fecere Milesii, poterat placuisse etiam Chiis aliquo affectis beneficio a prae-

g) Cod. 176. h) Rec. Tom. II. p. 144. i) Num. vet. p. 277. k) Pellerin Rois. p. 66.

Digitized by Google

potentibus his regibus, perinde ac Athenienses vidimus dedicasse monetam Demetrio Poliorcetae, et Mithridati VI. propter varia ab his in se derivata officia.

Imperatorii.

Vnicum Augusti habemus hujus classis, neque hunc cum ejus principis imagine:

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Sphinx.* Ɪ ΕΤΔΗΜΟΣ. ΔΙΟΓΕΝΗΣ. *Diota.* AR. III. (Pellerin Rec. III. p. 224. Hunter.)

Commode in Augustei capitis locum succedit Sphinx Augusto usque eo amica, ut eam annulo insculptam gestaret testibus Suetonio, Plinio, Dione.

Numus Philippi senioris, quem Vaillantius proponit, signatus est Smyrnae, ut mox monebo. Videntur ergo Chii sub imperatoribus non signasse numos alios, quam autonomos.

Concordiam coluit Chius cum *Smyrnaeis:* CTP. ΚΑΠΙΤΟΛΕΙΝΟΥ. ΧΙΩΝ. CMYPNAIΩN. OMONOIA. in numo Philippi senioris, sed hic signatus est Smyrnae, nam haec praetores habuit, Chius archontes, ut in autonomis vidimus. — Cum *Erythraeis* Ioniae, ut diximus in postremo autonomo.

AE. RRRR.

ICARIA.

Proxima ad Samum, nomen traxit ab Icaro desuper illapso, et ab hoc mare Icarium.

Autonomi.

Hujus classis numum dedit Pellerinius: *Caput muliebre nudum.* Ɪ IKAP. *Caput bovis.* AR. III. Numum hunc tanto minus huc referri posse dubitavit, quod typus ipse ad id adludit, quod narrat Strabo, stetisse in hac insula templum Dianae, cui nomen *Tauropolium* fuit. Verum non satis istud expeditum, nam consultus a Neumanno nostro Blondius respondit, in hoc numo legendum videri IKAIV. Ceterum et Goltzius autonomum edidit: IKAPIΩN. *Raptus Proserpinae.* Ɪ *Diana venatrix.*

Imperatorius.

Vnicus cum capite Commodi vulgatus exstat in Catalogo d'Ennery: (pag. 539.) IKAPIЄΩN. *Caput muliebre turritum.* Stephano gentile est Ἰκαρεύς. Si ergo numus hic est genuinus, ejusque epigraphe rite excepta, habemus alterum ejus ἐθνικον Ἰκαρεύς.

AE. RRRR.

PATMOS.

Prope Samum, S. Ioannis exilio celebris.

Autonomus.

Caput juvenile hedera coronatum. Ɪ ΠΑΤΜΟΥ. *Diota.* AE. III. (Catal. Mus. Bentinck Suppl. p. 221.)

AE. RRRR.

Imperatorius.

Severi editus a Vaillantio: ЄN. ΠΑΘ-ΜΩ. ΔΑ., sed quem esse Rhabbathmomae Arabiae, in hujus numis docebitur.

Digitized by Google

SAMOS.

Epheso objecta, insula celebris praecipue a Iunonis cultu, et Pythagorae natalibus.

Autonomi.

Praemonendum, cl. Sestinum locupletem et operosum catalogum edidisse autonomorum, quos hujus esse insulae monetam profitetur, quorumque magna pars ab antiquariis aut urbi alienae fuit adjudicata, aut in incertis habita. Tales sunt: *Caput leonis ore hiante.* Ɪ *Quadratum incusum.* AV. AR. — *Caput leonis ore hiante.* Ɪ *Caput bovis.* AV. pluresque similes alii, quos Cyzicenos, Salaminios Cypri, aut incertos putavere Pellerinius et Combius. Succedunt alii solo Σ notati, de quibus item varium fuit eruditorum judicium. Vide longum horum numorum agmen apud auctorem ipsum [l]). Sitne his viri eruditi dictatis generatim subscribendum, omnino ambigo. Causa illi praecipua, quod in ipsa Samo reperiantur. Verum istud nimium perfunctorie adserit, dicere contentus, *che si ritrovano in Samos*, cum tamen, praecipue in nonnullis, quia insolentiores offerunt typos, majorem dictis fidem facere oportuisset. Vt ergo non negavero, vera esse posse, quaecunque proposuit, sic mihi animus non est, incertis his multum immorandi, quia haec etsi magis explorata, philologiae causas non magnopere juvarent, cujus unius commodis ars nostra servire debet. Ab incertis ergo hujus insulae numis ad certos progrediamur.

* * *

Caput adversum leonis. Ɪ HIHΣIANAΞ. Σ. *vel* ΣA. *Bos dimidius, pone ramus.* AR. I. (Hunter, Pembrock.) In aliis: BATTOΣ. ΣA. — MHTPOΦΩN. ΣA. *vel* ΣA. *solum.* AR. I. II. III. (Hunter.) NANIΣKOΣ. ΣA. (Spanheim T. I. p. 298.)

Caput adversum leonis. Ɪ ΣAMIΩN. *Bos dimidius, juxta arbutum, et pedum.* AR. II. (Hunter.)

Numi priore sede recitati variam sunt fortunam experti. Similem illi, qui inscribitur BATTOΣ. ΣA., Vossius Batto Cyrenaico tribuit [m]), Spanhemius Sardes aut Samum respexit [n]). Postremus Pellerinius Salamina Cypri maluit, cujus et ipse serius judicium sum secutus edito simili ex museo Christinae [o]). At numus alter inscripto plene ΣAMIΩN. dubium omne tollit, numosque hujus naturae omnes illustri nostrae Samo restituendos docet, relictis Salamini solis illis, qui ΣAΛAMINIΩN inscripsere, et alioqui typis quoque differunt, ut patebit Hunterianos et Pellerinianos nomos conferenti. Ex hac Samiorum moneta fluxisse typos in monetam Messanae Siciliae et Rhegii, in Messanae moneta diximus.

* * *

Caput muliebre. Ɪ ΣAMIΩN. *Pavo.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

---

l) Lettere T. III. p. 119. m) Observat. ad Melam. n) L. c. o) Num. vet. p. 238.

Digitized by Google

Iunonis insignem apud Samios cultum hic numus pofitetur. Refert Athenaeus p), in Iunonis Samiae templo esse pavones huic deae sacros, ac propterea Samiorum monetam pavone signari.

* * *

MHNH. CAMIΩN. *Caput muliebre, juxta lunula.* ℞ ΘЄON. CTNKΛHTON. *Caput virile.* AE. (Patin Impp. p. 45.)

Perperam Patinus in numi hujus parte adversa caput Liviae, aversa caput Augusti vidit, cum sint certa capita Lunae, seu Mensis, et Senatus. Acute conjecit Tournefortius q), hunc Samiorum Mensem ad ipsam quodammodo Iunonem Pronubam referri, cujus, ut mox dicetur, summi fuere in hac insula honores. Fuit nimirum eadem cum Iunone Lucina, et praeses nuptiarum, partuum, et purgationis apud feminas menstruae, quod testatus est ipse D. Augustinus r): *De Mena, quam praefecerunt menstruis feminarum*, quorsum adeo adludit vocabulum MHNH, et lunula.

AR. et AE. RR.

Imperatorii.

Sub primis Augustis rariores, inde a Caracalla usque ad Gallienum nihil his vilius, suntque posteriores hi fabricae tam hiulcae, ut dubitari saepe possit, utrum genuini sint.

ΣAMIΩN. *Pavo cum sceptro transverso*, in numis Augusti. (Mus. Caes. Arigoni.) Vide autonomos.

Agrippina junior dicitur ΘЄOMHTΩP, *mater dei*, nempe Neronis, in numo insigni musei Caesarei, quem olim edidi s). Vide hunc titulum explicatum in numis hujus Augustae commatis Romani.

Epigraphe constans: ΣAMIΩN.

Typi:

Iuno Pronuba stans, saepe cum adminiculis, pallio retro a summo ad imum defluo tecta.

Graphice hanc Sami Pronubam descripsit Lactantius t): *Insulam Samum scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Iuno adoleverit, ibique etiam Iovi nupserit. Itaque nobilissimum et antiquissimum templum ejus est Sami, et simulacrum in habitu nubentis figuratum, et sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu celebrantur.*

* * *

Fluvius humi decumbens, typus obvius. — *Meleager aprum venabulo excipiens.* — *Vulcanus super incude arma fabricans.* — Insolentior typus in numis Gordiani et Gallieni: *Vir nudus stans ambabus manibus lapidem praegrandem in arrectum serpentem conjicit.* (Vaill.) Videtur heros is esse Cadmus, a quo serpentem, qui socios peremit, saxo impetitum narrat Ovidius u), et Euripides x), cujus facti memoriam videntur in moneta conservasse Samii, ut Meleagri. At in numo Saloninae musei Caesarei, et Gallieni apud Arigonium luculenta est mulier a summo ad medium corpus nu-

p) L. XIV. p. m. 655. q) Voyage T. II. epit. 10. r) De Civ. dei L. IV. c. 11. s) Sylloge I. p 39. t) De fals. relig. c. 17. u) Met. L. III. sub init. x) In Phoeniss. v. 667.

Digitized by Google

nitatem, quam adeo palam in hoc numo profitentur objecta etiam in ejus antica imagine Romae, cujus honori templum statuerunt.

* * *

Typi in reliquis ejus numis: *Pegasus*, *Aquila*, aliique obvii. AE. II. III. (Pembrock. Pellerin.)

* * *

Caput Apollinis laureatum. Ϟ ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Pegasus volans, in imo variantia nomina:* ΜΕΝΕΚΛΗΣ. ΔΙΟΓΕΝΗΣ. ΜΗΝΟΔΟΤΟΣ. ΣΩΚΡΑΤΗΣ. ΤΙΜΟΚΛΗΣ. AR. m. m. (Pellerin. Mel. I. p. 137.)

Caput Apollinis laureatum. Ϟ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Pegasus volans in imo:* ΜΕΝΕΚΛΗΣ. AR. m. m. (Ibid.) *In alio simili in imo* ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ. Froelich Annal. Syr. p. 63. *In alio:* ΜΕΝΕΤΘΕΤΣ. (Sestini Lett. T. IV. p. 116.)

Cum prioris loci numi argentei, iique volumine suo insignes antea non essent cogniti, eorum quinque solus Pellerinius, unis magistratuum nominibus diversos museo suo intulit. Cum numos altero loco propositos sola epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ a praecedentibus distinguat, ceterum, ut gutta guttae est, simillimos, omnigena haec concordia persuasit Pellerinio, ut Alabandenses, et qui in alteris memorantur, Antiochenses unum eundemque populum putaret, nixus illustri Stephani testimonio: Αλαβανδα, ἡ ποτε Αντιοχεια, qui tamen auctor eo videtur peccare, quod hanc Alabandam ad Maeandrum fl. constituat, et, ut apparet, cum urbe Antiochia eidem flumini adsita, cujus etiam habemus numos, confundat, nisi forte duae fuere Alabandae, ut ipse unus silentibus reliquis scriptoribus omnibus affirmat. Si *Menecles*, qui in utrisque numis proditur, idem est cum illo, quem domo Alabandensem, clarumque oratorem dixere Strabo et Cicero, horum numorum aetatem satis prope teneremus, nam eum sibi puero auditum testatur Cicero [e]). Ex hoc item constaret, satis diu Alabandam Antiochiae nomen tulisse. Argumenta haec satis quidem videntur persuadere, numos hos vario nomine inscriptos ad eandem Alabandam pertinere, at mirum tamen, variare urbis nomen in numis uno eodemque tempore, aut saltem vicino, ut omnia persuadent, signatis. Sane in numis jam inde ab Augusto cusis constanter Alabandae nomen valuit. Conjectura occurrit perinde probabilis, Antiochenses ad Maeandrum et Alabandenses certo quodam consilio, quod, ut plura alia, ignoramus, iisdem in uno hoc numorum genere typis usos, ut usus fuisse constat varias Cretae urbes in imitandis monetae Atticae typis, tum Asiae urbes in signandis cistophoris, et cujus exemplum magis insolens suppeditant numi Smyrnae et Philadelphiae, quin tamen adserere quis possit, Smyrnae etiam fuisse Philadelphiae nomen. Ad haec magistratus, dictus Menecles, perinde esse potuit tam Alabandae, quam Antiochiae, aut unus idemque Menecles, seu sacer, seu profanus magistratus ex-

e) In Bruto c. 95.

Digitized by Google

stitit, ad illud negotium valere potuit, cujus causa eximii hi numi cusi sunt.

Notandum adhuc, numum supra citatum ANTIOXEΩN. ΔHMHTPIOΣ, iniique a Begero Antiochiae Syriae in honorem regis Demetrii I. signatum creditum, atque eundem deinde etiam errorem errasse Froelichium [f]).

AR. RRR. AE. RR.

Imperatorii.

Alabandenses dudum Romanis devoti, ut supra diximus, continuatis deinde obsequiis frequenter cum primorum ex gente Augustea capitibus numos signarunt, quorum mox illustriores citabo. Postremum vidi cum capite Maximi Caesaris.

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Augusti.* Ꜩ ΛΙΟΤΙΑ. ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Caput Liviae.* (Morelli Impp. T. I. p. 424.)

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Capita adversa, laureatum Augusti, et alterum Liviae, media Luna.* Ꜩ ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Caput Agrippae cum corona rostrata, eique adversa capita jugata Caji et Lucii, quibus astra imminent.* (Mus. Christinae apud Noris. Cenot. Pis. diss. II. c. 1.)

Alterius hujus numi capita ex eodem Christinae numo aliter depicta et descripta exhibent Vaillantius [g]), et Morellius [h]), ex quo apparet, numum esse adrosum, neque satis constare, quorum ea sint capita.

* * *

ΚΛΑΤΔΙΟΣ. ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput Britannici.* Ꜩ ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Alabandus heros d. lapidem Alabandicum gestat, s. baculum, addito ad dexteram equo.*

His verbis Harduinus numum musei regii describit. De Alabando heroe principio egimus. Lapidem, quem is manu gerit, ait esse carbunculum Alabandicum, de quo Plinius [i]). Equum explicat secundum Stephanum, qui ait, *Ala* in Carum lingua significare equum.

* * *

Vaillantius in Antonino Pio numum edidit inscriptum ΛΑΡΑΝΔΕΩΝ., quem verisimiliter huc revocandum in Laranda Lycaoniae monebo.

AE. R.

ALINDA.

Mediterranea.

Autonomi:

Caput Herculis. Ꜩ ΑΛΙΝΔΕΩΝ. *Leonis exuviae ex clava suspensae, omnia intra lauream.* AE. III. (Pellerin.)

Noti sunt hi Alindae numi, at minus certum, utrum huc quoque pertineat numus alter ΑΛΙΝΕΟΝ., quem eodem loco obtulit Pellerinius.

Caput imberbe. Ꜩ ΑΛΙΝΔΕΩΝ. *Bipennis.* AE. III. (Sestini Lettere T. III. p. 145.)

AE. R.

Imperatorii.

Tres solum hactenus vulgati, inscriptique ΑΛΙΝΔΕΩΝ. Unus *Augusti* cum attributis Herculis, (Vaill.) alter *Plautillae*, in quo haec dicitur ΝΕΑ. ΘΕΑ. ΗΡΑ. typo Herculis stantis, quem coro-

f) L. c. g) Num. Graec. p. 7. h) In num. Liviae. i) L. XXXVII. §. 25.

Digitized by Google

nat Victoria, (Haym. T. II. p. m. 333.) tertius *Anniae Faustinae.* (Theupoli.)

Archon magistratus in citato Haymiano: ΑΡΧ. ΜΟΤ. ΔΟΤΛΙΑΔΟΤ.
AE. RRR.

ANTIOXIA,

quae et Alabanda.

Vide supra in *Alabanda.*

ANTIOXIA,

ad Maeandrum.

Mediterranea, aedificata ab Antiochio I. Syro a tribus adstantibus mulieribus commonito referente Stephano.

Autonomi:

ΔΗΜΟC. *Caput juvenile.* Ꜩ ΑΝΤΙΟΧЄΩΝ. ΜΑΙΑΝΔΡΟC. *Maeander humi jacens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Mentionem a situ ad Maeandrum dabunt etiam imperatorii.

* * *

Reliqui hujus urbis numi ex fabrica, et epigraphe ΒΟΤΛΗ. ΔΗΜΟC. etc. facile hujus esse Antiochiae intelliguntur.

Etiam insignes argenteos max. mod. inscriptos ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ typo Pegasi, quos Pellerinius Alabandae, etiam Antiochiae dictae, tribuendos censuit, potius esse hujus Antiochiae nostrae, dixi supra in Alabanda.
AR. RRR. AE. R.

Imperatorii:

Ab Augusto ad Saloninam, ex quibus rarissimus Gordiani Africani apud Arigonium, si modo non illusere oculi.

Epigraphe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. et fors ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ, ut in Domitiani numo legit Vaillantius.

ZЄTC. ΚΑΠΙΤΟΛΙЄTC. ΑΝΤΙΟΧЄΩΝ. *Iuppiter sedens d. hastam, s. Victoriolam*, in numo M. Aurelii, (Vaill.) at in numo Antonini Pii musei Caesarei: ZЄTC. ΚΑΠЄΤ - - C. *Idem Iuppiter, sed in templo tetrastylo.*

* * *

Typi alii plerumque Maeander decumbens, Hecate tergemina etc.

Magistratus.

ΣΤΝΑΡΧΙΑ. Vocabulum istud in unius Antiochiae numis observatur hoc modo:

ΑΤΤΑΛΟΤ. ΣΤΝΑΡΧΙΑ. *Caput Liviae.* Ꜩ *Augusti.* (Vaill. Morelli.)

ΠΑΙΩΝΙΟΤ. ΣΤΝΑΡΧΙΑ. *Pallas gradiens*, in numo Augusti. (Haym. T. II. p. m. 215.)

ΜΤΩΝΟΣ. ΣΤΝΑΡΧΙΑ. *Victoria*, in numo Claudii. (Vaill. Morelli.)

Variae sunt antiquariorum de vocabuli hujus sententia opiniones, quas commemorare supervacaneum. Mihi videtur ΣΤΝΑΡΧΙΑ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ significare totum magistratuum collegium, qui Antiochenorum remp. rexere, et quorum decreto signati sunt id genus numi. Constat, in urbibus Graecis potestatem fuisse divisam inter βελην, δημον, γερουσιαν, νεως etc. testantibus istud cum numis, tum longo marmorum agmine. Horum ergo loco separatorum in his numis ponitur Συναρχια, seu collegia omnia uno hoc nomine comprehensa, ac tum additi *Attalus*, *Paeonius*, *Myon* aliud non sunt, quam magistratus epo-

Digitized by Google

nymi. Idem ergo significabit vocabulum Συναρχια, quod in numis Tarsi et Anazarbi ΚΟΙΝΟΒΟΤΛΙΟΝ. Exiguo dissensu existimat Spanhemius, indicari hac epigraphe totum archontum collegium [k]). Eleganter utramque sententiam confirmant marmora, quorum bina tantum lubet recitare. Est apud Muratorium [l]): ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ. ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ. ΠρυτανΕΥΣΑΣ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΣΥΝΑΡΧΟΙ. ΦΙΛΩΤΑΣ. ΙΑΚΧΟΣ. κ. τ. λ. *Apollodorus Apollodori F. prytanis et synarchi Philotas, Iacchus etc.* In alio apud Chandlerum [m]): ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ. ΤΟΥ. ΑΡΧΙΠΡΥΤΑΝΙΔΟΣ. ΚΤΗΣΙΟΥ. ΤΟΥ. ΚΤΗΣΙΟΥ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΣΥΝΑΡΧΩΝ. ΤΩΝ. ΑΥΤΟΥ. ΕΣΤΙΑΙΟΥ. κ. τ. λ. *Curante archiprytanide Ctesia Ctesiae F. et synarchorum ejus Hestiaeo etc.* Habes in utroque marmore summum prytanem cum suis collegis, ut in numis praesentibus Attalum etc. cum collegis suis, qui una συναρχιαν constituerunt. Cum dixisset interlocutor apud Platonem [n]), eos, qui civitatibus praesunt, vocari ἀρχοντας, interrogatus subinde: Τι δ' οι ἀρχοντες ἀλληλους; Ξυναρχοντας, ἐφη. *Quomodo vero archontes se mutuo vocant? respondit: synarchontas.*

Scriba: in numo Domitiani: ΕΠΙ. ΓΡ. Μ. ΑΥΡ. ΓΛΑΥΚΟΥ. (Vaill.)

Curatores, Επιμεληται. ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ. ΕΠΙΜΕΛΗ. ΚΛ. ΑΓΛΑΟΥ. ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ. in numo Domitiani. (Vaill.) — ΤΙ. ΚΛ. ΑΓΛΑΟΥ. ΕΠΙΜΕΛΗCΑΝΤΟC. ΑΝΤΙΟΧΕ. *Bacchus stans cum attributis*, in numo Domitiani. (Pellerin Mel. II. p. 354.)

Epimeletas hactenus habemus tantum in numis urbium Cariae, nimirum Antiochiae, et Stratoniceae. Horum varia munia dabimus in peculiari diatriba.

Concordia cum Laodicenis Phrygiae in numo Commodi. (Vaill.)

Mentio situs: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΑΙΑΝΔΡΟC. *Maeander decumbens*, Gordiani et Decii. (Vaill.) In simili Haymiano: ΜΕΑΝΔΡΟC. (Tom. II. tab. 47.) In alio: *Pons elegans arcuatus*, Decii (Vaill.) *AE. R.*

APHRODISIAS.

Ad fines Lydiae.

Autonomi:

Caput muliebre velatum. Ϫ - - ΟΔΙCIΕΩΝ. ΠΛΑΡΑΣΕΙΩΝ. *scriptum in orbem, in area:* Α. ΤΨΙΚΛΗ. ΑΔΡΑΣΤΟΥ. *Aquila fulmini insistens.* AR. III. (Pellerin Rec. II. p. 130.) *Alius similis, sed cum magistratibus:* ΑΠΟΛΛΩΝΙΩΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ. (Pellerin Additions p. 46.)

Numi hi binos populos continent, Aphrodisienses et Plarasenses. Ex geographis unus Stephanus Plarasae meminit, eamque in Caria statuit. Verum utriusque etiam fit mentio in epistola M. Antonii IIIviri, et in psephismate senatus Romani apud Chishall [o]), quo decernitur, ut templum Veneris, quod est in urbe ΠΛΑΡΑΣΕΩΝ ΧΑΙ ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΩΝ, eo jure sit sacrum, quo Dianae

k) Tom. II. p. 695. l) Pag. 547. 2. m) Inscript. ant. p. 17. n) De rep. L. V. p. 463. o) Ant. Asiat. p. 149.

Digitized by Google

apud Ephesum. Cum bini in his numis proponantur magistratus, dubium non videtur, unum fuisse Aphrodisiadis, alterum Plarasae, quae alioqui fuere vicinae, et sic concordia junctae, et secundum certas leges eadem moneta usae videntur.

Hi numi propter societatem cum Plarasensibus haud dubie ad hanc Cariae Aphrodisiadem pertinent, at minus certe ii, qui sequuntur, nam Stephanus decem hoc nomine urbes enumerat. Probabile tamen est, hujus Cariae urbis esse eos, qui, in antica offerunt capita addito ΒΟΤΛΗ, vel ΔΗΜΟC, vel CTNKΛΗTOC, obvia in numis provinciae Asiae, aut qui certamina Attalea inscripsere.

Typi sunt:

Mulier stans sinistrorsum conversa capite tutulato et velato, manibus nonnihil protensis, superne hinc astrum solis, inde lunae, humi infans sellae insidens, inde vas.

Veneris in hac urbe cultum fuisse eximium, jam ipsum nomen arguit a Venere, ἀπο της Αφροδιτης, inditum, et testantur etiam auctores validi Tacitus p), et Appianus q). Muliebris haec figura, qualem descriptus hic numus sistit, saepe tam in autonomis, quam imperatoriis hujus urbis numis occurrit, videturque esse vetus ipsius Veneris simulacrum ab antiquo in hac urbe cultum, et mysteriis, ceu vetus illud Dianae Ephesiae, circum undique septum, quae explicare non tento. Non tamen desunt effigies Veneris, ejusque comitum recentioris elegantiae, v. g. *Venus stans d. pomum, s. hastam — Venus nuda stans spinam sibi e pede eximere visa subserviente Cupidine. — Cupido stans arcum intendit. — Hymenaeus stans cum face.* — Insolentior typus est: *Corallia, ut videntur, tria velut ex basi quadrata excrescentia.* Sunt hi numi omnes apud Pellerinium.

* * *

Figura fluvii humi decumbens, infra KOPCTMOC. (Haym.) *in alio:* TIMЄ-ΛḢC. (Pellerin.)

Si *Corsymus*, et *Timeles* fluvii fuere, mirum, neutrius apud scriptores veteres occurrere mentionem. Magistratus his nominibus certe non indicatur, cum in autonomis aliis circa hoc aevum signatis constanter omittatur, neque etiam omissum fuisset archontis epitheton, quod inde a M. Aurelio magistratus nomini in imperatoriis semper additur. Ex quo sequitur, fuisse sacros in vicinia fontes a geographis neglectos, de quo vide, quae disputavi in numis Phocaeae Ioniae.

* * *

Ludi *Attalea* notantur etiam in autonomis, de quibus agimus in imperatoriis.

AR. RRRR. AE. R.

Imperatorii.

Habentur ab Augusto ad Saloninam usque. Insignis est numus Did. Iuliani, quem dedit Sestinius, (Lettere T. IV. p. 117.) sed, ut mihi videatur, suspectus.

p) Ann. III. 62. q) Bell. civ. L. I. c. 97.

Digitized by Google

Epigraphe: ΑΦΡΟΔΙCΙΕΩΝ, vel ΑΦΡΟΔΕΙCΙΕΩΝ. *Typi: Mulier stolata stans etc.* ut supra in autonomis, aliique obvii.

Magistratus praeter citatos supra ex argenteis autonomis sine mentione dignitatis:

ΑΠΟΛΛΩΝΙΟC. ΥΙΟC. ΑΦΡΟΔΙCΙΕΩΝ. *Diana πολυμάζος*, in numo Augusti. (Haym. T. II. p. 217.)

Epigraphes hujus binos explicatus adfert Haymius, I. interpretatur: *Apollonius filius Aphrodisiensium*, quasi Apollonium Aphrodisiensem, celebrem historicum et sacerdotem, cujus meminit Suidas, velut suum olim civem in moneta Aphrodisienses voluissent praedicare. II. *Apollonius filius*, nempe cognominis alterius. Vtraque explicatio reprobanda, quia insolentior, et longius quaesita, et adest planior, simpliciorque altera, quae docet, intelligendum *Apollonium filium Aphrodisiensium*, nimirum ab his jure civitatis donatum, et quodammodo adoptatum, de quo urbium adoptionis more plura monebimus in numis Cotiaei Phrygiae.

Archon notatur inde a M. Aurelio: ΤΙ. ΖΗΛΟΥ. ΠΡΩΤΟΥ. ΑΡΧ. vel: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ. in numo Valeriani. In marmore, quod ex Sherarde citat Massonius r), legitur: ΑΦΡΟΔΙCΙΕΩΝ. ΑΡΧΟΥCΙ. ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜΩ. ΧΑΙΡΕΙΝ. κ. τ. λ.

* * *

ΜΕΝΗΠΠΟC. ΚΑΙ. ΖΗΝΩΝ. ΑΝΕΘΕC. ΑΦΡΟΔΙCΙΕΩΝ. in numo Domnae. (Haym. T. II. p. 316.)

De formula ΑΝΕΘΗΚΕ agemus in diatriba singulari.

* * *

Ludi:

ΑΤΤΑΛΗΑ. *urna ludorum*, in autonomo. (Pellerin.)

ΑΤΤΑΛΗΑ. ΓΟΡΔΙΑΝΗΑ. in simili autonomo. (Ibid.)

ΑΤΤΑΛΗΑ. ΓΟΡΔΙΑΝΗΑ. ΚΑΠΕΤΩΛΙΑ. in numo Gordiani. (Vaill.)

ΟΥΑΛΕΡ. idest: *Valeriana*, inscriptum urnae, in numo Valeriani. (Wheler Voyage num. 87.)

Concordia.

Cum Plarasa vicina vidimus in autonomis.

Cum Hierapoli Phrygiae, in numo Commodi (Pellerin Suppl. II. p. 76.)

AE. ER.

APOLLONIA.

Mediterranea ad Maeandrum.

Autonomi.

Caput Iovis. Ϫ ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. *Statua equestris supra flexus Maeandri.* AE. III. (Pellerin.)

Flexus Maeandri Apolloniam huic flumini adsitam testantur, ac praeterea hunc numum Apolloniae Cariae absque dubio vindicant. Addidit Pellerinius binos alios, in quorum uno aquila ramo insistens, in

r) Vit. Aristid. ad ann. V. C. 918.

Digitized by Google

alio Apollo stans, sed qui certum criterium non praebent, esse hujus Apolloniae. Pellerinius ex fabrica conjecturam capit. In his numis dubitandi semper erit ratio, an ad Apolloniam Cariae, an Ioniae, an Lyciae, an Pisidiae pertineant.

AE. RRRR., cum certi sunt hujus Apolloniae.

Alexandri M.

ΑΛΕΞΑ. ΚΤΙC. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ. *Caput regis leonis exuviis tectum.* Ɪ ΑΠΟΛ-ΛΩΝ. ΚΑΙ. ΛΥΚΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Duae mulieres stantes jungunt dexteras.* (Haym. T. II. p. m. 104.)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΚΤΙCΤ. ΑΠΟΛΛΩ-ΝΙΑ. Ɪ ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. (forte certior terminatio in ΤΩΝ.) ΠΕΡΓΑΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. Typi non produntur. (Harduin.)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΚΤΙCΤ. ΑΠΟΛΛΩ-ΝΙΑΤ. *Caput regis leonis exuviis tectum.* Ɪ ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. Κ. ΛΥCΙΑΔΕΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Duo genii muliebres capite tutulato stantes ad aram et dexteram jungentes, quorum alter Apolloniae sigillum Apollinis, alter Lysiadis sigillum Fortunae s. tenent.* (Pellerin Rois p. 21.)

ΑΛΕΞΑ. ΚΤΙC. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ. *Caput simile.* Ɪ - - - ΟΦΟΡΑC. *Fluvius decumbens.* (Theupoli p. 1250.)

Scriptorum nemo memoriae prodidit, cujus Apolloniae conditor fuerit Alexander M., ut adeo, quoniam plures per Asiam minorem exstitere Appolloniae, ut paullo ante innui, difficile sit decidere, ad quam ex his praeclari hi numi pertineant. Harduinus pro Carica stat, rationem tamen non adfert. Consentit Pellerinius ducto a vicinia Apolloniae hujus et Lysiadis Phrygiae argumento. At si istud valet, vi numi Harduiniani praestaret Apollonia Pisidiae, cum haec a Perga Pamphyliae prope abesset. Interea dum certius quid statui possit, possumus in hac Apollonia reliquis hujus tractus illustriore acquiescère.

AE. RR.

Imperatorii.

Qui huc absque erroris periculo referri possent, nondum editi.

BARGASA.

Prope Halicarnassum ad mare.

Autonomi.

Inscripti: ΒΑΡΓΑCΗΝΩΝ, editi ab Harduino et Pellerinio typis obviis.

AE. RRR.

Imperatorii.

A M. Aurelio usque ad Saloninam.

Eadem *epigraphe*, et *typi* vulgares.

Magistratus: ЄΠΙ. ΑΤΡ. ΔΙΩΝΟC. in numis Alexandri et Maximini. (Vaill.) ЄΠΙ. ΚΑΝΔΙΔΟΤ. ΚЄΛCΟΤ. M. Aurelii. (Pellerin.) Nusquam dignitas additur.

AE. RRR.

BARGYLIA.

Maritima.

Autonomi.

Caput virile fascia involutum. Ɪ ΒΑΡ-ΓΥΛΙΗΤΩΝ. *Pegasus volans.* AE. III. (Arigoni Sestini Lett. T. IV. p. 117.)

Digitized by Google

Typi ratio petenda ex Stephano perhibente, urbem sic vocatam a Bargylo, qui percussus a Pegaso diem obivit, at Bellerophontem ex ehari socii fato moestum urbem cognominem condidisse. Autonomum alium praeter hunc editum non reperio.

AE. RRRR.

Imperatorii.

A Tito ad Caracallam pertingunt. (Vaillant. Pellerin.)

Epigraphe eadem, ex *typis* memorandus sequens:

Mulier velata et stolata adversa stans manibus ad pectus in crucis formam compositis, pro pedibus cervus deam suspiciens, in numo Titi. (Pellerin.)

Videtur haec esse Diana Myndias, quae templum prope Bargyliam habuit per miraculum nivi, pluviisque impervium, ut narrant Strabo [s]), et Polybius [t]).

Magistratus praetor: ЄΠΙ. CTP. ΙΟΥΛ. ΠΑΤΛΟΥ. in numo Commodi. ЄΠΙ. CTP. MAPKOY. ΠΑΤΛΟΥ. Caracallae. (Vaillant.)

AE. RRR.

CALYNDA.

De numis tam autonomo, quam imperatorio huic Calyndae falso tributis, et Blaundo Lydiae restituendis vide, quae in hujus moneta observabimus.

CERAMVS.

Strabo et Ptolemaeus Ceramum Cariae urbem, et vicinam Cnido statuunt. Ab hac nomen traxit sinus Ceramicus. Alia Ceramus fuit in vicina insula Arconneso teste Plinio. Vide haec apud Cellarium.

Caput Iovis laur. Ɪ ΚΕΡΑΜΙΗΠΟΛΙΤΩΝ. *Aquila stans, et in ortum spectans, omnia intra quadratum.* AR. III.

Hunc numum huic Ceramo, cujus hactenus numus cognitus non fuit, jure dicavit cl. abbas Sestinus [u]). Obstare non videtur, eam in hoc numo dici *Ceramiepolin*, cum a scriptoribus dicatur *Ceramus*, nam eodem modo habemus Istriam et Istropolin, aliasque, quas citavi in numis Trajanepolis Thraciae.

Videtur hic numus adfundere lucem alteri, quem pridem inter numos incertos musei Caesarei habeo repositum:

Caput Iovis laur. Ɪ ΚΕΡΜΙ - - - ΕΡΜΟ - - *Aquila stans, et in ortum spectans.* AE. III.

Typus utriusque partis non parum adjuvat, ut et nomen ΚΕΡΜΙ., omisso forte monetarii injuria elemento A, ut esset ΚΕΡΑΜΙ.

AR. et AE. RRRR.

CNIDVS.

In Doride peninsula urbs illustris.

Autonomi.

Caput Veneris. Ɪ ΚΝΙ. *Caput leonis pedi anteriori incubans, additur magistratus, ut:* ΑΥΤΟΚΡΑΤΗΣ. etc. AR. III.

Numi obvii. De Venere Cnidia agemus in imperatoriis.

---

s) L. XIV. t) L. 16. c. 11. u) Lettere T. III. p. 132.

Digitized by Google

Sunt adhuc alii argentei aeneique inscripti ΚΝΙΔΙΩΝ typo *tripodis*, *Victoriae*, *prorae navis*. In aliis: *Caput Bacchi*. ℞ *Duo botri*. Vinum Cnidium Straboni laudatum.

* * *

T. K. T. ΕΠΙ. ΝΟΔΡΙΤΑ. *Caput nudum barbatum*. ℞ ΚΝΙΔΙΩΝ. *Ara ignita*. AE. II. (Pellerin.)

Numus sane singularis, quem etiam recenset catalogus Theupoli, sed, ut apparet, male multatum. Literae tres praecedentes aenigma creant, quod qui solverit, magni mihi instar Apollinis erit. Ceterum dubium non est, eas ad propositum caput pertinere, quod forte sistit conditorem Cnidi heroicos honores adeptum. Fuit hic teste Pausania [x]). Triopas, cujus varii feruntur parentes, ab aliis Sol, ab aliis Neptunus [y]). Vt tamen aliquid audeam, etsi conjecturae diffidam ipse, sic forte leterae expleri possunt: Τυχη Κνιδων Τριοπας. Viderit lector, an verisimile satis istud videatur secundum ea, quae aliquando de hac urbium Fortuna disserui copiosius [z]). Hic Triopas ut conditor, et divina stirpe satus dignus sane fuit, cui Τυχης honor deferretur, et ara dedicaretur, quam postica exhibet.

* * *

Notandi adhuc nonnullorum lapsus. Argenteum hac revocavit Pellerinius cum typo navis; verum hujus generis numuli Cianis Bithyniae sunt restituendi, ut dixi in horum moneta. Alium Haymius argenteum typo equitis et leonis dimidii, cetera anepigraphum, huc refert [a]), verum is est Archelai I. Macedoniae regis, ut etiam in subjecta ibi nota recte advertit Khellius.

AR. C. AE. R.

Imperatorii.

Comperti a Nerva ad Plautillam usque se porrigunt.

Typi.

Venus pudica stans d. tegenda tegit, s. vestem tenet, in numo Caracallae, (Vaill.) et Caracallae cum Plautilla. (Haym. T. II. p. m. 332.)

Dubium non est, esse hanc ipsam celebrem illam Venerem Cnidiam, opus Praxitelis, quam ut viderent, multi navigaverunt Cnidum, et qua una satis ea urbs nobilitata habebatur, ut narrat Plinius [b]), cujusque illecebras graphice describit Lucianus [c]). Cum Aesculapius sociatur, credo indicari concordiam Cnidi cum vicina insula Co. Istud Veneris simulacrum propter operis excellentiam una cum Iunone Samia, et Minerva Lindia translatum Constantinopolim, sed imperante Iustiniano fortuito incendio haustum refert Zonaras [d]).

Ara ignita, ut in numo crediti a me Triopae, in numo Antonini Pii. (Vaill.)

ΚΝΙΔΙΩΝ. ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΗΣ. *Nympha stolata stans d. amphoram, s. hastam, aut baculum transversum*, in numo Faustinae jun. (Arigoni.)

---

x) L. X. c. 11. y) Diodor. L. V. c. 61. z) Num. Vet. p. 183. a) T. II. p. 142.
b) L. XXXVI. c. 5. c) in Amorib. d) L. XIV. c. 2.

Digitized by Google

Ludos Nymphis, Apollini, et Neptuno ad vicinum Triopium promontorium constitutos fuisse narrat scholiasta Theocriti e).

Magistratus, et sine dignitatis mentione, in hoc tantum numo habetur.
AE. RR.

CYON.

Incerto situ in Caria, cujus unus Stephanus meminit.

Autonomi.

Caput Dianae. ☧ KTITΩN. *Pedum pharetrae illigatum, omnia intra lauream.* AE. III. (Pellerin.)

KT. *Equus dimidius saliens.* ☧ *Pedum pharetrae illigatum.* AE. III. (Pellerin.) In alio scriptum KTI. (Sestini Lett. T. IV. p. 118.)

Stephano quoque hujus urbis ἐθνικὸν est KTITHΣ.
AE. RRRR.

Imperatorius.

Unus Domnae compertus: KTITΩN. *Mulier adversa et hastata sedens.* (Pellerin.)
AE. RRRR.

ERIZA.

Autonomus.

Huic urbi tribuitur a Pellerinio:

KAOC. *Caput Iovis.* ☧ EPI.. *Miles galeatus nudus gradiens, s. clypeum.*

De hac urbe Livius f): *Tertio inde die ad Chaum amnem perventum; inde profecti Erizam urbem primo impetu ceperunt.* Pellerinio igitur το KAOC. videtur designare dictum flumen, at non satis fideliter amnem illum scribit *Caum*, qui si sic scriberetur Livio, nulla superesset ambigendi ratio. Verum in ejus exemplaribus plerumque legitur *Chaum*, etiam *Casum*, vel *Cahum*, quod adeo Pellerinii sententiam nonnihil sollicitat. Eriza magis serius cognita ex Notitiis ecclesiasticis.
AE. RRRR.

EVROMVS.

Mediterranea prope Mylasa. *Autonomie* caret.

Imperatorius.

Unicus vulgatus, isque Caracallae.

ZETC. ETPΩMETC. ETPΩMEΩN; *Iuppiter ut Labradaeus velut in truncum desinens in templo 4. columnarum.* Verba sunt Vaillantii.
AE. RRRR.

HALICARNASSVS.

Maritima, regum Cariae sedes, et Mausolei nomine ab Artemisia structi, tum et Herodoti et Dionysii natalibus inclyta.

Autonomi:

Epigraphe: ΑΛΙΚΑΡ. *Typi: Caput Palladis.* ☧ *Caput adversum, forte Medusae.* — *Caput Neptuni.* ☧ *Tridens.* — *Caput Iovis.* ☧ *Tripus.* Sunt AE. II. III. (Pellerin. Savorgnan.)

---

e) Ad Eidyll. XVII. v. 69. f) L. XXXVIII. c. 14.

Digitized by Google

Fuere Halicarnassenses coloni Troezeniorum Peloponnesi. Cum vero horum moneta teste Pausania signata fuerit tridentis nota, et Palladis capite, propter hanc ipsam causam videntur Halicarnassenses suam capite Palladis et tridente, metropolis suae insignibus, ornasse. Vide, quae de his numis olim prolixius disserui g).

AE. RRR.

Imperatorii.

Agrippinae Claudii edidit Panelius ex museo le Bret. (Mém. Trevaux. Octob. 1737.) Proximus est Commodi. (Neumann Num. populor.) Sequuntur alii usque ad Gordianum. (Vaill.)

Epigraphe: ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ.

Typus hujus urbis peculiaris:

Iuppiter togatus complicatis manibus stans inter binas arbores, quarum singulis avicula insidet, in numis Severi, Caracallae, Gordiani. Iconismum habes apud Vaillantium in numis Graecis appendice fol. h 2.

Verisimile est, hoc typo exhiberi Iovem Dodonaeum, de quo sic Servius h): *Dodona civitas Epiri est, juxta quam nemus est Iovi sacratum, et abundans glandibus semper, de cujus nemoris arboribus columbae oracula petentibus dare consueverant.* Plura testimonia, quae argumentum hoc explicant, vide collecta a Thoma Pinedo ad Stephanum in Δωδωνη, et in fragmento ejusdem Stephani sub eodem vocabulo. Multa etiam, quae huc pertinent, habes in opere: *Description des pierr. grav. du Duc d'Orleans T. I. p.* 21. et *B. L. Hist. T. V. p.*35.

* * *

Magistratus archon inde a Severo, non tamen ideo, quod Halicarnassenses essent Athenarum coloni, quod Vaillantius perperam ex Strabone adserit i). Nam hic perinde, atque Pausanias, et Stephanus, conditam a Troezeniis dixit.

* * *

Neocoratus memoratur in unico numo Caracallae et Getae: ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. (Vaill.)

* * *

Metropolis: ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ.ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. *Iuppiter Dodonaeus inter arbores, ut supra*, in numo Severi. Eum Spanhemius testatur a se visum in museo reg. Christinae k). Holstenius eundem citat ex Gotifredo, cujus numi in museum Christinae migrarunt l). Nullus numus alius ab aliis citatus hujus dignitatis mentionem facit. Quare merito suspicatur Harduinus, numum aut male lectum, aut epigraphen ΑΡΧ. CΤΡΑΤΟΚΛΕΟΤC., quae saepe in Severi numis cum eodem typo occurrit, ab impostore in ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. depravatum.

* * *

Autonoma. ΑΤΤΟΝΟΜΩΝ. in numo Getae musei Medicei teste Spanhemio m).

g) Num. vet. p. 208. h) ad Virg. Georg. I. v. 147. i) Num. Graec. p. 192. k) Tom. 1. p. 626. l) Not. ad Steph. m) Orb. Rom. p. m. 289.

Digitized by Google

At in numo Getae ejusdem musei apud Vaillantium vice hujus tituli legitur NЄΩ-KOPON., nisi numus diversus est.

* * *

Concordia cum Ionibus: ΑΛΙΚΑΡ-ΝΑCCЄΩΝ. ΚΑΙ. ΙΩΝΩΝ. ΑΡΧ. etc. in numo Caracallae et Getae, qui in Cimelio Vindob. Part. II. p. XIII. pro genuino est editus, at mihi oppido suspectus videtur.
AE. RR.

HARPASA.

Mediterranea prope Maeandrum, ad fluvium cognominem, ut refert Plinius.

Autonomi.

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput Senatus.* Ʒ ΑΡΠΑCΗΝΩΝ. *Bacchus stans.* AE. III. (Pellerin.)

* * *

Apud Arigonium alius inscriptus ΑΡΠΑ huc revocatur, at non dubitem, eum esse Carthaeae in Cea insula sitae, ut ibi dictum.
AE. RRRR.

Imperatorii.

Antonini Pii, Severi, Gordiani apud Vaillantium, alium Mamaeae addidit Haymius. Typus fere constans: *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam.*

Magistratus: ЄΠΙ. ΛЄΩΝΙΔΑ. in numo Ant. Pii. Idem nomen legitur etiam in autonomo Stratoniceae.
AE. RRR.

HERACLEA.

Autonomum

Musei Hunteriani huc vocat Combius. *Caput Herculis barbatum nudum.* Ʒ ΗΡΑΚΛΕΩΤΩΝ. *Figura habitu curto stans d. pateram, s. bipennem.* AE. II. Qui numus si vere est hujus Heracleae, huc pertinebit etiam ratione similis aversae sequens.

Imperatorius.

ΓΑΥΚΩΝ. ΙЄΡЄΥC. ΗΡΑΚΛЄΩ-ΤΩΝ. *Figura habitu curto stans d. pateram s. bipennem*, in numo Augusti. Eum Haymius Heracleam Ioniae refert [n]). Res dubia. Figura cum bipenni, quae Amazon est, Ioniae et Cariae urbibus familiaris.

HYDRELA.

Versus Phrygiam, cujus meminit Livius [o]), et narrat Strabo, Hydrelum Laconem in hunc tractum venisse, et urbem sibi cognominem aedificasse, de quo vide plura infra in Nysa.

Autonomus.

ΥΔΡΗΛЄΙΥΩΝ. *Protome Palladis.* Ʒ ΑΠЄΛΛΑC. ΑΝЄΘΗΚЄ. *Mercurius stans.* AE. III.
AE. RRRR.

IASVS.

In parva insula infra Miletum, insigniter locuples teste Thucydide [p]).

---

n) T. II. p. 214. o) L. XXXVII. c. 56. p) L. VIII. c. 28.

Digitized by Google

Autonomi.

Caput Apollinis, vel: Capita jugata Apollinis et Dianae. Ꞧ. ΙΑΣΕΩΝ. *in aliis:* ΙΑ. *addito magistratu, ut:* ΠΡΟΞΕΝΟΣ. *vel:* ΚΤΗΣΙΑΣ. *Puer delphino vectus.* AE. II. III. (Pellerin., Mus. Caes.)

Numi hi mirabilem amorem sistunt, quo delphin formosum quendam hujus urbis puerum prosecutus est, tam subinde apud Iasenses celebratum, ut etiam teste Polluce παιδα δελφινι ἐποχημενον, *puerum delphino vectum*, in moneta sua signarent q), quod factum his numis praeclare confirmatur. Etiam Aelianus testatur, Iasenses prodigium istud monetae argenteae et aeneae insculpsisse r). Sed argenteus Iasi numus hactenus compertus non est. Vide copiosos auctores veteres, qui παιδεραστιας hujus meminere, citatos a Kuhnio ad dictum Pollucis locum.

* * *

Caput Iovis. Ꞧ. ΙΑCЄΩΝ. *Flos loti.* AE. III. (Arigoni.)

Cum simili typo exstat etiam numus vicinae Myndi.
AE. RR.

Imperatorii.

ΣЄΒΑΣΤΟΣ. ΙΑΣΕΩΝ. *Caput Augusti.* Ꞧ. *Protome Dianae cum arcu et pharetra.* AE. III.

Numum hunc museo Caesareo intuli, edidique in mea Sylloge I. Hactenus ante Domitianum urbis hujus numus cognitus non fuit. Porriguntur deinceps usque ad Gordianum. In reliquis *Epigraphe* ΙΑCЄΩΝ, at in Gordiani numo ΙΑCCЄΩΝ, ut plerumque geminato S veteribus haec urbs scribi est solita.

Typi obvii, in Gordianeo adhuc sistitur delphin παιδερασης.
AE. RR.

IMBRVS.

Castellum in Peraea Rhodiorum.

Autonomus.

Caput juvenile laureatum. Ꞧ. ΙΜΒΡΟΤ. *Vir gradiens d. demissa ramum s. pateram.* AE. III. (Pellerin.)

Numus hic, quo minus tribui possit Imbro insulae ad Thraciam, judice Pellerinio repugnat fabrica, et quae in hujus numis exstare solet, inscriptio ΙΜΒΡΙΩΝ. Res non satis certa.
AE. RRRR.

MYLASA.

Inter illustriores Cariae urbes, sed magis deorum templis, quam privatorum domibus incolisque abundabat. Vnde jocus Stratonici citharoedi, qui huc veniens artis ostentandae causa stans medio in foro exclamabat: ἀκουετε ναοι, *audite templa* s).

Autonomi.

ΜΥΛΑΣΕΩΝ. typis *equi gradientis, bipennis, tridentis, aquilae.* Sunt aenei omnes. (Mus. Caes. Pellerin, Arigoni.)

---

q) L. IX. c. VI. §. 84. r) Nat. anim. L. VI. c. 15. s) Athenaeus L. VIII. p. m. 348.

Digitized by Google

Causa bipennis et aquilae mox dabitur.

AE. RR.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Elagabalum. Cum Augusti capite complures signati, quorum nonnullos infra producam. At constat etiam, templum Romae et Augusto sacrum in hac urbe stetisse, quod pictum exstat apud Chishull [t]).

Typus Mylasae numis proprius:

Iuppiter stans togatus d. tenens bipennem, s. hastam.

Est hic Iuppiter Labrandensis, sive, ut dicitur in vetere marmore: ΔΙΟΣ. ΛΑΒΡΑΥΝΔΟΥ [u]), sic dictus a vicino pago Labranda, in quo pervetustum templum habuit. De hoc Iove frequens mentio apud Strabonem, Pausaniam, Herodotum, aliosque, sed explicatius apud Plutarchum, qui refert [x]), bipennem, quam Hippolyta Amazon gestabat, hac vero caesa Hercules Omphale Lydae dono dedit, a qua deinceps penes Lydorum reges mansit, a Caribus in praelio ademptam fuisse Lydis, et Iovi suo in manus datam, unde dictum eum fuisse Labradeum, quod *Labra* in Lydorum lingua *bipennem* significet. Sed reliqui auctores appellationem a vicina Labranda trahunt, qui tamen apparens dissensus facili conciliatur. Hic Iuppiter Labrandensis saepe occurrit in numis regum Cariae. Ad hunc Iovem referenda bipennis et aquila in autonomis.

* * *

Magistratus scriba. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΟΝΤΟΣ. ΤΒΡΕΟΥ. in numo Augusti. (Morelli Impp. T. I. p. 402.) Fuit hic Hybreas teste Strabone [y]) Mylasae obscuro loco natus, sed meritis illustris civitatis princeps evasit, ex quibus praecipuum illud, quod Labieno cum Parthis V. C. 714. Asiam vastanti ipse fortiter restitit. Expugnata deinde a Parthis Mylasa, atque his iterum depulsis in patriam rediit, seque et urbem in integrum restituit.

ΣΕΒΑΣΤΩ. ΜΥΛΑΣΕΩΝ. *Bacchus in citis quadrigis.* Ϟ ΘΑΛΑΣΤΟΣ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. *intra quernam.* (Morelli. l. c.) Sed Vaillantius legit ΘΑΥΜΑΣΤΟΣ.

AE. RR.

Numum Polemonis sacerdotis Olbae perperam ad hanc Mylasam vocavit Liebeus [z]), ut dicetur in Olba Ciliciae.

MYNDVS.

Urbs maritima.

Autonomi.

Caput Iovis. Ϟ ΜΥΝΔΙΩΝ. ΜΗΝΟΔΩΡΟΣ. *Lotus.* AR. II. (Pellerin, Sestini Lettere T. III. tab. 2.)

Eodem utriusque partis typo numum in vicina Iaso cusum supra protuli.

* * *

Alios aeneos cum typis obviis vide

t) Ant. Asiat. p. 207. u) Chandler Inscr. ant. p. 18. x) Quaest. Graec. p. 301.
y) L. XIV. p. m. 974. z) Goth. num. p. 407.

Digitized by Google

apud Hunterum et in meis Numis veteribus.
AR. RRRR. AE. RR.

Imperatorii.

L. Veri et Severi apud Vaillantium. In horum postremo
Magistratus archon: APX. ΔIΩNOC. TOT. ΔIOΦANTOT.
AE. RRR.

NYSA.

Prope Maeandrum et Tralles Lydiae, quare reipsa a Strabone Lydiae accensetur; at Ptolemaeus, Plinius, Stephanus eam in Caria locant, etsi trans Maeandrum esset posita, nam geographi aliqui Cariae fines ultra hoc flumen prorogant.

Autonomi.

Capita jugata virile laureatum barbatum, muliebre alterum. Ɪ NTΣA. *Bacchus stans d. cantharum, s. thyrsum.* AE. III. (Pellerin.)

Censet Pellerinius, hunc numum alterius esse Nysae posse. Verum tuto huic Cariae Nysae tribuendum puto, quod idem Bacchus eodem cultu in certis imperatoriis hujus urbis comparet. Capita anticae, quae Pellerinius esse Iovis, et Iunonis censet, mallem dicere Plutonis et Proserpinae, quorum eximium fuisse Nysae cultum ex imperatoriis quoque videbimus.

* * *

Caput dei Mensis lunae impositum. Ɪ NTCAЄΩN. *intra coronam.* AE. III. (Pellerin.)

De deo Mense agemus in imperatoriis.

* * *

IЄPA. CTNKΛHTOC. *Caput muliebre Senatus velatum.* Ɪ NTCAЄΩN. *Mercurius stans.* AE. I. (Pellerin.)

ЄIPHNH. NTCAЄΩN. *Caput Pacis.* Ɪ ЄΠ. ΑIΛ. ΠAIANIOT. Apollo nudus stans. AE. III. (Liebe p. 336.)

ΠATЄΩOΣ. ΣΩNΩN. *Apollo s. ramum stat juxta tripodem, cui serpens obvolvitur.* Ɪ NTΣAЄΩN. *Raptus Proserpinae.* AE. III. (Sestini Lettere T. IV. p. 118.)

Epigraphe anticae nullo sensu ab alio magis integro opem exspectat.
AE. RRR.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Gallienum.
Epigraphe constans NTCAЄΩN.
Typi illustriores:
Pluto rapiens Proserpinam in quadrigis.

Typus hic in Nysae numis obvius. Vtrumque numen inter principes urbis deos habitum festa Theogamia hic instituta docent, de quibus infra. Narrat etiam Strabo [a]), haud procul urbe pagum fuisse Nysaeorum nomine Acharaca, et in eo Plutonium, lucum habens opulentum, et templum Plutonis et Iunonis, (Hραc, ut habent codices, at jam pridem erudite conjecit Spanhe-

a) L. XIV. p. m. 960.

Digitized by Google

mius in epistola Π. ad Morellium, legendum Κρας) et antrum Charonium, juxta quod mirabiles curationes peraguntur, de quo vide etiam Eustathium [b]).

Mensis. Frequens et hujus dei typus, cultu solito. Singulari eum religione a Nysaeis fuisse observatum, numi cum ejus effigie copiosi docent. De deo Mense, quem hactenus antiquarii passim Lunum dixerunt, agemus in numis Antiochiae Pisidiae.

ΚΑΜΑΡΕΙΤΗϹ. ΝΤϹΑΕΩΝ. *Mensis cum attributis stans d. pateram, s. hastam*, in numis Hadriani, et Aurelii. (Vaill.) Ant. Pii. (Mus. Caes.)

ΚΑΜ. ΑΝΚΤΡΑΝΩΝ. ΝΤϹΑΕΩΝ. *Mensis stans*, in numo Ant. Pii, quem vidi ipse Romae in museo Christinae.

Kamar Arabice *lunam* significat, et inde verisimile est Camarinae Siciliae nomen factum, quae lunae quoque symbolum in numis suis signavit, ut alias pluribus probare conatus sum [c]).

ΔΙΟΝΤϹΟϹ. ΝΤϹΑΕΩΝ. *Bacchus stans*, in numis Sabinae et Severi. (Vaill.)

Fuit Nysaensibus colendi Bacchi causa eximia. In eorum enim urbem a Mercurio delatum Bacchum recens natum, tradidit Apollodorus [d]), ipso etiam urbis nomine Bacchi nomini adfini; nam ut fabulatur Nonnus [e]), Iuppiter, quod infantis, femori suo insuti, pondere pressus claudicabat, eum appellavit Διονυσον.

ΝΤΣΟΣ ὁτι γλωσσῃ Συρακοσσιδι ΧΩΛΟΣ ἀκουει.

Eo quod Νυσος *lingua Syracusia CLAVDVS dicatur.*

ΑΘΤΜΒΡΟϹ. ΝΤϹΕΩΝ. *Athymbrus nudus et juvenis stans ad aram, d. pateram, s. hastam*, in numis Aurelii, (Pellerin.) et Maximini. (Vaill.)

Egregie hos numos illustrat Strabo [f]). *Fama est, venisse Lacedaemone fratres tres, Athymbrum, Athymbradum, Hydrelum, et urbes condidisse sibi cognomines, quas cum incolae subinde deficerent, ex iis Nysam fuisse conditam. Et nunc quoque Nysaenses Athymbrum urbis conditorem (αρχηγετην) perhibent.* Secundum hoc et Stephanus: Αθυμβρα πολις Καριας προς Μαιανδρῳ, Αθυμβρη κτισμα, ἡτις μετα ταυτα Νυσσα ἐκληθη. *Athymbra urbs Cariae ad Maeandrum, Athymbri opus, subinde Nyssa appellata.*

ΠΛΟΤΤΟΛΟΓΗΣ. ΝΤΣΑΕΩΝ. *Juppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam*, Vespasiani. (Pellerin.) In alio scriptum ΠΛΟΤΤΟΛΟΓΟϹ. M. Aurelii Caes. (Sestini Lett. T. IV. p. 118.)

Hic *Plutologes* videri posset magistratus, verum cum in nullo cognito hactenus Nysae numo memoretur magistratus sine addito scribae titulo, et adjectae urbis vocabulo inscriptiones similes constanter numen aliquod, aut heroem indicent, ut ex ΚΑΜΑΡΕΙΤΗϹ, ΔΙΟΝΤϹΟϹ. ΑΘΤΜΒΡΟϹ vidimus, videtur etiam praesens ΠΛΟΤΤΟΛΟΓΗΣ esse

b) Ad Dionys. Perieg. v. 1153. c) Num. vet. p. 16. d) L. III. c. 4. §. 3. e) L. IX. v. 19. f) L. XIV. p. m. 961.

Digitized by Google

Iovis epitheton, quo nomine forte apud Nysaenses colebatur. Narrat Pausanias fuisse prope Lacedaemonem fanum Iovis Πλυσιυ g), cujus cultum Lacones, Nysae, ut vidimus, conditores in hac urbe stabiliverint nomine Πλυτολογυ, quod eandem fere cum Πλυσιος significationem habet. Orpheus supplicat Iovi, uti sibi praeter alia det Πλυτυ δοξαν ἀμεμπτον, *divitiarum honorem inculpatum* h). Alio nomine hic Iuppiter vocabatur Κτησιος, in cujus cultu adsidui fuere illi, qui optabant opes sibi suas augeri i).

* * *

Taurus a puerulis nudis ad sacrificium effertur, in numo Maximi. (Vaillant, et ejus exstat inconismus ibid. p. 145.)

Egregie iterum hunc numum explicat Strabo. Is loquens de annuo festo ad dicta Acharaca in Plutonis honorem celebrato addit: atque tunc circa meridiem juvenes et ephebi e gymnasio nudi et uncti taurum humeris in antrum exportant, qui dimissus cum paullulum accesserit, exanimatus concidit k). Similis ritus in Neptuni honorem celebrati meminit etiam Homerus l):

ὡς ὁτε ταυρος
Ηιγυγι ἑλκομενος Ἑλικωνιον ἀμφι ἀνακτα
Κιρων ἑλκοντων, γανυται δε τε τοις Ενοσιχθων.

ut cum taurus
Mugit vi tractus Heliconium circum regem
Adolescentibus trahentibus, gaudet vero his Neptunus.

* * *

Pastor nudus stans manibus adprehendit puerum, quem pede dextero in aerem sublevat, in imo pedum, verba sunt Vaillantii in numo Aurelii, sed in museo Theupoli est *pastor sedens*, ut et in alio, qui editus est in Cimelio Vindobonensi, sed quem ob multas causas spurium agnosco. Credo hoc typo aliud non indicari, quam exercitium gymnasticum, ut revera fuisse apud Nysam γυμνασιον των νεων, narrat Strabo m).

* * *

Magistratus scriba constanter legitur inde ab Augusto usque ad Gallienum, et quidem in numo Augusti: ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ. ΓΡΑΜ. (in monogrammate) ΤΟ. Β. ΝΤΣΑΕΩΝ. *intra coronam.* (Pellerin.) Froelichius similem ex Granelliano edidit, at in vitiato numismate legit: ΤΙΒ. ΚΑΙΣΑΡ. ΓΡΑΜ. et sic multa de Tiberio, cum apud Rhodum moraretur, a Nysaensibus honoris causa constituto scriba perperam disputavit n). Verum jam ipse suae coepit diffidere sententiae, cum serius in numum Maffeii similem, sed certa scriptura ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ incideret, ut ipse ibidem profitetur.

* * *

Sacerdos et idem *scriba*: ΕΠΙ. ΓΡ. Μ.

---

g) Lacon. c. 19. h) Hymn. XIV. i) Isaeus orat. VII. de haered. Giron. k) L. XIV. p. m. 961. l) Il. T. 403. m) l. c. n) 4. Tent. p. 155.

Digitized by Google

ΑΤΡ. ΜΟΤCΩΝΙΟΤ. ΙЄΡЄΩC. ΝΤCΑЄΩΝ. ΝЄΩΚ. in numo Aurelii, (Vaill.) sed in alio musei Theupoli το ΓΡ. omittitur.

* * *

Neoceratus tantum legitur in numo mox citato, et mirum videatur, hunc honorem deinceps omissum.

* * *

Ludi:

ΘΕΟΓΑΜΙΑ. *intra lauream*, Valeriani. (Vaill.)

Id est: *Epithalamia* in honorem Plutonis et Proserpinae, quae numina quam studiose coluerint Nysaenses, satis constat ex praecedentibus.

ΟΙΚΟΤΜЄΝΙΚΑ. iisdem Theogamiis adduntur.

* * *

Concordia cum Ancyra Phrygiae in numo Ant. Pii supra citato, et Hadriani, de quibus vide Ancyram Phrygiae.

* * *

Numum Gordiani, in quo Vaillantius legit: ΝΤCC. ΚΤΘΟ. ΙЄΡΑC., non esse hujus Nysae, sed Nysae Scythopolis Samaritidos, in hac docebitur.

AE. R.

ORTHOSIA.

Mediterranea ad Maeandrum.

Autonomi:

ΟΡΘΩΣΙЄΩΝ. *Caput Bacchi.* Ϫ ΑΡΙΣΤЄΑΣ. *Thyrsus.* AE. III. (Pellerin.)

ΣΤΝΚΛΗΤΟC. *Caput nudum Senatus.* Ϫ ΟΡΘΩΣΙЄΩΝ. *Raptus Proserpinae.* AE. II. (Pellerin.)

Fuit Orthosia Nysae vicina, a qua facile communionem sacrorum traxerit.

Alios vide apud Harduinum, et Haymium.

Typi et inscriptiones suadent, hos numos ad hanc potius Orthosiam, quam alteram Phoenices pertinere.

AE. RR.

Imperatorii.

Tantum sub Augusto et Vespasiano cogniti.

ΟΡΘΩΣΙЄΩΝ. *Raptus Proserpinae* in numo Augusti, quem Vaillantius inique Orthosiae Phoenices largitur, ut jam correxit Pellerinius °). Rationem typi dedi in autonomis. Alter similis est in museo Caesareo.

ΟΡΘΩCΙЄΩΝ. scriptum utrinque. *Juppiter aetophorus Laodicenus*, in numo Augusti, quem olim ex museo Magni Ducis edidi. (Num. vet. p. 209.)

In numo Vespasiani apud Arigonium est figura in quadrigis, sed et in hoc numo fors minus integro raptum Proserpinae suspicor.

AE. RRR.

PLARASA.

De hujus *autonomo* argenteo actum supra in Aphrodisiade Cariae.

°) Rec. II. p. 129.

Digitized by Google

PYRNVS.

In Peraea Rhodiorum testibus Plinio et Stephano.

Autonomus.

Caput solis adversum. ☧ ΠΤΡΝΗΩΝ. *Concha.* AE. II. (Pellerin.)
AE. RRRR.

STRATONICEA.

Mediterranea prope Alabandam, sic vocata a Stratonice Antiochi I. uxore, sed varia olim alia habuit nomina, quae latius commemoravi in meis Numis veteribus pag. 210., quorsum lectorem remitto.

Autonomi:

Victoria gradiens. ☧ CTPATONIKЄΩN. *intra coronam.* AE. fere II. (Pellerin.)

Typus hic non obscura est ad urbis nomen adlusio.

CTPATONЄIKIA. *Caput muliebre turritum.* ☧ ЄΠ - - INOT. CTPATONIKЄΩN. *Diana venatrix.* AE. (Haym. T. II. p. 185.)

Capite anticae videtur proponi urbis genius.

CTPATONЄIKЄ. *Bellerophon Pegasum freno ducens.* ☧ CTPATONЄIKЄΩN. *Ara ignita inter duas taedas ardentes.* AE. III. (Adpendic. Com. Cristiani.) Alium similem dedit Pellerinius, nisi quod epigraphe anticae est: ЄΠΙ. C. Λ. ΘЄO — MOT. et Pegasus in numo forte non satis nitido careat alis.

Caput muliebre laureatum. ☧ CTPATONIKЄΩN. *Pegasus volans, in area* B. AE. III. (Pellerin.)

De his typis satis olim disserui in meis Numis veteribus p). Nimirum haec urbs olim dicta fuit *Chrysaoris* haud dubie a Chrysaore Pegasi fratre, et verisimiliter structa a Lyciis, apud quos Bellerophonti magnus honos. Versabatur etiam hic heros in Caria, nam Bargyliam urbem condidit, ut in hujus numis dictum. Ara cum facibus ad Hecaten pertinet, quae illustre ibi templum et annuos conventus habuit, a quibus sacris urbs etiam *Hecatesiae* nomen tulit. Huc etiam haud dubie pertinet numus illis, quos primo loco citaveram, fere similis, nimirum: *Pegasus volans, infra quem* BЄΛ. ☧ IЄPATΩN--- *Ara ignita inter duas taedas ardentes.* Haymius hujus numi index eum Hierapoli Phrygiae tribuit q), verum, ut apparet, in hoc quoque numo per aevum vitiato legendum CTPATON - - et videntur literae BЄΛ. positae pro Bellerophonte, qui in numis similibus aliis ipse adest, et Pegasum freno ducit, ut vidimus.

* * * *

IЄPA. CTNKΛHTOC. *Caput Senatus.* ☧ INΔЄI. ΘЄA. PΩMH. *Caput muliebre, ex cujus fronte exiguus tutulus turget.* AE. III. (Pellerin Mel. I. p. 9.)

Argumenti causa addo imperatorios sequentes:

INΔЄI. CTPATONЄI. *Juppiter sedens d. pateram, s. hastam,* in numis Trajani. AE. II. (Pellerin l. c. Arigoni.)

p) L. c. q) T. II. p. m. 132.

Digitized by Google

ΙΝΔΕΙ. CTPA. CTNKΛΗ. in alio: ΙΝΔ. ΘΕΟC. CTNKΛΗTOC. *Caput Senatus laureatum*, in numis Hadriani. AE. (Mus. Caes. Magni Ducis, et Savorgnan.)

Ab his numis docemur, ut erudite primus explicuit Pellerinius [r]), Stratoniceam dictam quoque fuisse *Indicam*, vel alio nomine adfini ducto certe ab *Indis*, quo nomine non fluvius modo in Caria exstitit, cui teste Livio nomen fecit Indus ab elephanto dejectus [s]), sed etiam ipsa Caria, aut saltem ejus pars compellata fuit, quod copiosius, et additis ad Pellerinium novis observatis stabilire conatus sum in meis Numis veteribus, quo loco binos similes vulgavi.
AE. RR.

Imperatorii.

A Trajano et Hadriano, de quibus egi in autonomis, usque ad Valerianum.

Typus frequentior: *Juppiter stans* vel *sedens d. pateram, s. hastam.*

Videtur esse Iuppiter Chrysaorius, cujus hic illustre templum stetit, quique ab omnibus Caribus eximie cultus fuit [t]). Reliqui typi obvii.

* * *

Nomen ab Hadriano praefert in numo insigni Valeriani: ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. CTPATONIKΕΩΝ. quem edidi in meis Numis vet. p. 210. Item in alio Caracallae max. mod. musei Pisani, et testatur Stephanus, Stratonicenses revera ab Hadriano conditore nomen istud sibi adscivisse.

* * *

Magistratus tam in autonomis quam imperatoriis nulla mentione dignitatis, ut: ΕΠΙ. ΛΕΟΝΙΔΟΥ. — ΕΠΙ. ΚΛΑΤΔΙΟΥ. ΑΡΙCΤΕΟΥ. Videtur tamen habuisse στρατηγον, *praetorem* secundum autonomum Pellerinii supra citatum, et alium Caracallae musei Pisani.

Epimeletes, id est: *curator*. ΕΠΙΜΕΛΗ. ΤΙ. - - ΑΡΙCΤΕΑ. in numo Severi. (Neumann Num. popul.)

De munere ἐπιμελητου, qui tantum in numis duarum Cariae urbium, Antiochiae et Stratonicese legitur, agemus in diatriba singulari.

* * *

Vaillantius numum Ant. Pii sic describit: ΚΛΑΤ. ΑΡΙCΤΕΑC. CTPATO. *Imperator eques dexteram attollens*, eumque argenteum vocat [u]). Sed videtur esse idem, quem in numis aeneis Graecis Augustorum fere simili modo describit. *AR. dubius AE. RR.*

TABA.

Mediterranea incerti situs ab aliis Cariae, ab aliis Lydiae tribuitur, a Livio ad Pisidarum fines constituitur [x]), ex quo saltem probabilis ejus situs inter tres has regiones, quae fere inter se contiguae fuerunt, colligi potest.

---

r) L. c. s) L. XXXVIII. c. 14. t) Strabo L. XIV. p. m. 660. u) Num. praest. T. II. p. 164. x) L. XXXVIII. c. 13.

Digitized by Google

Autonomi:

TABHNΩN. *Caput Bacchi.* ℞ TABH-NΩN. *Neptunus stans.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.) In alio epigraphe aversae: ΣΕΛΕΥΚΟΣ. ΔΡΑΧΤΑΛΙΔΟΥ. (Haym.)

Miratur Haymius, in numis urbis mediterraneae existere Neptunum, quare maritimam urbem has Tabas putat. At non permittunt istud Livii verba, quem citavi; quod vero ad Neptuni typum attinet, omni eum cura liberat Strabo lequens de Apamenis Phrygiae y), *quapropter*, inquit, *decet ab iis Neptunum coli, quamvis sint mediterranei.*

* * *

ΙΕΡΟC. ΔΗΜΟC. *Caput laureatum.* ℞ TABHNΩN. *Fortuna stans*, in aliis: *Vrna supra mensam, in nonnullis juxta caput anticae est* B. AE. II. (Pellerin, Haym.)

* * *

Confer etiam numos Tabarum Decapoleos, nam nonnulli, quos eruditi his hactenus tribuerunt, Tabis nostris sunt restituendi.

Huc etiam haud dubie pertinent autonomi alii, in quibus perperam lectum ΓABHNΩN pro TABHNΩN, quique adeo perperam Gabam Ituraeae vocati fuerunt.

AE. RR.

Imperatorii.

A Caio et Lucio Caes. ad Gallienum usque. In illorum numo: TABHNΩN. AΘHNAΓΟΡΑΣ. Γ. intra coronam. (Pellerin Rec. III. p. 217.)

Typus frequentior: *Diana venatrix stans cum pileo Phrygio, ex adverso stans Mensis habitu curto cum pileo item Phrygio d. pateram, s. hastam tenens.*

Magistratus sine mentione dignitatis in autonomo et imperatorio citatis. Legitur tamen

Archon in numis Caracallae, et Gallieni apud Pellerinium z) ut: ΕΠΙ. ΑΡΧ. Μ. ΑΤΡ. ΔΟΜΕCΤΙΚΟΥ. TABHNΩN. N. quae postrema litera videtur Pellerinio indicare

Neocoratum a), sed quod minus certum. *AE. RR.*

TRAPEZOPOLIS.

Mediterranea prope Maeandrum.

Autonomi.

ΤΡΑΠΕΖΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Caput Mensis.* ℞ ΚΛΑΤΔΙΟΣ. ΡΟΝΤΗΣ. *Caput juvenile laureatum.* AE. III. (Pellerin.)

ΔΗΜΟC. vel ΙΕΡΑ. ΒΟΥΛΗ. cum typis obviis. (Pellerin, Hardain.)

AE. RR.

Imperatorii.

Commodi et Severi apud Vaillantium, inscripti ΤΡΑΠΕΖΟΥΠΟΛΕΩC. typo dei Mensis, aliis Luni. Sed Froelichius b), et Pellerinius c) suspicantur epigraphen male lectam pro ΤΡΑΠΕΖΟΝΤΙΩΝ, dictosque numos restituendos Trapezunti

y) L. IX. p. m. 868. z) L. c. a) Rec. III. p. 218. b) IV. Tent. p. 246. c) Mel. II. p. 112. et 130.

Digitized by Google

Ponti, ut jam ad hujus urbis numos notavi. Eorum conjectura nititur potissimum typo Lunae, qui fere constans est in Trapezuntis numis. At cum ejusdem Lunae, verius Mensis, caput compareat etiam in autonomo hujus Trapezopolis, ut vidimus, nulla est ratio, eos propter typum hunc huic Cariae urbi adimendi. *AE. RRR.*

TRIPOLIS.

Mediterranea ad Maeandrum.

Autonomi:

Hi paucis demptis offerunt in antica: ΔΗΜΟC, vel: ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC., vel: ΙЄΡΑ. ΒΟΥΛΗ. Aversa plerumque Latonae, numinis in hac urbe principis, ut numi docent, cultum praedicat sic:

ΛΗΤΩ. ΤΡΙΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Latona sedens d. hastam.* (Patin pag. 405. Mus. Caes.) In aliis: *Eadem gemellos ulnis complexa intra templum, aut stans juxta mensam, super qua urna certaminum* nempe Latoniorum, de quibus in imperatoriis. AE. I. II. (Pellerin, Mus. Caes.)

ΔΗΜΟC. *Caput muliebre.* Ʒ ΛΗΤΩ-ЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *intra coronam, foris in orbem:* ΤΡΙΠΟΛЄΙΤΩΝ. (Wheler Voyage n. 50. sed ubi perperam legitur ΗΤΡΟ-ΠΟΛЄΙΤΩΝ.)

De his ludis vide imperatorios.

In aliis: *Juppiter Laodicenus, Nemesis, Diana, Hercules, Bacchus.* (Hunter.)

Mentio situs a Maeandro. V. imperatorios.

AE. RR.

Imperatorii.

Vaillantius unum Augusti reperit, plures a Caracalla ad Saloninam usque. Postea reperti bini alii aevi Augustei:

ΓΑΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput nudum Caii Agrippae F.* Ʒ ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΑΠΟΛ-ΛΩΝΙΟΥ. ΑΝΔΡΟΝ - - *Amazon cum bipenni in equo.* AE. III.

Numum hunc olim ex museo Com. Vitzai vulgavi [d]). Ergo et Tripolitani Amazonem urbis suae auctorem credidere. Proponitur in equo, quod in numis rarius. In contorniatis Penthesileam equitem habemus, et refert Arrianus, quamvis fide dubia, Alexandro M. oblatas centum Amazonas equites, quae secures pro hastis, peltas pro scutis gestabant [e]).

ΙΟΥΛΙΑ. *Caput muliebre velatum.* Ʒ ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Pluto Proserpinam rapiens.*

Exstat in catalogo musei Theupoli. Ejus Auctor capite anticae exhiberi Iuliam Augusti uxorem censet, mallem Iuliam Augusti filiam, Agrippae uxorem, et Tripolitani, qui filium in aere signarant, videntur et matri hunc honorem habere voluisse.

* * *

ΑΥ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙΑΝΟC. CЄ. ΔΑΚΙ-ΚΟC. *Trajanus Martis more galeatus*

d) Num. vet. p. 215. e) L. VII. c. 13.

Digitized by Google

nudus stans d. hastam, s. tropaeum. Ϟ ΘΕΟ-ΔΩΡΟC. B. ЄΧΑΡΑ. ΤΡΙΠΟΛ. *Caput juvenile laureatum.* AE. I. (Pellerin Rec. III. tab. 128. n. 2.)

Eadem adversa. Ϟ ΘЄΟΔΩΡCC. B.-- ΠΟΛΙΝ. *Caput muliebre turritum.* AE. I. (Ibid. n. 3.)

AT. KAI. TPAIANOC. CЄB. ΔAK.-- *Trajanus paludatus stans s. hastam, dexteram adstituto tropaeo imponit.* Ϟ ΘЄΟ-ΔΩΡΟC. B. ЄΧΑΡΑ. ΤΡΙΠΟΛ. *Protome Dianae.* AE. I. (Haym. T. II. p. m. 268.)

Alius similis, sed in Ϟ ΤΡΙΠΟΛ. *Protome Palladis.* AE. III. (Mus. Caes. Patin.)

Haymius numum suum huic Cariae Tripoli tribuere non dubitavit, at de vocabulo ЄΧΑΡΑ pronunciare nihil est ausus. Pellerinius Tripoli Ponti proprios esse voluit, I. quia Byzantio sunt adlati, II. quia fabrica differunt a numis Tripolis Cariae, qui sunt obvii. III. quia in hujus numis magistratus non comparet. Vocabulum ЄΧΑΡΑ explet ἐχαραξε, putatque indicari, a Theodoro statuas Trajani in antica propositas fuisse erectas. Verum ego cum Haymio potius huic nostrae Tripoli vindicandos censeo, et esse ex eorum numorum genere, qui per certam tantum causam signati sunt, qualis fuerit forte factum aliquod singulare ac temporarium, quod non modo ex singulari vocabulo ЄΧΑΡΑ. verisimile fit, sed etiam, quod in illis unus perpetuo Theodorus legitur. Ejus exemplum obvium praebeant tot dedicationis numi suadente adulatione in Antinói honorem signati etiam ab iis populis, qui ceteroqui nullam aliam nomine suo monetam percussere. Quae causa est, cur ejus generis Tripolitarum numi neque ante, neque post Trajanum compareant.

Quod vero hos numos hujus esse Tripolis putem, aliam rationem non habeo, quam quod haec fuerit illustrior, illa autem Ponti castellum tantum, et locus perobscurus, a Plinio et Arriano in periplo Euxini tantum in transcursu memoratus, et apud quem adduci non possum ut credam, numos tam illustres signatos. Fateor quidem, loci ignobilitatem generatim non obstare, quo minus aliquo tempore illustres edere numos potuisset, nam fuere urbes, quae simul creverunt, simul corruerunt, sed tamen cuperem vel unicum certum argumentum, quod eos in Pontum potius avertendos suaderet. Ea, quae Pellerinius adfert, magnopere sunt infirma. Adlati sunt numi Byzantio, quasi vero ex Caria eo derivari non potuissent. Ait, differre fabrica a numis Tripolis Cariae, qui sunt obvii, verum an obvii ante Caracallam, cujus aetate priorem ipse non novit? atque ad hunc inde a Trajano habemus intervallum centum facile annorum, quod majus est, quam ut de fabrica liceat tuto judicare. Ait, non comparere in Tripolis Cariae numis nomina magistratuum, quod judicium eliditur numo Caii Caesaris a me supra prolato, qui ignotus erat Pellerinio, et numo Augusti apud Vaillantium, in quo ЄΠΙ. - - ΤΡΤΦΩΝΟΣ. Quin eadem haec magistratus mentio Pellerinii sententiam labefactat, nam in nullo Ponticarum urbium numo, si Neocaesaream demus, magistratum certum habemus,

Digitized by Google

at frequentes in Cariae et Lydiae numis.

Quod ad vocabulum ЄΧΑΡΑ. attinet, neque in hujus explicatione mihi cum Pellerinio convenit. Quis enim credat, de Theodoro Tripolis magistratu dici: ἐχαραξε, id est: *sculpsit* statuam? Dicimus sane: Pericles aedificavit Athenis Acropolin, sed non dicimus: Pericles sculpsit statuam Minervae, et nescio an probe Graece dicatur: χαραττειν ἀγαλμα, pro ποιειν, γλυφειν etc. Si epigraphe ad erectas a Theodoro statuas adluderet, credo, non discessum foret a solita formula ἀνεθηκεν, aut analoga quadam alia ad illud, quod in moneta Latina literis F. C. indicatur. Planissime vero hanc ejus sententiam evertit adjectum ΤΡΙΠΟΛΙΝ numi secundi, cui praeire vocabulum item ЄΧΑΡΑ. analogia suadet, etsi numus ea parte sit lacer. Quaeso, quid manifestum hunc accusandi casum regit? an ἐχαραξε? Ergo Theodorus sculpsit Tripolin? An non ex eo manifestum fit, το ЄΧΑΡΑ. referendum ad Tripolin, non ad statuas? Alium igitur epigraphe explicatum desiderat, ac verisimiliter me judice vocabulum illud explendum est legendo ЄΧΑΡΑκωσε, vel ЄΧΑΡΑκιζε a χαρακοω vel χαρακιζω, *vallum circumdo*, sic ut totius epigraphes: ΘЄΟΔΩΡΟС. Β. ЄΧΑΡΑ. ΤΡΙΠΟΛΙΝ. sensus sit: *Theodorus iterum* in magistratu constitutus *vallo cinxit Tripolin*, dignum factum, quo Theodorus in moneta publice gloriaretur, quo securitatem urbi, et diis patriis, qui in his numis proponuntur, sartam tectam praestabat. Prorsus analoge ad hanc numi epigraphen legas in numo Sepphoris Galilaeae: ΤΡΑΙΑΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ЄΔΩΚЄΝ. *Trajanus imperator dedit*, quidquid illud fuit, tum et in singulari numo Amasiae Ponti: ЄΡΜΗС. ΚΤΙСΑС. ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ. *Mercurius urbis conditor.* Eodem modo in marmore Ancyrano celebrantur laudes incerti cujusdam ΣΤΝΠΛΗΡΩΣΑΝΤΟΣ. Κ. ΑΦΙЄΡΩΣΑΝΤΟΣ. ΤΗΙ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΤΟ. ΤЄΙΧΟΣ. *qui moenia metropolis* (Ancyrae) *complevit, et consecravit* f).

* * *

Mentio situs a fluvio Maeandro: ΜΑΙΑΝΔΡΟС. *Fluvius decumbens*, in autonomo, (Pellerin.) et in numo Maximini (Vaill.)

* * *

Ludi ΛΗΤΩЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. intra lauream, in autonomo citato, et in numo Gallieni. (Vaill.)

Latonam, in cujus honorem ludi ΛΗΤΩЄΙΑ acti sunt, inter principes fuisse Tripolis deos, vidimus in autonomis, et videbimus in proximo concordiae numo.

* * *

Concordia cum Laodicenis Phrygiae: ΤΡΙΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ.

f) Montfaucon palacogr. p. 167.

Digitized by Google

OMONOIA. *Latona stans cum gemellis in ulnis, ex adverso Juppiter Laodicenus*, quo typo utriusque urbis numen habemus, quod apud singulas fuit praecipuum, in numo Philippi sen. (Mus. Caes.) et Saloninae. (Vaill.)

* * *

Magistratus sine mentione dignitatis in numis Augusti, Caii Caes., et Trajani citatis.
AE. RR.

REGES CARIAE.

In regibus Cariae, aut ejus partis pro instituto nostro unam spectamus Maussolli familiam, quia haec una opes numismaticas reliquit. Reliquos vide in Reinero Reineccio, et in historia Cariae conscripta a Sevino g). Stirpis conditor *Maussolus I.* nobilis conjuge *Artemisia*, quae Xerxis socia praelio ad Salaminen ipsa interfuit, animi virilis femina. Ex hac gente post prodiit inclytus jam numis

HECATOMNVS.

Ab Artaxerxe Mnemone praefectus classi adversus rebellem Evagoram Cypri regem, sed quem cum evertere jussus esset, clam pecunia juvit. Mortuus circa annum V. C. 373. Filios habuit *Mausollum II.*, *Hidriea*, *Pixodarum*, filias *Artemisiam et Adam*, suis singulas fratribus nuptas.

Numi:

EKATOM. *Leo gradiens.* ℞ *Juppiter Labrandensis gradiens d. bipennem, s. hastam.* AR. II. (Beger Th. Br. T. I. p. 266.)

De Iove Labrandensi apud Mylasam culto actum in numis hujus urbis. Placuit hic typus, quod teste Strabone h) Mylasa patria fuit, et regia Carum, qui cum Hecatomno fuerunt. Eum Hecatomni exemplo retinuere reges successores, etsi Halicarnassi regiam figerent.
AR. RRRR.

MAVSSOLLVS.

Hecatomni F. belli ac pacis artibus praestans, ingens nomen adeptus est. Regno magnis accessionibus aucto, Halicarnasso, quorsum regiam sedem transtulit, magnificis substructionibus exornata moritur V. C. 401. (V. Sevinum l. c. Lucian. dial. mort. 24)

Artemisia Maussolli soror et conjux in regno succedit, illudque cum laude administrat. Sed ex omnibus virtutibus enituit maxime fides ac pietas in maritum, cui vita functo monumentum struxit, *Maussolleum* appellatum, teste Strabone, Plinio, aliisque inter septem orbis miracula habitum, quamvis illud perfectum non vidit biennio post mortua, contracta ex mariti desiderio tabe V. C. 403. Verisimilem ejus aedificii secundum leges architectonicas structuram, et de ea testimonia vide proposita a Comite Caylus i).

---

g) B. L. T. IX. Mem. p. 113. h) L. XII. p. m. 974. i) B. L. T. XXVI. p. 321.

Digitized by Google

Numi:

Caput Solis obversum. Ɪ ΜΑΤΣΣΟΛΛΟ. *Iuppiter Labrandensis gradiens d. bipennem, s. hastam.* AR. I. III.

In numis constanter ΜΑΤΣΣΟΛΛΟ. geminatis Σ et Λ, at in libris ΜΑΤΣΩΛΟΣ Terminatio in O Dorica est pro ΜΑΤΣΣΟΛΛΟΥ, ut observavimus ad ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ. ΑΡΧΕΛΑΟ. primorum Macedoniae regum. Caput Solis ad Solem Rhodium pertinet, nam Rhodios stratagemate in suam potestatem redegit, eosque mortuo Maussollo jugum excutere ausos novo stratagemate sibi iterum subjecit Artemisia. Vide Sevinum haec omnia fuse enarrantem. Numi successorum a Maussolli numis sola epigraphe differunt.

AR. R.

Artemisia conjux numis genuinis caret. Ejus numos spectandae molis, in quorum aversa ΜΑΤΣΩΛΕΙΟΝ typo celebrati Mausolei esse adulterinos, ipsis jam tironibus notum, etsi a claris auctoribus vulgatos reperiam.

HIDRIEVS.

Maussolli frater. Hic quoque pro Artaxerxe Cypri regulis bellum fecit. Obiit V. C. 410. Vxor soror Ada.

Numi:

Caput Solis obversum. Ɪ ΙΔΡΙΕΩΣ. *Iuppiter Labrandensis gradiens d. bipennem, s. hastam.* AR. I. (Mus. Caes.)

AR. RR.

PIXODARVS.

Hecatomni filiorum natu minimus. Pulsa Ada sorore, quae marito successit, ope Othontopatis satrapae, de quo mox, regnum invasit, tenuitque annis V. mortuus V. C. 418.

Numi:

Caput Solis obversum. Ɪ ΠΙΞΟΔΑΡΟ. vel ΠΙΞΟΔΑΡΟΥ. *Iuppiter Labrandensis gradiens d. bipennem, s. hastam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput Apollinis laureatum. Ɪ ΠΙΞΩΔ. *Iuppiter Labrandensis, ut supra.* AV. IV. (Pellerin Suppl. IV. p. 113. Catal. d'Ennery.)

AV. RRRR. AR. RR.

OTHONTOPATES.

Satrapa Persa, accitus, ut diximus, a Pixodaro, ut se in pellenda regno sorore Ada juvaret. Re patrata generum eum sibi adscivit collocata illi filia Ada. Successit subinde in regnum mortuo socero, verum Alexander M. tum forte in Cariam delatus ejecto iniquo possessore Adam Hidriei viduam sibi supplicem restituit, et reginam appellavit V. C. 420. [k]).

Numi:

Caput Solis obversum. Ɪ ΟΘΟΝΤΟΠΑΤΟ. *Iuppiter Labrandensis gradiens d. bipennem, s. hastam.* AR.

Praeclarum istud cimelium primus vulgavit Bimardus [l]), sed epigraphen legit ΘΟΝΤΟΠΑΤΟ. Erudite is collegit, esse

---

[k]) Sevin. l. c. Bimard ad Iobert T. II. p. 329. [l]) l. c.

Digitized by Google

eum ipsum, qui Arriano dicitur Οξοντοβατης [m]), et de quo ibi narrantur omnia, quae mox de Othontopate commemoravi. At Barthelemyus revocato in examen eodem numo advertit, apparere vestigia praecedentis O, ac praeterea cum fuerit homo Persa, ejus nomen potius exire in ΗΣ, quam, ut Bimardo visum, in ΟΣ. Habemus ergo integrum ac verius ejus nomen ΟΘοντοπατης, quod jam non nisi binis literis ab Arriani Θξοντοβατης aberrat [n]).

AR. RRRR.

INSVLAE CARIAE.

ARCONNESVS.

Juxta Halicarnassum.

Autonomum: ΑΡΚ. *Pallas stans* Ɪ *Equus liber gradiens.* AR. III. Pellerinius huc pertinere conjicit. (Rec. III. p. 172.) Sed omnia persuadent, hunc numum esse Thessalicum, et fors Pharcadonis.

ASTYPALAEA.

A Rhodo in ortum.

Autonomus.

Navis cum vectoribus. Ɪ *Delphinus.* AE. III. Literas hujus numi fugaces conjicit Pellerinius constituere vocabulum ΑΣΤΥΠΑΛΑ, at sibi ipse diffidit. (Rec. III. p. 128.)

Imperatorius.

Caput Tiberii laureatum. Ɪ ΑΣΤΥΠΑΛΑΙΕΩΝ. *Victoria gradiens* AE. m. m. Perperam conjicit Pellerinius, qui singularem hunc numum edidit [o]), signatum illum, quo tempore Tiberius in insula Rhodo morabatur, nam istud refellit corona laurea, qua Tiberii caput ambitur. Alius hujus insulae compertus non est.

AE. RRRR.

CARPATHVS.

Autonomus ΚΑΡΠΑΘΙΩΝ. uni Goltzio cognitus fuit. (in Insulis.)

COS.

Insula illustris, et Aesculapio cumprimis sacra, sic ut ea a Claudio Aug. ejus dei ministra diceretur concessa propterea immunitate [p]). Vrbem habuit ejusdem nominis.

Autonomi.

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. Ɪ ΚΩΙΟΝ. ΚΑΕΙΝΟΣ. *Pagurus.* AR. m. m. (Pellerin.) *et variante magistratus nomine.* AR. III. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Herculis barbatum leonis exuviis

---

m) Exped. Alex. L. I. n) Mem. B. L. T. XXVI. p. 533. o) Rec. III. p. 32.
p) Tacit. Ann. XII. 61.

Digitized by Google

tectum. ϒ KΩION. *Caput muliebre velatum.* AR. II. (Pellerin.)

Caput Herculis barbatum laureatum cum clava supra humeros. ϒ KΩIΩN. *Vir stolatus stans d. pateram, s. hastam.* AE. I. (Pellerin.)

Hercules frequens in Coorum moneta argumentum, neque desunt scriptores, ejus in hac insula cultum testantes. Ab his utraque postremi numi pars rite explicatur. Narrat Aristides rhetor q), stetisse apud Coos signum Herculis clavam super humero gerentis, quod haud dubie exhibet pars antica. Pars aversa virum stolatum sistit, quem patera, quam dextera manu praefert, certum facit sacerdotem. Singularem hunc typum explicat Plutarchus r), cum quaerit, cur apud Coos Herculis sacerdos muliebri veste indutus sacra faciat? causamque reddit, quia Hercules conserto cum incolis praelio, eorumque pressus multitudine, ut tutius hostem falleret, cum Thressa muliere stolam mutavit. In hujus ergo memoriam eum observari ritum.

In numis I. et II. epigraphe est KΩIION. pro KΩIΩN, nimirum posito κτητικῷ pro ἐθνικῷ, ut AIΓION pro AIΓIEΩN in numis Aegii Achaiae vidimus.

Magistratus saepe additur, sed nulla dignitatis mentione, ut ΠPOΞENOΣ. Apud Arigonium est NIKIAΣ, qui forte idem est cum illo Nicia, quem narrat Strabo aetate sua Coorum tyrannidem invasisse s). Vide de hoc etiam infra in imperatoriis.

* * *

Caput Veneris. ϒ KΩIΩN. NIKOΣTPATO. *Aesculapius stans.* AR. I. (Dutens Explic. p. 108.)

Insigne hoc tetradrachmum notam Coorum Venerem sistit, opus Praxitelis, de quo Plinius, in aversa Aesculapium, de cujus in hac insula cultu egi supra.

* * *

O. ΔAMOΣ. *Caput nudum barbatum.* ϒ KΩIΩN. *Hercules stans s. clavam, brachio inhaeret Cupido, pro pedibus pagurus.* AE. II. (Hunter.)

Seguinus in simili pro O. ΔAMOΣ. legit ΚAΛMOΣ t), inique, ut patet.

* * *

IΠΠOKPATHΣ. *Caput Hippocratis barbatum recalvastrum.* ϒ KΩIΩN. *Baculus cum serpente.* AE.

Fuit Cos celebris hujus medici natalibus cumprimis nobilitata. Numum, quem coram descripsi, dedit Meadius Anglus ex thesauro regis Galliarum in fronte orationis suae Harveianae, dissimulat eum Harduinus, Gronovius eandem effigiem petit ex numismate Vrsini. Constat, medicos in hac insula insignis fuisse nominis, quos Theopompus citatus apud Photium per Podalirium ab Aesculapio descendere facit. Ceterum numum hunc confictum suspicor.

ΞENOΦΩN. *Caput nudum imberbe.* ϒ KΩIΩN. *Hygia stans.* AE. III. (Pellerin Rois p. 206.)

---

q) Orat. T. I. p. 34. r) Quae. Graec. p. 504. s) L. XIV. p. m. 972. t) Num. sel. p. 18.

Digitized by Google

Sistit antica Xenophontem illustrem medicum, qui in artis suae praemium immunitatem popularibus Cois a Claudio impetravit. Vide Pellerinium. Hujus causa meriti monetae a suis est illatus sociata Hygia salutis praeside.

* * *

Caput Aesculapii laur. Ϟ ΑΣΚΛΗΠΙΟΤ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Serpens adsurgens et cauda cortinam Apollinis complexus.* AE. III. (Mus. Caes.) In aliis: *Baculus Aesculapii.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Noti sunt hi numi, etsi satis certum non sit, quia patriae mentione abstinent, utrum huic insulae tribuendi sint potius, quam Pergamo, ubi Aesculapii cultus aeque fuit conspicuus. Dixi, Apollinis cortinam serpentis cauda stringi. Haec cortina in his numis raro satis perspicua est, sed manifeste apparet in numo simili integerrimo illustris Reuteri Moguntini. Nimirum evidens est textura tapetis, quo illa insternitur. Confer numos primorum Syriae regum. Iungitur serpens Aesculapii cum cortina Apollinis patris.

* * *

Observandum adhuc ad Coorum numos.

I. A Goltzio et Begero perperam huc referri numos inscriptos ⊐ΠΑЯ aut similiter, quos esse Capuae in hujus numis demonstravimus.

II. Alios idem edidit Goltzius, in quorum una parte KO, vel KΩ, altera ΩΣ, quosque hujus insulae monetae inseruit. Rarissima sunt exempla, urbis nomen sic dirimi, ut ejus pars una in parte antica, altera in aversa constituatur, qualia vidimus in numis Lai Lucaniae, et Abacaeni Siciliae. Ad haec typus botri, et diotae, qui est in his numis, satis persuadet, eos esse verius Corcyrae, ut jam alias monui [u]). Ceterum Coorum gentile statuit Stephanus Κοος et Κωος.

III. Numum argenteum edidit Maffeius [x]), eumque restituit Froelichius [y]): ΙΓΗΝΑΙ - - ΚΩΙ - - *Caput Jovis.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΤΣΙΜΑΧΟΤ. *Pallas sedens*, ut in obviis Lysimachi regis Thraciae. Vercor, ne numus sit hermaphroditus, et ex binis ad diversas classes pertinentibus pessime confictus, cujus antica sumpta sit ex notis similibus Goltzianis, ut revera horum unus inscribitur ΙΓΗΜΑΝΟΣ. ΚΩΙΩΝ., postica ex notis Lysimacheis. At sine dubio spurius est aureus max. mod., cujus eodem loco meminit Froelichius, in cujus item antica est: ΙΓΗΝΑΙΟΣ. ΚΩΙΩΝ. *Caput Jovis.* Ϟ VESTA. S. C. *Vesta sedens.* De mala numi hujus fide jam aliis pluribus egi [z]), et copiosius agam in numis Liviae Augusti uxoris.

AR. R. AE. C.

Imperatorii.

Recensentur quidem ab Augusto usque ad Philippum, sed habemus et Augusto priores a variis vulgatos. Eccos:

---

u) Num. vet. p. 107. x) Ver. ill. Part. III. p. 238. y) Not. elem. Tab. X. z) Num. vet. p. 63.

Digitized by Google

ΜΑΡΚΟΣ. ΛΕΠΙΔΟΣ. *Caput M. Lepidi nudum.* Ꜩ ΔΙΟΦΑΝΤΟΣ. ΚΩΙΩΝ. *Caput Aesculapii.* AE. I. (Morelli fam. Aemil. tab. 2. Pembrock P. III. tab. 46.) AE. III. (Patinus in fam. Aemil.)

ΝΙΚΙΑΣ. *Caput virile nudum,* Ꜩ ΔΙΟΦΑΝΤΟΣ. ΚΩΙΩΝ. *Caput Aesculapii.* AE. I. (Morelli in fam. Aemil. tab. 2.) In alio simili: ΧΑΡΜΥΛΟΣ. ΚΩΙΩΝ. AE. I. (Mus. d'Ennery p. 445.)

Numum ex citatis primum jam vulgavit Tristanus [a]), neque dubito, ab hoc eum exemplari fluxisse in Vrsinum Patini, et Morellium. Sed neque dubito etiam, etsi numum hunc genuinum demus, epigraphen ΜΑΡΚΟΣ. ΛΕΠΙΔΟΣ. a novicia manu fuisse intrusam. Fuere etiam, qui in numis altero loco descriptis caput ejusdem Lepidi IIIviri viderent, etsi adscriptum sit nomen ΝΙΚΙΑΣ, quos inter fuit Havercampus [b]), cum tamen nulla appareat ratio, cur Coi Lepidum monetae inferrent, cui in orientis provincias nihil unquam juris fuit. In his ergo numis, si modo genuini sunt, verisimile est exhiberi caput Augusti, tum et Niciam Coorum magistratum, sive is fuit Nicias tyrannus, de quo egimus in autonomis, sive alius aliquis hoc nomine. Vide molestas de his numis tricas ab Havercampo repetitas [c]).

* * *

ΖΕΥΣ. ΚΩΙΩΝ. *Caput Iovis*, in numo Neronis. (Vaill. Morelli.)

* * *

Magistratus frequenter in Coorum moneta legitur, praecipue in autonomis, sed quae fuerit ejus dignitas, numi non produnt, quamvis ex marmoribus constet, remp. fuisse ab archonte gubernatam. Hunc quidem Vaillantius vidit in numo Augusti, in quo legit: ΝΙΚΑΓΟΡΑΣ. ΑΡ. sed videtur lectio intuta. Luculentius hunc probaret numus Caracallae apud Harduinum, et Spanhemium [d]): ΑΡΧ. ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥΣ., verum in simili Severi Pellerinius pro ΑΡΧ. legit ΑΡΧΗΛΟ., auctor musei Theupoli ΑΡΧΗΣ. et Arigonius ΑΡΚ.

* * *

Concordia cum Mileto, Apolline Milesiorum, et Aesculapio Coorum stantibus. *AE. R.*

NISYROS.

Prope Co insulam.

Autonomi:

Caput Veneris. Ꜩ ΝΙΣΥΡΙΟΝ. ΙΜΕΡΑΙΟΣ. *Neptunus rupi insidens d. tridentem.* AR. III. (Haym. T. I. p. 235.)

Vnicus hic hactenus vulgatus ex argento numus. Iudice Haymio signatus in hoc Neptunus, quia apud hanc insulam in Polybotem gigantem tridentem intorsit, ut ex Homero refert Stephanus.

* * *

---

a) Comment. hist. T. I. in numis Lepidi IIIviri. b) Ad Morellii fam. p. 11. c) L. c. p. 11. et 645. d) T. I. p. 693.

Digitized by Google

Aenei inscripti solis literis NI. typis delphini, capitis bovini etc. quos vide apud Pellerinium.

AR. RRRR. AE. RR.

RHODVS.

Insula ejus tractus longe celeberrima.

Autonomi:

Caput Solis plerumque adversum, liberaliter crinitum, plerumque etiam radiatum. Ꝟ PO. PODION. POΔIΩN. *Flos calicis forma*, in aliis *rosa*, *addito saepe magistratu*, *variisque in area sigillis.* AV. III. (Mus. Medic.) AR. I. II. III. AE. III. obvii.

Nihil his nummis tritius, dempto citato aureo, qui, quod nerim, unicus hactenus est, et a me olim editus [e]). Solis apud Rhodios cultus cognitus, cujus beneficio insula prius eluvioni ob humilitatem pervia altius emersit. In aversa monetae Rhodiae fere constanter flos comparet. Eum antiquarii olim omnes rosam credidere, quam sententiam plane evertere conatus est Spanhemius secutus Vossium, et esse balaustium, id est: florem mali Punici, quo ad tingendam lanam utebantur Rhodii, copiosis argumentis comprobavit [f]). Non adversabor utriusque viri conjecturae, atque istud tanto minus, quia flos hic in plerisque his numis rosae speciem omnino non praefert, sed ejus potius, quem *tulipam* vocamus, cujus formae sitne balaustium, Florae filiis permitto. Nolim tamen prorsus ex his numis eliminari rosam, nam sunt non pauci, forte Spanhemio ignoti, in quibus rosa adversa ex forma rotunda, et ejus complicatis foliis facile agnoscitur, cujus modi complures sunt in museo Caesareo, et alibi. Nihil igitur obest, quo minus credamus, utrumque florem a Rhodiis insertum monetae, balaustium ob praeclara lanificia insulae quaestuosa, florem propter adlusionem ad insulae nomen, nam ῥόδον Graecis rosam significat.

* * *

Caput Bacchi hedera et corymbis coronatum, in aliis praeterea radiatum. Ꝟ PO-ΔIΩN. *addito magistratu, v. g.* ΕΠΙ. ΑΝ-ΤΙΠΑΤΡΟΥ. *vel:* ΕΠΙ. ΦΑΙΝΙΑΔ. *Victoria gradiens d. extenta lauream, s. palmae ramum, in nonnullis prorae navis insistit.* AE. I. (Mus. Caes.) In aliis: PO-ΔIΩN. ΕΠΙ. ΕΤΔΩΡΟΥ. AE. m. m. (Mus. ill. Comitis de Sternberg.)

Offerunt hi numi pro Apolline sole Bacchum eodem, quem propterea in nonnullis corona radiata ambit. Cum Bacche communicatos etiam solis honores, vulgo cognitum. Victoria in aliquibus navi insistens adludit ad rem maritimam, qua Rhodios longe excelluisse constat.

* * *

Caput Medusae adversum absque collo turgentibus e fronte binis aliis, et serpentibus cinctum. Ꝟ PO. ΓΩΤΟΣ. *Balaustium.* AR. II.

---

e) Num. vet. p. 216. f) Tom. I. p. 315.

Digitized by Google

Numum hunc ex museo Caesareo olim edidi, et in parte antica proponi Solis caput dixi g). Serius similem magis integrum in catalogo Hunteriano vulgatum vidi, in quo cum praeter alas viderem etiam serpentes, caputque sine collo, quae sunt certissima Medusae indicia, retractanda sunt utique, quae tum sanxeram, et eoam Medusae jus restituendum, etsi ignorem, cur Gorgonem in monetam suam vocare placuerit Rhodiis.

* * *

Hercules infans binos serpentes elidens. ꝳ PO. *Balaustium.* AR. II. (Hunter.)

Similis Herculis typus est in numo Ephesi, obvius autem in numis Crotonis.

* * *

Caput Solis radiatum. ꝳ PODIΩN. ΔIΔPAXM. *Mulier adversa stolata stans, quam volans superne utrinque Victoria velamine obumbrat, pro pedibus duae parvae figurae stantes.* AE. I. (Hunter.)

Figura aversae haud dubie domesticum aliquod Rhodiorum numen, illudque operis antiquissimi sistit, cujus generis signa pleraeque urbes aliqua privatim habuere testibus non numis modo, sed et scriptoribus, praecipue Pausania. Additum ΔIΔPAXM. est etiam in imperatoriis.

* * *

Magistratus sedulo inscribitur autonomis, et quidem Dorice, et aut in recto ut: MNAΣIMAKOΣ, aut praefixo EΠI. Dignitas in unico additur: TAMIA. TEIMOΣTPATOT. *Balaustium.* AE. I. (Pellerin.) Neque in imperatoriis ejus mentio, sed tantum ΔHMAPATOT. in numo Neronis. (Vaill.) Hardouinus in numo Domitiani vidit Aemilium Antonium Nasonem *prytanin*, at numum hunc esse Bithynicum, non Rhodium, et aliter legendam epigraphen, dixi in prolegomenis ad numos Bithyniae. Ceterum summum apud Rhodios magistratum fuisse prytanin, constat ex Appiano h), Livio i), et Polybio k).

* * *

De numis inscriptis PAIAITNO, quos aliqui esse Rhodios credidere, vide dicta in Traelio Macedoniae.

AV. RRRR. AR. et AE. C.

Imperatorii.

Multo autonomis pauciores editi a Nerone ad M. Aurelium usque, nam quem Pellerinius olim Caracallae tribuerat l), inscriptum ANTΩNINOC. KAICAP., eum serius M. Aurelio Caesari restituendum docuit m), sed eo fallitur, quod ab Aurelio mox post adoptionem susceptum Antonini nomen statuit, ut videre est ex iis, quae in Aurelii moneta ad titulum *Antonini* monebo. Tamen numi aliqui etiam Nerone priores Rhodo haud dubie tribuendi, nimirum:

PODIOI. TΠEP. TΩN. ΣEBAΣTΩN.

g) Num. vet. p. 216. h) B. civ. L. IV. c. 66. i) L. XLII c. 45. k) Exc. leg. 64. l) Mel. II. m) Lettres p. 26.

Digitized by Google

Caput muliebre turritum. Ꞩ ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ. *Sol nudus capite radiato stans s. amiculum, d. adstitutum tropaeum coronat.* AE. m. m.

Insignem hunc numum edidit Pellerinius n), corrigitque praecedentium antiquariorum lapsus, qui in numo simili legerant: ΚΛΑΤΔΙΟΤ. ΤΠΕΡΙΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΤ., eumque tribuerant Claudio tanquam Soli, qui Homero Hyperion dicitur, multaque alia inania attulerant. Sublato opportune hoc errore continuat vir eruditus, hos numos pleno jure pertinere ad M. Aurelium, et L. Verum, qui primi simul imperavere, et typo aversae significari victorias, quae de variis populis retulere, atque inde arguit, argenteos quoque numos drachmae pondere M. Aurelii, Faustinae jun., L. Veri, Lucillae, qui inscribuntur: ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ., vel ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗC. CЄΒΑCΤΩΝ., vel ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΚΤΡΙΩΝ. CЄ. Rhodi signatos. Quare etiam in aeneo, de quo agimus, sub ΤΠΕΡ. intelligi debere ΝΙΚΗC., quod vocabulum alioqui satis tropaeo partis aversae indicatur. Haec Pellerinius, cui sane correctam epigraphes lectionem debemus, cujus vitio factum, ut tam absurda ab antiquariis nobis obtruderentur. Verum nomine ΣΕΒΑΣΤΩΝ in his aeneis intelligi M. Aurelium, et L. Verum, tanto est difficilius concedendum, quanto maturius aevum litera Σ pro C aperte postulat, qua forma illa in hujus aevi numis vix ac ne vix quidem amplius reperitur. Et fuisse eam hac aetate jam in Rhodo quoque abolitam, docet numus M. Aurelii supra citatus, tum et numus Veri inscriptus ΒΗΡΟC o). Equidem hoc vocabulo ajo potius notari Tiberium et Iuliam matrem, quos vocatos fuisse Augustos et historia docet et numi, nam Smyrnaei, ut in horum numis vidimus, se dixere ΝЄΩΚΟΡΟΤC. ΤΩΝ. CЄΒΑCΤΩΝ., nimirum Tiberii et Iuliae. Cum igitur numus praesens aliam aetatem, quam praetentam Aurelii et Veri exigat, suapte ruunt omnia ea, quae Pellerinius de subaudiendo ΝΙΚΗΣ, et de tribuendis Rhodo memoratis drachmis disputat, quas omnes in Mesopotamia esse malleum expertas probare conabor in numis Mesopotamiae incertae urbis. Id unum addo: si hae drachmae essent Rhodiorum, pro ΝΙΚΗC legeretur ΝΙΚΑC. Etenim Aristides his numis coaevus Rhodios laudat, quod hactenus illibatum Dorismum constanter servaverint p). Ceterum quis sit totius epigraphes: ΡΟΔΙΟΙ. ΤΠΕΡ. ΤΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ. sensus, difficilius forte videatur explicare. Verisimile, Rhodios indicare voluisse, se *pro Augustorum* incolumitate omnem suam velle opem conferre. Sane habuere Rhodii causam prae aliis Augustis Tiberio gratificandi, qui Rhodum selegerat, ubi privatam vitam per complures annos ageret, qua de causa eam Manilius dixerat *hospitium recturi principis orbem* q).

* * *

n) Lettres p. 23. o) Mus. Christinae Tab. LIX. n. 15. p) Orat. T. I. p. 571. q) L. IV. v. 762.

Digitized by Google

ΚΑΙΣΑΡ. ΑΤΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΝΕΡΩΝ. *Caput Neronis laureatum et radiatum.* Ϟ ΡΟΔΙΩΝ. *Victoria rostro navis insistens, in area rosa.* AE. m. m. (Mus. Pisani tab. VI.)

Vidimus in numo praecedente causam adfectus Rhodiorum in Tiberium, praesente adfectum in Neronem testantur. Ejus causam Mazzolenus jam exposuit. Nimirum cum libertatem Rhodiis ademisset Claudius, quod Romanos quosdam in crucem egissent, eam illis, sed deprecante Nerone, restituit. Ergo Rhodii Neronem in hoc numo proposuere cum corona primum laurea tanquam imperatorem, deinde radiata tanquam Solem, deum nempe suum praestitem. Non possum hoc loco omittere perelegans epigramma Antiphili, quo ea, quae dixi, egregie illustrantur [r]):

Ως παρος Αελιε, νυν Καισαρος ἡ Ροδος ἐιμι,
Νασος, ἰσον δ' ἀυχω φεγγος ἀπ' ἀμφοτερων.
Ηδη σβεννυμεναν με νεα κατεφωτισεν ἀκτις,
Αλιε, και παρα σον φεγγος ἐλαμψε Νερων.
Πως ἐιπω, τινι μαλλον ὀφειλομαι; ὁς μεν ἐδειξεν
Εξ ἀλος, ὁςδ' ἡδη ῥυσατο δυομεναν.

Quod sic eleganter reddidit Grotius:

Solis eram quondam, nunc Caesaris insula magni
Sum Rhodos, ex aequo lux ab utroque juvat.
Namque exstincta forem, nisi sol mihi surgeret alter,
Et jubar ex Latia tolleret arce Nero.
Plus mihi praestat uter? dedit ille emergere ponto,
Hic me restituit, cum prope mersa fui.

ΠΟCЄΙΔΩΝ. ΑCΦΑΛЄΙΟC. ΡΟΔΙΩΝ. *Neptunus stans ad aram d. delphinum, s. tridentem,* Antonini Pii. AE. m. m.

Numum hunc edidit, explicavitque Gallandus [s]). Narrat Strabo, cum in mari Aegeo parva insula Theram inter et Therasiam enata esset, ad rei miraculum adcurrisse Rhodios, et in ea aedificasse Ποσειδωνος Ασφαλιε ἱερον, *Neptuni stabilientis templum.* Vide ibi plura de Neptuno Asphalio.

* * *

Liberam fuisse Rhodum, constat ex historia. Ejus etiam testem numum citat Spanhemius ex museo Mediceo [t]): *Caput Solis.* Ϟ ΡΟΔΙΩΝ. ΕΛΕΤΘ. *Victoria gradiens.* Idem altius, lapsu credo memoriae, pro capite Solis caput Neronis vidit [u]).

* * *

Magistratus. De hoc actum in autonomis.

* * *

ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ. in autonomo, ut vidimus, tum in aeneis Tiberii et Juliae supra indicatis, in alio Nervae, (Catal. d'Ennery) in aliis Trajani. (Vaill.) De

r) Brunck Anal. T. II. p. 174. s) Mem. B. L. Tom. I. p. 153. t) T. II. p. 584. u) T. I. p. 679.

Digitized by Google

hoc ponderis vocabulo egi in prolegomenis generalibus cap. IX.
AE. RR.

ASTYRA RHODI.

Rhodi oppidum uno Stephano teste, qui praeterea hujus nominis aliud in Troade constituit.

Autonomus:

Caput Solis adversum. Ɪ ΑΣΤΥΡ. *Diota major adstituta alia minore.* AE. III. (Pellerin.)

Ex typo adversae et fabrica hunc numum hujus esse Astyrae censet Pellerinius.
AE. RRRR.

IALYSVS RHODI.

Autonomum edidit Havercampus, in quo legit retrograde ΙΑΛΑΣΟΤΣ., docuitque, ad hanc eum Ialysum pertinere [x]). Verum satis constat, esse eum Alaesae Siciliae. Nullus igitur hactenus oppidi hujus numus cognitus.

SYME.

Cnido adjacens. *Autonomos* argenteos unus edidit Goltzius: (in insul.) *Caput Proserpinae spicis coronatum.* Ɪ ΣΥΜΑΙΩΝ. *Spicae*, in alio: *urbis nomen intra coronam spiceam.* Si numi hi genuini sunt, valde conspirant cum numis vulgo Ereso Lesbi tributis.

TELOS.

Priori vicina insula.

Autonomus:

Caput Iovis. Ɪ ΤΗΛΙ. *Pagurus.* AE. III. (Pellerin.)

Praeter hunc nullus alius cognitus.
AE. RRRR.

---

x) Dissert. de vet. lit. Graec. Tab. I.

FINIS VOLVMINIS II.

TYPIS HAEREDUM de GHELEN.

DEPT OF CLASS ARCHAEOLOGY OXFORD

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google